I.C.II.4 6.G.22.

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
Open Knowledge Commons and Harvard Medical School

http://www.archive.org/details/maximilianistoll1788stol

MAXIMILIANI STOLL

S. C. R. A. M. CONS. NOSOCOMII
S. S. TRINIT. PHYSICI ORDINARII

PARS PRIMA

RATIONIS MEDENDI,

IN NOSOCOMIO PRACTICO
VINDOBONENSI.



LUGDUNI BATAVORUM,

Apud { HAAK ET SOCIOS, ET A. ET J. HONKOOP. } 1788.

BOSTON MEDICAL
JUN 1904
LIBRARY.

PRÆFATIO.

CUM præſens libellus medendi rationem Collegio practico Vindobonenſi uſitatam exponat, e re viſum fuit, brevem Noſocomii hujus practici deſcriptionem legentibus dare.

AUGUSTÆ MARIÆ THERESIÆ munificentia jam ante multos annos Noſocomium practicum inſtitutum fuiſſe, in quo Medecinæ Studioſi, poſtquam theoretica artis Hippocraticæ diſcplina ſufficienter imbuti fuerint, ad ipſum ejus exercitium duce profeſſore practico ſe accingant, abunde conſtat.

Hanc ſpartam qua laude Vir eximius Antonius de Haen, & quanto cum emolumento rei medicæ geſſerit, multa ab eo præclare ſcripta teſtantur. Eo defuncto graviſſimam hanc provinciam ILLUSTRISSIMUS L. B. DE STÖRCK, cujus tantæ in me voluntatis, dum ſpiritus hos reget artus, mecum vivet memoria ſempiterna, mihi demandavit.

VIR HIC in commoda Studiorum, Patriæ, Cæſarumque natus, multa denuo promovendo ſtudio clinico adjumenta procuravit: Noſocomium practicum aptiorem in locum tranſtulit, ut iisdem modo Ædibus cum altero, quod S. S. Trinitatis vocant, contineatur, & cum eodem in unum coaluerit. Hic in-

ingens quotidie ægrotantium confluxus morbos; quoscumque volueris, ſeligendos, demonſtrandosque ſuppeditat. Præterea illud etiam commodi Medicinæ Studioſi nunc habent, quod, ubi quamdam in Noſocomio practico penes ægros pauciores cognoſcendorum, curandorumque morborum facultatem ſibi compararint, amplior ipſis perficiendæ artis campus aperiatur, atque ad reliqua ſpatioſa variorum ægrotantium quotidie huc affluentium cubilia perducantur, ut, quemadmodum novitii milites levioribus velitationibus exercitati ad graviores conflictus præparantur, ita & hi, morborum ingenium in ægris paucioribus edocti, numeroſiorem diverſimode ægrotantium copiam contemplando ſeſe ulterius inſtruant, ſibique, dum praxin alienis quaſi ſumptibus exercent, judicium quoddam practicum, atque inſignem in apte judicando promptitudinem concilient, quibus dotibus comparandis, cuilibet fortunatam facere medicinam adlaboranti perneceſſariis, ſola librorum lectitatio neutiquam par eſt.

Ad hanc in arte difficillima facilitatem acquirendam alia quoque momenti graviſſimi auxilia ſolers EJUSDEM ILLUSTRISSIMI PRÆSIDIS cura ſuppeditavit.

Cum enim multi ejusdem morbis conflictentur, qui eos lecto non affigunt, hinc in eadem hac noſtra domo ſtatis quotidie horis, locove adventantium querelæ excipi, remediaque, quibus ſuæ dein quivis domi utatur, diſtribui gratis ſolent.

Cum aliquot centeni quotannis miſeriarum ſuarum ſolamen hic quærant, nonne maxime opportuna perdiſcendæ praxeos medicæ in quocunque morborum genere occaſione fruuntur, qui quotidie huic pauperum conventui intereſſe voluerint?

Ut nihil ſupereſſet, quod animus vel avidiſſimus ſtudiorum amplius deſideraret, alia inſuper quædam ſtu-

ſtudia, præterquam quod ea in publico Athænæo coram copioſo quotidie auditore pertractentur, juſſu ILLUSTRISSIMI NOSTRI PRÆSIDIS tanquam uiverſæ quoddam, qua late patet, praxeos medicæ complementum noſtris etiam in ædibus exercitantur.

Ars enim obſtetricia etiam apud nos ab exercitatiſſimo hac in arte viro Raphaële Steidele Chirurgiæ Profeſſore penes machinas ingenioſe ab ipſo hunc in uſum excogitatas, & tandem ad ipſos parturientium lectos medicinæ ſtudioſis traditur. Qui vero non ſola theoria contenti ipſa artis exercitatione imbui volunt, eam hic occaſionem nanciſcuntur, quæ ipſorum deſiderio abunde ſatisfaciet.

Praxin chirurgicam, anatomen, operationes chirurgicas idem Cl. Chirurgiæ Profeſſor copioſam juventutem dexteritate inſigni, induſtriaque quotidie docet.

Copia quoque ſecandi cadavera omnibus iis fit, qui exquiſitiori ſtudio anatomen colunt, ſeque ipſos in arte diſſecandi exercere deſiderant.

Eadem quoque ILLUSTRISSIMI STUDIORUM PROMOTORIS vigilantia cavit, ne alia nobis adjumenta deſint; quæ ad artem facilius addiſcendam conferre boni quid quacunque ratione poſſunt. Hinc locupletiſſimus tam Medicus, quam Chirurgicus apparatus quotidiana incrementa ſumit: hinc ſelecta librorum ſupellex comparata novis identidem acceſſionibus ditatur.

Sed etiam id ſingulare, æternaque memoria dignum eminenti, quo in ſcientias impenſe fertur, AUGUSTÆ NOSTRÆ ſtudio, munificentiæque debemus, quod exteris æque, ac indigenis iſto multiplicis comparandæ ſcientiæ beneficio uti gratis detur.

Nunc pauca de meo ſcribendi conſilio dicam.

Ut primum graviſſimum hoc munus mihi decretum erat, in id potiſſimum animum intendi, ut morborum popularium, eorum videlicet, qui *paſſim* affligunt, ſive omnium horarum non obſervato temporum ordine ii ſint, ſive certas tantum anni partes ament, naturam, geniumque perveſtigarem.

Etenim uſu cum meo, tum & aliorum experiebar, notionem non eorum ſolummodo morborum, qui frequenter perniciem inferunt, ſed illorum etiam, qui inter vulgatiſſimos, curatuque leviores a plerisque habentur, quive affligunt potius, quam enecant, nondum ita ex omni parte completam, adæquatamque eſſe, quemadmodum vulgo exiſtimant, & non pauci vel ipſos inter medicos arbitrantur.

Operæ igitur non exiguum pretium me facturum exiſtimabam, ſi, quæ ſedula horumce morborum contemplatione, & luculenta quotidie experientia doctus in adverſaria conjeci, publici nunc juris faciam, fidaque narratione, ac ſimplici ſtylo, quæ in tanto ægrotantium numero prodeſſe, aut etiam nocere expertus fuerim, cordate exponam.

Votorum idcirco me compotem, fortunatumque reputabo, ſi opella hac mea, utut tenui, ac levidenſi, ad profliganda pernicioſarum opinionum commenta conferre boni quid, diſtinctioresque morborum quorundam vulgatiorum notiones communicare, atque ab omni vana hypotheſi alienus obſervata aliorum nondum fortaſſe ſufficienter comprobata fidarum obſervationum ſuffragio valeam confirmare.

EL-

E L E N C H U S.

Brevis Deſcriptio

CONSTITUTIONIS ANNI 1775.

pag. 1 — 4.

CONSTITUTIO ANNI 1776. . . . . 5.

J A N U A R I U S. . . . . ibid.

— *hujus conſtitutio & enumeratio morborum.* . . . . ibid.

F E B R U A R I U S. . . . . ibid.

M A R T I U S. . . . . ibid.

— *Pleuritidis & Peripneumoniæ bilioſæ deſcriptio.* . . . . 6—22.

— *Variæ morborum ſucceſſiones.* . . . . . 13.

— *Rheumatiſmus bilioſus.* . . . . 16.

— *Catarrhus bilioſus.* . . . . 17.

A P R I L I S. . . . . 22.

— *Morborum bilioſorum proſecutio, & quæ ad eorum æthiologiam & medendi methodum ſpectant.* . . . . 22—52.

M A J U S. . . . . 52.

— *Obſervationes de Morbis rheumaticis & eorum differentiis.* . . . . 55.

— *Pleuritidis rheumaticæ deſcriptio.* . . . 59.

— *Canones circa uſum veſicantium in Pleuritide obſervandi.* . . . . 65.

J U N I U S. . . . . 68.

— *Exemplum Peripneumoniæ veræ vitio bilioſo ſyſtematis gaſtrici ſtipatæ.* . ibid. ſeqq.

J U L I U S. . . . . 73.

— *Pleuritidis occultæ deſcriptio.* . . . . 73.

A U G U S T U S. . . . . 76.

— *Lithotomiæ Exemplum.* . . . . 83.

SEP-

pag.
September. . . . . 85.
— *Dyſenteriæ curandi ratio.* . . . . . . 86.
October. . . . . ibid.
— *Tuſſis ſtomachicæ quædam ſpecies.* . . 87.
November. . . . . ibid.
December. . . . . 90.
ANACEPHALÆOSIS. . . 91.
SECTIONES CADAVERUM. . 93.
Sectio prima. . . . . ibid.
Sectio II. . . . . 98.
Sectio III. . . . . 99.
Sectio IV. . . . . 101.
Sectio V. . . . . 111.
Sectio VI. . . . . 114.
Sectio VII. . . . . 118.
Sectio VIII. . . . . 123.
Sectio IX. . . . . 126.
Sectio X. . . . . 132.
Sectio XI. . . . . 135.
Sectio XII. . . . . 139.
Sectio XIII. . . . . 146.
Sectio XIV. . . . . 150.
Sectio XV. . . . . 154.
Sectio XVI. . . . . 157.
Sectio XVII. . . . . 159.
Sectio XVIII. . . . . 161.
Sectio XIX. . . . . 164.
Sectio XX. . . . . 170.
Noſocomii ad S. S. Trinitatem
Necrologia ab Anno 1761. usque ad
Annum 1776. . . . . 179. *ſeqq.*

BRE-

BREVIS DESCRIPTIO CONSTITUTIONIS ANNI 1775.

BOSTON MEDICAL JUN 3 1904 LIBRARY.

MORBOS populares deſcripturum non ſolum eam tempeſtatum rationem, quæ morbis ipſis comes eſt, ſed etiam illam, quæ paulo ante prægreſſa, & integrum modo effectum ſortita, certam in corpus diatheſin induxit, exponere oportet. En cur ea, quæ de conſtitutione temporis anni proxime elapſi, varioque tempeſtatis ad valetudinem habitu, ſparſim in adverſaria conjeceram, nunc collecta, contractaque recenſeam.

Menſis Januarius anni 1775. a gelu magno ordiebatur: ſecutæ mox nives copioſiſſimæ, nebulæ multæ, fetentes, noctu, mane, itemque veſperi. Venti per intervalla fortes. His haud diu ſtantibus repente tepor. Diffluxere nives: pluviæ admodum copioſæ. Poſt medium menſem ſubitum

gelu, rigidumque. Altæ nives, venti rari, exigui. Circa finem denuo tepor, nives colliquatæ, cœlum nubibus, nebulisque triſte, venti tenues.

Januario ad exitum vergente convulſiva infantum tuſſis caput efferre cœpit.

Ineunte Februario temporis proxime elapſi tepida conſtitutio incrementa ſumpſit: nebulæ denſæ, pluviæ raræ, interpellante ſubinde validiſſimo vento. Poſt initium tepor, gelu, paucæ nives, rarus ſol, pluviæ, venti, nebulæ fetentes, depluentes, varia ratione per totum menſis decurſum ſeſe excipiebant, ita tamen, ut atmoſphæræ tepor primas teneret. Finis menſis calore verno incaluit: venti tenues.

Convulſiva infantum tuſſis maxime viguit, & circa menſis medium ferinas adultorum tuſſes in ſocietatem adſcivit.

Martius totus mutabilis, jam veri ſimilis, jam borealis, cœlo ad initium ſereno, circa finem vero nebuloſo, imbroſoque. Tuſſes ferinæ longe lateque dominabantur.

Aprilis mutabili ſuo genio hoc anno præter morem indulſit. Frequens ſubitaque coloris in frigus commutatio, cœli ſereni in procelloſum, imbroſum, nebuloſum: venti varii, crebri. Ad medium usque Aprilem idem tuſſis ferinæ imperium, convulſiva infantum tuſſi adhucdum vigente. Circa finem uterque morbus multum remiſit.

Menſe Majo crebra denuo mutatio ex calore in frigus: dies auſtrini, noctes aquilonares. Siccitas ſumma. Cœlum ſerenum, crebro, forti, varioque perflatum vento. Circa finem copioſiſſimæ pluviæ, ventus perfrigidus, quo etiam tempore, ſilentibus & convulſiva, & ferina tuſſi, alia tuſſis ſpecies exorta vix ulli pepercit, quam ob ſigna redun-

dan-

dantis in ventriculo bilis, tum etiam ex eo, quod vomitu, aut alvi ductione cito ſaneretur, *ſtomachicam* appellarunt, etſi fuerint, qui *pectoralem* arbitrati, neglecto ventriculo, in ægrorum perniciem pulmonibus medebantur.

Initio Junii frequens caloris frigoriſque mutatio, noctibus plerumque ſolito frigidioribus. Poſt initium calores magni, conſtantes, cœlum ſerenum, ſiccum, rariſſimæ pluviæ. Exeunte menſe conſtitutio nebuloſa, humidaque ſucceſſit: toto hoc menſe tuſſis ſtomachica graſſabatur.

Menſe Julio æſtus fere conſtans, raræque pluviæ, tuſſis ſtomachica circa finem vix non penitus comprimebatur.

Menſe Auguſto æſtus magni, ſquallor, rariſſimæ pluviæ, crebra tonitrua. Morbi pauci, ſporades. Sudores nocturni copioſiſſimi.

Ad medium ferme Septembris calores magni. Succeſſit dein frigus, cœlo ut plurimum ſereno. Febres plures, ac præteritis menſibus, eæque huic anni tempori maxime ſolennes; intermittentes, remittentes, item choleræ, diarrhœæ &c. &c. non tamen præter aliorum annorum morem viſebantur.

Menſis October frigidus, humidusque ut plurimum fuit, attamen pauciorum paulo morborum, quam menſis prægreſſus, ferax.

November continuis fere pluviis maduit. Nives exiguæ, citoque diffluentes. Minus, quam pro temporis hujus ratione, frigus, præcipue circa finem.

Rheumatismi univerſales: deſtillationes topicæ variæ: aphthæ etiam inter adultos. Fœminæ debiliores præcipue, crudo primarum viarum apparatu, muco, ſero putri, laborabant.

Menſe Decembri pluviæ crebræ, tempusque humidum, non frigidum, præcipue circa initium &

 finem;

finem ; circa medium vero ſiccum , & frigidum. Defluxiones multæ ad oculos, nares , fauces , pulmones ; artus.

Hæc fere prioris anni conſtitutio fuit , qua breviter delineata ſequentis anni 1776. rationem deſcribemus.

M. STOLL

M. STOLL
RATIO MEDENDI.
PARS PRIMA.

JANUARIUS,
ANNI 1776.

SUB anni 1776. exordium nives multæ fuere; inde ad medium usque Januarii conſtitutio aëris humida, atque minori cum frigore, quam pro temporis hujusce ratione. A 15ta menſis ad finem usque frigus ſicciſſimum obtinuit, quod magis identidem intendebatur, ut ultima menſis tempora ab hominum memoria frigidiſſima dicerentur.

Initio menſis variolæ malignæ non paucæ, morbilli benignæ indolis non infrequentes viſebantur. Febres, quæ ad medium usque menſem ſeroſæ fuere, circa ultimos Januarii dies, rigidiſſima hyeme per omnem Europam ſæviente, in inflammationes pulmonum, pleuritides, ac peripneumonias abiere.

FEBRUARIUS.

Initio Februarii idem hyemis ſæviſſimæ rigor; at tribus, quatuorve exactis diebus ſucceſſit aura mollis, humida, dominante auſtro, quæ per totius menſis decurſum non interrupta perſtitit.

Morbi pulmonum inflammatorii non pauci, plures vero ex illo genere, qui ſub anni principium graſſabantur.

MARTIUS.

Menſis hic ut plurimum ſiccus erat, frigore, caloreque alternatim ſeſe excipientibus, calore tamen, ſi omnia ſpectes, prævalente. Febres catarrhales innumeræ, peripneumoniarum, ac pleuritidum quæ-

dam ſpecies, quam curatius explicandam e re eſſe arbitror, tum, quod ea hoc anni tempore, quo Noſocomio ad ſanctiſſimam Trinitatem præficerer, mihi frequentiſſime contemplanda, ſanandaque, in tanto adfluentium quotidie ægrorum ex plebe numero, obvenerit, cum etiam (quæ ratio longe ſuperior eſt) quod illam necdum ita adcurate deſcriptam, aut ſi deſcripta ſit, ejus tamen curandæ methodum necdum ſatis in uſum tractam, vulgatamque exiſtimem, ut idcirco actum agere videar, ſi quædam ex mea penu depromam.

Morbus, quem paulo fuſius perſecuturus ſum, eo etiam ex capite peculiarem attentionem meretur, quod ad illos pertineat, qui, pauco interpoſito tempore, frequentius recurrunt, & inter populum epidemice graſſantur. Accedit præterea, quod is ſub alterius morbi ſpecie medentibus imponat, & methodo non ſua perſæpe tractetur.

Ægri *hac pleuritidis*, *aut peripneumoniæ ſpecie* laborantes varia ſymptomata exhibuere: præceſſerat per aliquot dies, quin & ſeptimanas catarrhoſa diſpoſitio, dejectus appetitus, os inſipidum, amarum, glutinoſum, ſudores nocturni: tandem acceſſit horripilatio, quin & intenſius frigus, minus tamen grave, quam in vera alias pulmonum inflammatione ſolet; ſucceſſit æſtus, oppreſſio pectoris, dolor vel in ſterno, vel in alterutro latere thoracis ardens. Ardor hic ſubinde totum thoracem occupavit, & inter reſpirandum, tuſſiendumque raro augebatur. Decubitus facilis in utrumque latus: hypochondria frequenter tenſa, dolentia, præcipue dum manu contrectarentur. Dolor ad ſcrobiculum, & infra illud gravans, qui attactum ægre ferebat. Ructus amari, alvus aut obſtructa, aut liquidior, ac bilioſa. Facies cum virore pallida. Oculi triſtes. Dolor capitis gravativus. Sitis ſæpe nulla, & ſi tamen aliqua, minor tamen,

men, quam pro morbi acuti ratione. Sapor oris amarus ut plurimum, in aliquibus nauſeoſe dulcis, vel & acidus, auſterus. Lingua alba ſubinde, mucoſaque, plerumque tamen flavo vireſcente humore obducta, & prominentibus quaſi villis flava viridique materia tinctis hirſuta. Dentes ſordidi. Tumor ventriculi; & ſenſus plenitudinis in eodem. Anxietas circa præcordia. Tormina ſubinde. Lumborum dolor. Sputa glutinoſa; craſſa, tenacia, alba, in paucis vere vireſcentia, eaque ſtatim initio apparuere, quin & præceſſere. Urinæ croceæ brevi jumentoſæ cum ſedimento imperfecte depoſito, furfuraceo, albo, lateritio, mixtoque: tales fuere ſtatim ab initio morbi. Vomitus quibusdam ſpontanei, levantes, bilioſi. Vomiturationes. Copioſus inſipidæ ſalivæ in fauces affluxus, nauſea, qua factum, ut ne aſpectum quidem alimentorum ferrent. Pulſus ut plurimum non durus, & varia in variis celeritate.

Febris vel uno tenore continuabatur, vel vaga periodo exacerbabatur, absque certa lege, modoque.

Inter omnia hæc ſymptomata nullum erat, de quo magis querebantur, quam ardor in thorace, oppreſſio ejusdem, & ſpiritus difficultas. Fuerunt, qui ſolummodo de anguſta reſpiratione, & valida pectoris oppreſſione queſti ſunt.

Hæc ſymptomata erant pleuritidis iſtius, aut peripneumoniæ (quam *bilioſam* appellamus) ubi morbus cum nullo alio malo complicabatur. Pauciſſimi tamen inventi ſunt, in quibus omnes omnino ſuperius recenſitas morbi notas deprehenderes. Plerique paucis tantummodo characteribus mali, quo laborabant, indolem demonſtrarunt. Conſtans in omnibus nota fuit, præter memoratos pectoris, reſpirationisque affectus, lingua, & oris ſapor varia ratione depravatus, prout ſupra deſcripſi. Nauſeæ, &

appetitus deperditus omnibus fuere, non omnes tamen bilioſa, aut aliena ructabant. Cardialgiam omnes querebantur, gravantem plerique, pauci oris ventriculi morſum: quidam autem, nonniſi manu contrectarentur, moleſtiæ quid circa ventriculum ſenſere.

Exeunte Martio, & per totum ferme Aprilem plures erant, quibus alia præter paulo ante enarrata accidentia acceſſere, dolores videlicet artuum inferiorum, ſuperiorumque, item loci inter ſcapulas medii. Quibusdam carnes doluere inter articulos locatæ, his non affectis. Aliis articulorum rigiditas dolorifica fuit, non paucis mollitudo hypochondrii alterutrius doluit, dolore non gravante, non tenſivo, ſed acutiſſimo, ad inſpirationes magnopere aucto, & tactum minime ferente. In his pleuritidi aut peripneumoniæ *bilioſæ* rheumatismus jungebatur.

Hoc tempore, menſe videlicet ad exitum vergente, quibusdam, iisque non paucis, præter ſuperius dicta ſymptomata, dolor vere *pungens*, acutiſſimusque, & ſitis morbo reſpondens fuit, pulſus durus, & plenus, ſputa aut nulla, aut ſanguine ſtriata. Hos, præter morbum bilioſum, vera quoque pulmonum inflammatio tenuit.

Pauciſſimi in morbi principio ad nos devenere, plerique exactis aliquot primum diebus, ubi aut nihil omnino, quod ſæpius contigerat, aut quod ſors, vel conſilium obtulit, remedium adhibuere. Multi unam duasve etiam ſanguinis miſſiones inſtituerunt eo eventu, ut *poſt momentaneum, brevique evanidum levamen* omnia ſymptomata exaſperarentur, & pectoris incommoda longe graviora redderentur cum pulſu celeriori, humili, repente, anxietatibus magnis, & calore intenſiore. A purgantibus, ſi fors uſi erant, aut nihil, quod frequenter accidit; aut parum tantum emolumenti retulerunt, plerique pejus habuerunt, & magis febricitarunt.

Hæc

Hæc fere fuit morbi facies, quem tuto, ac brevi ut plurimum methodo mox deſcribenda curavimus. Ubi facto examine conſtitit, morbum nulla vera inflammatione complicari, qualis plerumque fuit, curam ab emetico inchoavimus, quo copioſiſſima materies flava, plerumque viridiſſima ore rejecta eſt, alvus ſimul fere omnibus movebatur aliquoties. Apparatus hic bilioſus vomitu excuſſus, amariſſimus plerumque, ſubinde vero acido-auſterus fuit. Ferme omnibus paulo poſt vomitum oppreſſio pectoris inſigniter imminuebatur: quibusdam etiam prorſus evanuit, reſpiratio liberior, & ablata; vel plurimum emendata ventriculi incommoda ſunt. Nulli certe emeticum propinavimus (& propinabamus longe plurimis) qui non cum inſigni levamine vomuiſſet. Non pauci, qui dolores acutos in hypochondrio alterutro ad attactum auctos querebantur, dato emetico liberabantur, ut adeo non omnis dolor acutus ad attactum auctus pro inflammatorio haberi debeat. A vomitu, atque etiam ante eundem decocto hordei cum oximelle utebamur ad abluendas ventriculi, & inteſtinorum ſordes, atque operam dabamus, ut alvus poſt vomitum aperta diutius ſervaretur. Hunc in finem data eſt mixtura ex aqua hordei, aceto, melle, & ſale quodam medio, ut bilioſæ reliquiæ, quæ inteſtinis fors profundius inſederant, quam ut vomitu rejici quiverint, medicamento ſalino ſolutæ per alvum everrerentur. Si hæc cautela neglecta fuerat, contigit, ut biduo exacto, aut eadem redirent ſymptomata, aut morbus intermittente exciperetur, eaque potiſſimum tertiana, quam ſalibus mediis præmiſſis, cortice peruviano profligavimus. Fuere quidem, ſed in tanto reliquorum numero perpauci, qui etſi cum effectu vomuerant, & magnam ſordium bilioſarum vim ore & ano ejecerant, id tamen levaminis non experieban-

riebantur, ut exſpectationi noſtræ planæ ſatisfieret. Signum id erat, materiam crudam, necdum ſat mobilem redditam, parietibus ventriculi valentius adhærere. His mulſa cum aceto, ac ſale quodam, per unum alterumve diem exhibito, denuo potionem emeticam propinavimus, quæ ferme ſemper ſuffecit; vix una alterave vice terno vomitorio, interpoſitis aliquot diebus, exhibito opus fuit.

Aliis hoc methodo ſanatis, cum & appeterent, & febre carerent, quædam ſpirandi difficultas remanebat, quam mixtura ex aqua fœniculi, oxymelle ſquillitico, & ſtibio diaphoretico non abluto ſuſtulimus, motis hac ratione ſputis copioſis, aquoſis; paucis kermetem præſcripſimus, pluribus ejusdem loco refractam admodum tartari emetici doſin in aqua quadam conveniente ſolutam, qua de re alibi erit commodior differendi occaſio.

Cum obſervatio nos doceret, ægros ex hoc morbo reconvaleſcentes facillime relapſum pati, præcipue, ſi paulo plenius, quam debilis ventriculus ferret, nutrirentur, cavimus ne regulas diæteticas peccaretur, atque ſtomachicorum remediorum ope vires coctrices, quas morbus, atque ipſa morbi medicatio fregerant, firmavimus. Uſi ſumus maximam partem elixirio ſtomachico temperato, & tinctura rhei aquoſa, æquis partibus, ni fors febris intermittens, quam morbo coronidem non raro impoſuiſſe ſuperius diximus, corticem peruvianum una expoſceret.

Semper cavebamus, ne, non hos ſolum, ſed neque cæteros quoscunque ex Noſocomio dimitteremus, priusquam ex integro priſtinum robur recuperaſſent. Hinc eos paulo diutius, quam adverſa ipſorum valetudo exigere videbatur, retinuimus, imperfectum tantummodo, aut fere nullum beneficium rati, ſi, quos morbus acutus non ſuſtulit, longa infir-

firmitas conſumeret. Hac methodo uſi ſumus, quotiescunque morbus ſimplex, ac nullo alio permixtus fuerat. Perpendere nunc juvat ea, quæ nocuiſſe deprehenſa ſunt, cum non a juvantibus ſolum, ſed quam maxime etiam a nocentibus inſtruamur.

Sanguinis miſſio præ cæteris nocuit, niſi fors inflammatio comes eſſet, quo de caſu infra erit dicendi locus; hac enim inſtituta pectus opprimi validius, ſpiritus difficilius trahi, pulſus fieri humilis, celerque cœpit, caloribus ſupra modum adauctis. Puella 14. annorum hujus rei documento nobis fuit: laboraverat hæc, paucis ſeptimanis antea, vera pleuritide; ſanata e Noſocomio diſceſſit, at poſt carnes intemperantius comeſtas riguit, æſtuavit, vomuitque aliquoties bilioſa. Altera mox die ad nos delata tuſſim, pectoris gravitatem, & ſpiritum ſummopere difficilem conqueſta eſt. Præter peripneumonicas haſce affectiones aderant oris amaror, ructus, nauſeæ, cardialgia, febris multa. Præſcriptum vomitorium eſt, cui, ut tutius operaretur, modicam venæ ſectionem præmittere placuit. Verum, miſſo vix ſanguine, delirium ferox, & febris valida ſequebantur. Dato emetico, multisque bilioſis vomitu rejectis, mens rediit mox, & affecti pectoris ſymptomata una cum febre multum mitiora, continuato ſalium mediorum uſu, & reliquiis morbi ad alvum determinatis, paulo poſt penitus abſtergebantur. En *Delirium bilioſum*, ubi fomes in hypocondriis latet, ore & ano exturbandus.

Non pauci ad nos venerant, qui, aut proprio marte, aut amicorum, ut fit, conſilio, morbum medicamento purgante ſollicitarunt: nocuit ferme omnibus, exacerbationes enim graviores inde redditæ, aucta thoracis incommoda, febrisque ſunt: profuere pauciſſimis, atque iis fortaſſe, qui crudo apparatu non ventriculi, ſed inteſtinorum laborabant,

bant, ubi materies mobilis facta, facilius pharmaco purganti, quam vomitorio auſcultabat.

Qui morbum motis ſudoribus aggreſſus fuiſſet, neminem ſcio, etſi facile quis perſpiciat, quantum noxæ prava hæc methodus intuliſſet. Opinio, quæ febres acutas ſudoriferis pernicioſo plerumque cum eventu tractat, magnam partem inter noſtros, etiam eos, qui ex plebe ſunt, eviluit.

Contigit non raro, ut motu febrili a collecta reſorptaque primarum viarum ſaburra producto, ſanguis inflammaretur. Sic vera inſuper inflammatio jungebatur, vel pulmonum, vel carnium muſculoſarum, vel menbranarum, tendinumque in articulis præcipue. Ortum hinc eſt malum complicatum vera ſcilicet vel pleuritis, vel peripneumonia, vel rheumatismus, vel arthritis morbo bilioſo ſociata, quam ob cauſam ſæpius unam, rarius duas ſanguinis miſſiones inſtituere oportebat, donec diſcuſſa phlogoſi emeticum daretur; quibusdam, & forte pluribus, licet ſanguis extractus ferme ſemper cruſtam pleuriticam exhiberet, veraque ſimul inflammatio adeſſet, cum exiguo tamen, eoque brevi evanido levamine ſecta vena eſt, fors, quod inflammatio ſecundario primum nata tolli non poſſet, niſi prius cruda materies ſub præcordiis collecta, a qua motus humorum citatior, eorumque phlogoſis oriretur, breviſſima, qua id fieri poteſt, via ejiceretur. At repurgato ſyſtemate gaſtrico, ſive phlogoſis perſeveraret, ſive etiam augeretur, ſanguinis detractio inſignem effectum & levamen conſtans attulit. Subinde venæ ſectiones, & emeſes alternabant, prout vel inflammatio, vel affectio bilioſa prævalebant. Non obſervavimus, ſtata periodo, & certo dierum numero hos ægros judicari, nec peculiari criſi obnoxii erant; id ſolum obſervatum, ſputa, quæ initio ſtatim apparuere, fuiſſe primum glutinoſa, tenacia,

dein

dein aquoſa, copioſaque ad finem morbi usque, quo ſenſim cum levamine minuebantur. Nunquam vidimus ſputa illa *puriformia*, *coctaque*, qualia maturum catarrhum, aut inflammatos pulmones ſolvere ſolent. Quidam intra octo dies ſanabantur, quidam vero intra ſeptemdecim, vel & viginti.

Vidimus & varias morborum ſucceſſiones, mutationesque: quidam enim ex pleuritide ſimplici bilioſa jam ſanati, aut tales propemodum futuri in *veram ac inflammatoriam pleuritidem* inciderant, ubi venæ ſectiones, & decoctum hordei cum melle, atque aceto fere ſemper ſuffecere. Cataplasmata emollientia ad locum doloris applicuimus bono cum ſucceſſu. Lateri dolenti nunquam appoſuimus veſicans, cumque eo in morbis vere inflammatoriis aliquoties uteremur, ſemper febris incitabatur magis, inflammatio augebatur, atque in univerſum eum canonem ſecuti ſumus, ut, ubi diluendum eſſet, ubi laxandæ partes ſolidæ, earumque ſtricturæ ſolvendæ, ubi frenandus humorum exorbitantium motus, a veſicantium ſtimulo caveremus; hinc factum eſt, ut ſanginis miſſio, remediorum refrigerantium facile princeps, inflammanti cantharidum vi rariſſime jungeretur. In rheumate vero, utut inflammatorio, & febrili, præſentem cantharidum opem ſæpiſſime mirabamur. Sed ea de re paulo poſt. Eximium e contraria auxilium veſicantia præſtitere, quotiescunque *vera debilitas*, ſolidorum inertia, indeque natæ ſtaſes aderant, quo in caſu præter remedia cardiaca, roborantia, ſtimulantia, antiſeptica, excitantem veſicantium ſtimulum in ſubſidium vocavimus. In vera pulmonum inflammatione abſtinuimus pariter ab intempeſtivo, præmaturoque remediorum ſputa moventium uſu, qualia in ſtibio diaphoretico non abluto, aliisque antimonii præparatis habemus. Sedulo diſtinguebamus duplicem pulmonicorum ſtatum, eum vide-

videlicet, ubi cruda inflammatio remedium quodcunque movens vetaret, atque eum, ubi fracta phlogoſi, vires ægrorum tum ex morbi diuturnitate, cum &c. remediorum debilitantium applicatione languebant, & materies ſputorum in pectore coacervata a dejectis vitæ viribus protrudi non poterat: hic moventia, incitantiaque profuere, præcipue ſtibium diaphoreticum non ablutum, & ſolutio tartari emetici ea doſi exhibita, ut nec vomitum, nec alvum moveret. Plerique pleuritici judicabantur ſputis mucoſis, aquoſis, & intermixtis coctis. Vidimus paucas quasdam pulmonum inflammationes, easque pergraves poſt novem aut undecim dies, abſque manifeſta evacuatione, cum conſtantia ac ſecuritate ſolutas.

Aliquoties vero pleuritis in principio diarrhœam ſibi junctam habuit: hæc, utut ſymptomatica fuerit, nihilominus morbum reddidit magis tolerabilem, ut adeo non omnis diarrhœa ſymptomatica pleuriticis periculoſa habeatur. Credo apparatum crudum in inteſtinis ſtabulantem vehementiori illo paroxysmo, quo pleuritis plerumque orditur, emotum ad alvum ruiſſe, molimine naturæ perquam ſalutari. Fuerunt etiam, qui in gravi illo aſſultu pleuritidem incohante, bilioſa cum emolumento vomuerunt.

Una, alterave vice, in graviſſima pulmonum inflammatione pulſum mollem, debilem, celeremque deprehendi, ubi nihilominus venæ ſectio inſigne levamen attulit, ſanguine craſſam tenacemque cruſtam exhibente, & pulſu paulo poſt aſſurgente, plenioreque.

Puellæ ſecundo pleuritidis die orta parotis morbum ſuſtulit, quam dein, cum alvum quotidie fluentem redderemus, & herbæ aromaticæ cum camphora tumenti loco apponerentur, inſigniter minuebamus. Pertinacis tumoris reliquias emplaſtrum de cicuta penitus diſpulit.

Qui

Qui initio vera pulmonum inflammatione eaque quam Sydenhamus *eſſentialem* appellavit, ac ſimplici laborarunt, rariſſime in eundem morbum relapſi ſunt, aliquoties autem in pleuritidem illam ſpuriam, bilioſam, quam dato ſtatim emetico in herba ſuffocavimus.

Aliam morborum ſucceſſionem obſervavimus, ubi *bilioſa* pleuritis in *malignam* vertebatur. Malignam nos vocabamus illam ægrorum conditionem, ubi vis vitæ admodum dejecta, pulſu arteriarum & cordis vere debili proderetur. Si evacuatio ſanguinis aut ab ægroto ipſomet, priusquam ad nos veniret, aut & nobis imperantibus inſtituta male ceſſerat, ſique materies ex primis viis intra humores circulantes reciperetur, ſi, licet multa affecti ſyſtematis gaſtrici ſigna adeſſent, emeticum nihilominus non conduxerat, ſi pulſus acceſſerant celeres, debiles, quosve vel leviſſime premens digitus facillime elideret, ſi mens vacillaret, & vires ſecretices languerent, *malignitatem* adeſſe, & letalem partium ſolidarum fluidarumque diſſolutionem inſtare judicabamus.

Malo præcipiti inventum præſidium eſt in decocto corticis cum camphora, in infuſo radicis ſerpentariæ virginianæ, contrayervæ, angelicæ: hic quoque in ſubſidium vocata veſicantia ſunt, quæ torpidam languentis vitæ vim concitarent, atque id facerent artubus adplicata, quod cardiaca ore aſſumpta. Miros certe effectus ex hac medendi methodo vidimus. At in perpaucis hic *pleuritidis bilioſæ* in *malignam* tranſitus obſervabatur, atque in iis potiſſimum, qui ex longa infirmitate, aut hæreditario vitio debilitatem adferebant utrique huic morbo idoneam.

Id adhuc notaſſe expedit, nos ſanguini emiſſo, atque in vaſculis ad id aptis ſervato, ſive is diſſolutior appareret, ſive compactior, ſive cruſta tegeretur aut etiam ea careret, rei utpote ſupra modum fallaci,

ci, parum tribuiſſe, etſi non inficias eamus, ſanguinem, prout is ſub ſenſus cadit, confirmare noſtrum judicium ſubinde poſſe, quod ex notis multo certioribus de morbi conditione ferebamus.

Hac tempeſtate Rheumatismi febriles graſſabantur, qui vel inflammatorii, vel bilioſi fuere, vel ex utrisque componebantur. Habuimus quosdam, qui acute laborabant absque ſignis ſordium primas vias inquinantium. His ſitis multa, febris valida cum pulſu duro, qualis pleuriticorum eſſe ſolet, manuum, genuumque tumores dolentiſſimi fuere: dolor vago more artus extremos, malleolos, genua, femur externum a lumbis, vel ab acetabulo ad caput fibulæ usque oberrabat, modo etiam muſculos thoracis affecit, ut ideo pleuritidem mentiretur. Quibusdam dolor anguinoſus acceſſit. Venæ ſectiones, emulſa cum nitro profuere, decoctum radicum altheæ cum Roob ſambuci, itemque veſicantia, atque omnia ea, quæ aut alvum, aut ſudores blande ſollicitabant. At pertinax admodum nonnunquam morbus difficillime vel indicatiſſimis remediis ceſſit, & tunc in longum protrahebatur: ſanguis ſecta vena eductus cruſta pleuritica maxime craſſa, tenacique obtegebatur.

Feliciores fuere illi, quibus acris & bilioſa materies maximam partem ex ventriculo reſorpta, & ad corporis ſuperficiem delata in vaſculorum exhalantium orificiis hæſit, ibique vellicando dolores rheumaticos concitavit. His emeticum profuit, cui medicamentum ſalinum, ad alvum laxiorem ſervandam ſubjungebatur. Quod ſi quid altius impactum hæreret, quam ut recenſita hac methodo revocari ad alvum denuo poſſet, frictione aromatica inſtituta, aut veſicante facile diſcuſſum eſt. Profuere etiam repurgatis ventriculo & inteſtinis medicamenta ſudorem absque tumultu moventia.

Qui

Qui *rheumatiſmo hoc bilioſo* laborabant, mitius ut plurimum habuerunt, minus febricitarunt, nec ſemper emetico indigebant. Decoctum tamarindorum, aliaque hujus notæ medicamina, juncto quodam ſale medio, exſpectationi medentis perſæpe ſatisfecerunt. Hanc rheumatiſmi ſpeciem aliis annis, atque alio anni tempore, præcipue cum in Hungaria medicinam facerem, frequentiſſime obſervavi. Adulta enim æſtate, atque initio autumni, quo morbi gaſtrici bilioſi dominium obtinent, *rheumatiſmus bilioſus* frequentiſſimus eſt, in iis præcipue, qui ex morbo bilioſo convaluere, ſi forte durante morbo aut nulla, aut non ſufficiens per vomitum, atque alvum bilioſæ ſaburræ evacuatio fuerat inſtituta. Poſt dyſenteriam bilioſam adſtringentibus opiatisque præmature ſublatam, poſt febres autumnales præcoci corticis uſu ſufflaminatas, præcipue vero, ſi intempeſtivis ſudoribus materies verſus corporis ſuperficiem fuerat determinata, frequentiſſimos vidi rheumaticos dolores diuturnos & plerumque abſque febre. Solventia, alvum leniter ducentia, frictiones omniaque ea, quæ materiam hærentem in motum agunt, balnea mineralia, ſucci herbarum antiſcorbuticarum, gummi ferulacea omnem paginam abſolvebant.

Sed, miſſis his, bilioſas noſtras pectoris affectiones ulterius proſequamur. Plurimi fuere, quibus res intra catarrhum conſtitit, qui a *peripneumonia, aut pleuritide bilioſa* ſola mali vehementia differebat, & hanc plerumque præcedebat. Eadem medendi methodus utrobique profuit. Hæc catarrhi ſpecies ſæpius ἐπίκοινως aggreditur, hocque anno, uti & vere anni proxime elapſi totam ferme Europam pervaſit. Hoc morbi genus anno 1580. univerſam Europam infeſtabat, atque pro novo morbo habebatur, quod remediis catarrho alias dicatis aut omnino non cederet,

Pars I. B aut

aut etiam exaſperaretur, atque non paucis funeſtus evaderet.

Deſcriptionem ejuſdem habemus a Boekelio factam, qui eum *novum morbum*, ſeu *catarrhum febrilem* ſalutavit. Eundem fuiſſe, qui & prioris anni ver, partemque æſtatis, & hujus anni Martium & Aprilem præprimis occuparat, deſcripta a Boekelio ſymptomata luculenter oſtendunt, quamvis a vera medendi ratione, quam ſibi hæc catarrhi ſpecies peculiariter depoſcit, illius temporis medici aberrarint. Id ſolummodo diſcriminis interceſſit, quod ille a Boekelio deſcriptus multos enecaret, noſter vero ut plurimum vitæ parceret. Rationem credo eam fuiſſe, quod catarrhus Boekelii febrilis ab ipſo, quo graſſabatur, anni tempore vitium traxerit, adulta videlicet æſtate, & autumno, quo cœlum gravius eſſe ſolet, & morbis quibuſcunque in eandem tempeſtatem incidentibus ſeptici quid, malignique affricat. Præterea novus hic Boekelii morbus cum pluribus aliis complicabatur, qui illam anni partem communiter comitantur. At venæ ſectio raro profuit, quemadmodum etiam apud nos plerumque morbus majora inde incrementa ſumpſit, & in malignum mutabatur: eo quoque tempore omnes reliqui morbi plus malignitatis habuerunt, & pluribus, quam alias ſolent, funeſti evaſerunt.

Quoniam hoc loco de catarrhi quodam genere, quod a ſordibus ſyſtematis gaſtrici originem ducit, ſermo incidit, juvabit quædam addere de illa catarrhi ſpecie, quæ prioris anni ver & initium æſtatis maculavit. Menſe Junio anni 1775. catarrhus populariter per omnem ferme Europam graſſabatur. Aderat inappetentia, laſſitudo, os amarum, aut inſipidum, lingua alba, mucoſa, flava, dolor ad ſcrobiculum, ſi manu contrectares. Tumor ventriculi, hypochondriorum tenſio, alvus aut tarda, aut frequentioribus,

bus, iisque exiguis ac bilioſis dejectionibus moleſta. Urina crocea, ſubinde cum ardore miſſa, parca, cum ſedimento ex albo-rubente, furfuraceo, mucoſo, lateritio. Nauſeæ fere omnibus, vomituritiones, tuſſis multa, ardor ſterni, oppreſſio. Variam medendi rationem experti ſumus, prout diverſam ſibi quisque ideam de ejus mali indole finxerat. At profuere lenia ſolventia, ſalina, alvum moventia. Quidam kermes minerale dedit, qui præter voluntatem vomitum movit, & ejectis ventriculi ſordibus catarrhum abſterſit. Verum cum hoc medelæ genus in hac mali ſpecie inuſitatum non ægrotis ſolum, ſed ipſis quoque medentibus videatur, atque ab ratione, aut potius ab eorum ſyſtemate abſonum, fit, ut una omnibus catarrhis plerumque methodus accommodetur, ſed eventu utique longe diſpari. Nihilominus ſat frequens hic morbus eſt, atque inter eos ſtipendia meretur, qui ſæpius ingruunt.

Clariſſimus Huxham deſcribit morbum maxime epidemicum menſe Januario anni 1733. cum tuſſi valida, qui per omnia ferme acceſſit ad indolem catarrhi anno priori dominantis; profuere enim apud eundem cl. auctorem nonnumquam emetica, aut lenia cathartica, atque frequenter obſervavit, tuſſim, oborta diarrhæa, profligari. Hinc rheo, manna, & tartaro ſolubili uſus eſt. Idem febrim catarrhalem epidemicam obſervavit menſe Novembri 1737. aitque, hanc febrim per plures jam hyemes magis, minuſque graſſatam eſſe, provenireque a craſſo, udo, gelidoque aëre ſpiracula cutis occludente, & eandem videri indolem habere cum febre *hyemali* Sydenhami. Arbitror, epidemias has ab Huxhamo deſcriptas, eaſdem quidem reapſe eum hac noſtra fuiſſe, propius tamen ad humorum phlogoſin acceſſiſſe.

Petrus Foreſtus, L. VI. obſ. I. deſcribit febrim autumno anni 1557. publice graſſantem, gutturis

dolore, & thoracis affectu ſtipatam: catarrhi inſtar morbus invaſerat, cum febre admodum lenta, ſed maligna, multisque necem inferente, quæ poſtmodum aucta ſubitaneam quaſi ſuffocationem, & reſpirandi difficultatem intulit, ut ægri ſtatim ſuffocari viderentur. Inde etiam ventriculus, & præcordia laborabant, tuſſis fuit valida, febris quibusdam continua, plerisque tertianæ duplices, quotidianæ, erraticæ fuere. Quibusdam & oris, ac linguæ ulcuſcula morbo provecto oriebantur. Hujus morbi fomitem intra præcordia, atque inteſtina concluſum fuiſſe teſtantur multa, præprimis vero, quod pectoris oppreſſionem, & gravia ventriculi incommoda, & ſæpe intermittens febris comitarentur, quodve & eccoprotica ſanarent, & contumax, longave ventriculi imbecillitas, curata febre, reconvaleſcentes affligeret, *cum hujusmodi accidentibus*, ait Foreſtus, *quæ in melancholia hypochondriaca adeſſe ſolent.* Idem cl. auctor L. cit. in ſcholio ad obſerv. II. deſcribit anginæ malignæ, peſtiferæque ſpeciem ſymptomatibus peripneumonicis junctam, quæ tempore Joannis Tyengii, Amſtelodamenſis Medici circa principium anni 1517. quam, plurimis mortalibus adeo pernicioſa fuit, ut, quibus intra ſex, ſeptemve horas apta remedia non adhibebantur, ante 16tam, vel 20mam horam ſubito morerentur. *Erat materia in illo morbo populari*, ita Foreſtus loco citato aſſerit, *ita furioſa, ut uno momento tantam anhelitus difficultatem, cordisque anguſtiam & dolorem in collo pareret, ut ægrotus ſtrangulari mox videretur. Quibus ſymptomatibus rurſus ceſſantibus, moxque redeuntibus, cum materia adeo maligna, venenoſa, & fluxa per muſculos colli, tum pectoris uno ictu trajiceretur, omnes facillime curabantur, ſecta quam primum vena, ante ſex horas a morbi invaſione, & ſi eodem die medicamentum purgans propinaretur, licet id alienum foret a ſententia omnium*

omnium medicorum illuſtrium. Quibus hæc primo die non adhibebantur, ſubito ſuffocabantur.

Morbum adeo gravem, citoque perimentem materies generaſſe videtur copioſa, mobilisque, quæ ventriculum, inteſtina, partesque ventriculo vicinas, aut cum eodem, ac inteſtinis communicantes imprimis occuparat, quo tamen denuo, præmiſſa ſanguinis miſſione, dato purgante pharmaco, cito ac facile revocari, atque alvo eliminari poterat.

Libro eodem obſervatione 3tia catarrhi deſcribuntur anno 1580. menſibus Junio & Julio epidemice ac catervatim graſſantes, una cum febre admodum copioſa in fauces, guttur, ac pulmonem irruente cum vocis raucedine, & tuſſi valida, qui præmiſſa ad paucas uncias ſanguinis detractione medicamentis leniter alvum moventibus curabantur.

Sed ad noſtra redeamus. Etſi plerumque pectus afficiebatur, ea ratione, quam hucusque narravimus; erant tamen aliqui, qui febre continua remittente laborabant. Ea triplicis generis fuerat, vel inflammatoria, quin aliquid bilioſi mixtum fuerit, vel bilioſa absque comitante phlogoſi, vel denique compoſita ex utroque affectu. Rariſſime vitium erat in ſolo ſanguinis inflammatorio ſtatu, quin non etiam aliquid vitioſæ materiæ in ſyſtemate gaſtrico hæreret. Raro quoque in hiſce febribus continuis remittentibus accuſandæ erant ſolæ primarum viarum ac ventriculi præcipue ſordes: morbus ex utroque vitio coaluit, bile videlicet præcordia gravante, & ſanguinis phlogoſi, ſed ſic, ut pro varia corporum ratione modo illa dominium obtineret, modo hæc.

Hinc varia quoque methodo pugnatum fuit, quæ tamen omnis intra emeticum, & ſanguinis miſſionem conſtitit, potuque diluente, mulſo, ita, ut modo emeticum venæ ſectioni, modo hæc illi præmitteretur pro ratione prævalentis vitii.

Cortice peruviano rarius uſi ſumus, niſi continua remittens in perfectam intermittentem fatiſceret, quæ corpore licet repurgato, nihilominus perſiſteret, & virium debilitate aleretur. Securius tunc cortex dabatur, nec tam facilis erat in febrim relapſus, rejecto dudum mali fomite.

A P R I L I S.

Menſis Aprilis ad medium usque frigidus, humidusque fuit, cui tempus ſucceſſit ſerenum, ventosumque ad finem usque, manente frigore.

Pleuritides, & peripneumoniæ bilioſæ fuere pauciſſimæ, paulo plures bilioſo-inflammatoriæ; frequentiſſimæ vero illæ, quæ dolores rheumaticos artuum ſibi junctos habuerunt.

Multa reſtant, ad bilioſos illos, ſpuriosque pectoris morbos pertinentia, quæ hic commodiſſimum ſibi locum inveniunt.

Nomine pleuritidis, ac peripneumoniæ bilioſæ aliud recentiores intelligunt, quam veteres, qui cruſtam ſanguinis phlogiſticam ex albo flaveſcentem *bilem*, morbosque inde oriundos *bilioſos* appellarunt.

Nos crudum, plerumque amareſcentem apparatum in ventriculo, & ejus vicinia collectum, *bilem* vocamus; cujus ſapor plerumque amarus eſt, ſubinde acidus, & auſtero-acidus, quin & dulcis, ſed dulcedine perquam nauſeoſa. Rarius fors a vera ſic dicta bile copioſius collecta, originem trahit, & potius cruda undecunque nata colluvies eſt, quæ in convenientem ſibi corruptionem, ob languentem ventriculi facultatem, vel nimia ipſius humoris in corruptionem proclivitate, transmigrat, ut hinc modo acida, modo auſtera appareat, prout eadem materies ſibi relicta modo hanc, modo illam mutationem, etiam extra ventriculum, ſubiiſſet. Colorem, & ſaporem amarum perſæpe a bile mutuat.

Cru-

Crudum ventriculi apparatum, eumque acidiſſimum, auſtero-acidum, fauces exurentem, & quaſi acidum vitriolicum ſpirantem, ac dentes ſtupefacientem ſæpiſſime in febribus quibuscunque æſtate adulta, & autumno inter Hungaros obſervavi, quin & non raro in memetipſo expertus ſum. Hinc credo natam eſſe illam opinionem, quæ bilem *acidam* eſſe ſtatuit, & morbis bilioſis antacida oppoſuit; bilem enim appellitabant ſordes illas acidiſſimas, bilis colorem, quo tingebantur, ſolummodo referentes.

Tempore verno colluviem hanc bili magis analogam, & ut plurimum amaram obſervavimus: ea hoc anni tempore raro craſſa, tenaxque fuit, ſed diluta, mobilis, & ut vomitu, absque præmiſſo ſolvente potu, & levi negotio ejici quiverit, quam maxime idonea: id quod tempore æſtivo & autumnali rarius accidit, ubi bilis tenax craſſaque ventriculo firmiſſime adhæret, ut, niſi ſolvens medicamentum, per unum alterumve diem propinatum, materiam in primis viis collectam diluat, mobilioremque reddat, emeticum ſubſequens vix ullum effectum, aut ſaltem vix ullum levamen producat.

Origo ſordium harum, ſyſtema gaſtricum gravantium, varia eſſe poteſt: 1mo, alimenta difficilius ſubigenda, præcipue autem pinguia, quæ in loco calido, humidoque, qualis ventriculus eſt, cito ranceſcunt, &, ſi acidis jungantur, in peſſimam acrimoniæ corroſivæ, urentisque ſpeciem abeunt. Hinc enim eſt, quod lardum, cui quis vinum ſuperbiberit, longe citius & gravius vitium in ventriculo contrahat, quam ſi eundem cibum aquæ potor comederit.

Defectus fructuum horæorum, & univerſim vegetabilium recentium, ad hujus crudi in ventriculo apparatus geneſin, ſuam quoque ſymbolam confert, quin & materies perſpirabilis ad partes internas re-

jecta eandem ſaburram vel auget, vel commovet.

Bilioſa hæc colluvies genuina æſtatis jam adultæ, & autumni ſoboles eſt, experientia, & Hippocrate teſte, qui L. de natura hominis ait: *bilis autem per æſtatem, & autumnum corpus poſſidet, id quod inde cognoſcere potes, quod homines ſua ſponte hoc tempore bilem vomunt, & in medicamentorum potionibus bilioſiora purgantur. Manifeſtum fit, & febribus & hominum caloribus.*

Quamvis morbi bilioſi hoc, quo paulo ante diximus, tempore quotannis naſcantur, dantur nihilominus conſtitutiones quædam, in aliud anni tempus incidentes, quæ eorundem morborum geneſi favent, id quod hujus anni tempore verno ἐπίκοινως experiebamur.

Id diſcriminis inter morbos bilioſos veris, & adultæ æſtatis obſervatur, quod illi ſæpe phlogiſticum quid ſibi junctum habeant, aut, excuſſis licet ſordibus, in inflammatorios migrent, rarius in malignos; hi vero, quos æſtas, & autumnus gignit, ſeptici quid malignique ferant, aut in malignos facillime mutentur. Major præterea eſt materiæ, ventriculum, & inteſtina obſidentis mobilitas, fluiditaſque vere, quam autumno.

Diverſiſſimi ſpecie morbi, morborumque ſymptomata, a materia aliena in hypochondriis ſtabulante producuntur, quorum nonnulla percurrere juvat, ut, quibus notis hi morbi detecti, atque ab aliis, quamdam cum iis analogiam referentibus diſtincti fuerint, quave etiam methodo uſi fuerimus, palam fiat.

Dolor capitis *bilioſus* omnes fere morbos bilioſos comitatur, graviſſimus ſæpe eſt, quaſi caput diſſiliret, quod æger manibus vel ſuis, vel adſtantium valide compreſſum minus dolere putat, idque leniminis

minis efflagitat. Dolor hic modo occiput, ſubinde frontem, non raro totum etiam caput atrociter affligit, ſtatasque periodos, quibus acrius inſtat, obſervat. Subinde adeſt faciei rubor, oculorum quaſi ſcintillatio, ſed plerumque faciei color χλωρὸς, id eſt, cum virore pallidus, qui & album oculorum inficit. Lingua, fauces, ructus, pondus ventriculi, dolorque ejus, ſi contrectetur; hypochondria tenſa, elevata, dolentia, dolore acuto, gravante; borborygmi, flatus; levis, & ſponte orta diarrhæa, materiam alienam circa præcordia hoſpitantem, & omnium malorum originem aperte loquuntur. His ſi alvum purgavimus, raro quid boni obtinebamus.

Morbus increvit pedetentim, & ſero tandem aut mortui ſunt, aut non niſi difficillimi convaluerunt. At ſi vena ſecta fuerat, omnia mox ab educto ſanguine in pejus ruebant: ſolum emetico-catharticum profuit, & conſtans plerumque, ac inſigne levamen attulit. Vidimus quosdam a miſſione ſanguinis mox delirare, quibus emeticum ſanam denuo mentem reſtituit. Vidimus affectus ſoporoſos, incipientem opisthotonum, reſolutionem muſculorum faciei ex uno latere, balbutiem emeto-catharſi ſublatam, & cito ſecutos effectus mirabamur.

In mentem tunc venerat illud Hippocratis in coacis prænotionibus, ſcilicet, *in febre continua* (a poſteriori conſtat, de *bilioſa* mentionem fieri) *quicunque voce deſtituti jacentes, oculis conniventes, nutant, hi, ſi poſtquam ſanguis ipſis ex naribus fluxit, & ubi vomuerint, loquantur, & ad ſe ipſos redeant, ſervantur.*

Sanguinis fluxum per nares Hippocrates requirit, ut facilius moveantur humores, & ipſe vomendi conatus innoxius eſſet, non ab illo ſanguinis per nares fluxu, ſed a vomitu morbi ſolutionem exſpectans. Hoc naturæ conamen & nos ſubinde imitabamur, &

pauxillum ſanguinis detraximus, ut æger minori cum periculo vomeret: attamen maximam partem hac cautela opus non erat.

Recordabamur etiam illius, quod Galenus L. 5. comment. aph. 1. de juvene narrat, qui æruginem vomuerat: inter vomendum totum corpus convellebatur, & ærugine evacuata, febris ſtatim, ac convulſio ceſſavit.

En hiſtoriam hucusque dicta confirmantem: vir 39 annorum, cellæ vinariæ curator, die paſcha præcedente friguit, caluitque alternatim per octo continuos dies, quin tamen decumberet: tandem per gradus ſcalæ decidit, ut dorſum, & occiput graviter allideret: acceſſit dolor capitis, dorſi, lumborum, vomitus bilioſus cum pauxillo ſanguinis: ſecta dein vena melius habuit. Verum paulo poſt rediit dolor capitis adeo gravis, ut ad Noſocomium F. F. miſericordiæ transferretur. Dato ibi emetico bene habuit. Digreſſus inde per aliquot dies commode valuit, verum, exactis octo diebus, rediit idem capitis dolor cum tinnitu, ſuſurro, & quadam ſenſuum confuſione. Acceſſit reſpiratio læſa, ſputa mucoſa, viridia, lingua bilioſa, oris ſapor non raro amarus, nulli ructus. Moleſta cardialgia, hypochondriorum, & abdominis totius tenſio, alvus difficilis, pulſus celer, plenus, non durus. Veſicans ad nucham ponebatur, aliaque ſimul adhibebantur, quæ ex uſu eſſe videbantur. Animus erat locum veſicante eroſum diu apertum ſervare. Secta denuo vena eſt: ſanguis cum cruſta phlogiſtica. Omnis noſtra cogitatio potius in lapſum, quem paſſus erat, etſi nihil à chirurgo detegi poterat, quam in ſaburram primarum viarum converſa erat. Elapſo biduo quaſi incipiens opiſthotonus obſervabatur, oris ad alterutrum latus retractio, balbuties, confuſio ſenſuum, & magna in ſomnum proclivitas, pulſus celer,

ler, non durus. Datum emulſum purgans ex manna, & ſale amaro, fæces multas, ſed absque levamine eduxit. At continuo moroſus, confuſus, comatoſus, die, ex quo ſuſceptus erat, quinto, emeticum hauſit, quo plurima profunde flava, viridiaque rejiciebantur. A vomitu minus ſoporoſus erat, & alacrior. Sapor oris bonus, lingua adhuc bilioſa. Minor cardialgia, minorque hypochondriorum, & abdominis tenſio. Reſpiratio facilis, indolens, ſed acceſſit tuſſis. Elapſis duobus diebus denuo emeticum exhibitum: copioſa denuo, flava, viridia, & pultacea rejecit cum inſigni levamine omnium ſymptomatum. Poſt emeticum datum eſt medicamentum ſalinum, quo alvus laxior ad abigendas reliquias bilioſas efficeretur.

Verum paulo poſt, die circiter 14to, ex quo ad nos venit, cum per omnia commode valeret, intermittente quotidiana corripitur, eaque mitiori, quæ cortici peruviano auſcultabat: is poſtea brevi ex integro ſanus diſceſſit.

Cauſa affectuum quorundam capitis, ac imprimis delirii cujusdam libro de affect. in hypochondriis ſtatuitur, ſic enim legitur: *phrenitis ubi apprehenderit, febris primum debilis detinet, & dolor circa præcordia, magis autem dextra ad hepar; quum autem quarta, aut quinta advenerit, & febris fortior fit, & dolores augeſcunt & color ſubbilioſus efficitur, & mens percellitur.* Alvum curandam eſſe, ait auctor libri; acetum, mel, & aquam propinanda. Subjungitur poſtea: *fit hic morbus a bile, cum mota viſceribus, ac ſepto transverſo inſederit.* Nos viæ compendio uſi, bilem ore potius quam alvo ejecimus.

Huc aliqua ratione pertinent, quæ in viro quodam contigiſſe ſcio, qui caput graviter ad durum obſtaculum cadendo alliſerat, unde vertiginoſus, & capitis dolore vexatus tam diu manſit, donec æru-

ruginoſa vomeret : peracto vomitu bene habuit.

Duæ fœminæ ex fumo carbonum male mulctatæ, vertiginoſæ, nauſeabundæ, capite dolentes manſere, donec dato emetico, bileque multum rejecta, mox a vomitu convaleſcerent.

Perſæpe hypochondria affecta, multaque bile turgida caput afficiunt : nonnunquam vero caput ipſum aut lapſu, aut alia ratione affectum efficit, ut bilis copioſior in ventriculum effundatur, quæ dein ob ſympathiam encephali cum ſyſtemate gaſtrico morbum capitis alit.

Perſcrutanti ſingulorum hucusque narratorum rationes, & eorum, quæ paulo poſt recenſebimus, id fortaſſe ſatisfaciet, quod prava materies præcordiorum, non eas ſolum partes, quibus circumſcribitur, ſed etiam remotius poſitas, & conſenſu quodam per obſervationes certo, etſi fors nundum ſatis explicato, inter ſe communicantes afficiat, aut ſi hoc diſplicet, id forte veroſimile erit, particulas ſaburræ reſorptas, partem, ad quam delatæ hæſerint, vellicare, & quacunque ratione male afficere. Verum finita vomitorii actione effectus ſalutaris non raro citius ſequitur, quam ut alibi præterquam in ventriculo mali fomitem quæras.

Morbos pectoris a bile ortos ſuperius deſcripſimus. Supereſt, ut quæ de eorum frequentia, methodo curandi varia, ac periculo mihi conſtant, exponam.

Perſæpe occurrunt graviſſimæ peripneumoniæ, ac pleuritides, quæ & ſymptomatum anomalia, & temporis diuturnitate, quo durant, & effloreſcentiis, præcipue miliaribus, ſupervenientibus, clare oſtendunt, quod non ex illa pleuritidum, aut peripneumoniarum familia ſint, quam Sydenhamus ſatis certo curari poſſe aſſerit, dum vim curationis fere totam in repetita venæ ſectione ponit. Eximius hic ob-

obſervator pleuritides ſuas raro in adultis, citra jacturam 40 unciarum ſanguinis, curavit; at occurrunt haud infrequentes pleuritides, quæ, facta licet duplo majori ſanguinis impenſa, nihilominus adeo non mitigantur, ut hominem & gravius affligant, & demum jugulent.

Eſt, cur credam, pertinaces haſce pleuritides eas eſſe, quas nos *bilioſas* appellamus, aut ex utraque, *bilioſa* videlicet & *inflammatoria*, *compoſitas.*

Quod ſi ſimplex pleuritis bilioſa aut etiam compoſita, ita tamen, ut levior tantum, eaque ſecundario nata phlogoſis ſit., multum interim prædominante vitio, morboque bilioſo, ſanguinis miſſionibus ſollicitetur, fieri neceſſario debet, ut, ſanguifero ſyſtemate depleto, plus materiæ bilioſæ in ventriculo, & inteſtinis hoſpitantis transferatur, visque vitæ debilitetur, quo minus inimicas materiæ alienæ particulas excutere valeat, & ipſius ventriculi robur, plus æquo imminutum, adhuc magis dejiciatur.

Certe longe plures hac medendi ratione interirent, etſi non pauci intereant, ni errores per toties repetitas ſanguinis miſſiones commiſſi aliqua ſaltem ex parte corrigerentur. Qui enim ita medicantur, languidam, dejectamque vitæ vim veſicantium, & epiſpaſticorum ſtimulo ſuſcitant, copioſo potu mellito, nitroſoque ſaburram diluunt: inde aptior reſorptioni redditur, totaque ſucceſſive in ſanguinis maſſam tranſit, ac demum per varia corporis colatoria lente difficulterque eliminatur, dum interim æger inter mille mortis propinquæ imagines miſerrimam vitam trahit, & ſi etiam vim ac diuturnitatem morbi ſuperet, non niſi tarde eluctatur.

Qui vera, eſſentiali, ac inflammatoria pleuritide laborat, cito ſanatur, nique alia prava prædiſpoſitio adſit, cito priſtinas vires recuperat, ac recidivis

mi-

minus ſubjacet. Huic enim nimium ſolummodo fibrarum robur ſolvere, ſanguinis copiam demere, ejus conſiſtentiam æquo majorem diluere, & illum ſanitatis nimiæ exceſſum ad juſtam mediocritatem reducere oportet. At vero is, qui, ob languentem ſyſtematis gaſtrici œconomiam, ſordes diutius collectas circumfert, qui, profuſo per repetitas venæ ſectiones, vitali latice, ad incitas redactus, per miſerrimum a veſicantibus petitum auxilium id obtinet, ut illud pauxillum relicti ſanguinis diſſoluti, impurique, citatiori ſuo circuitu amiſſi quantitatem ſuppleat, vitæque tenuiſſimæ ſcintillam alat, næ is inquam aut nunquam omnino, aut non niſi longiſſimo poſt tempore, & exquiſitiori artis auxilio, naturæque benignitate ſingulari, ad priſtinam ſanitatem redibit. Labefactata corporis compages eum relapſui, aut aliis morbis diuturnis, magis reddet obnoxium. Quot homines quotidie videmus, qui morbi acuti ſequelas tota ſua vita lugent!

Hæc methodus, quæ ſanguinis miſſione repetita, copioſaque potu multo diluente, ac veſicantibus morbos bilioſos tentat, ſæpius ſpectata, medicos non paucos deterruit, ut eandem deſeruerint penitus, atque arripuerint aliam.

Hinc ſunt, qui cum, una alterave præmiſſa venæ ſectione morbum increſcere vident, *malignitatem* clamant, atque ad antiſeptica confugiunt.

Tantam ſanguinis jacturam æger hac medendi ratione non patitur, ſed medicamentis ſtimulantibus, aromaticisque urgetur: qua re fit, ut, quidquid pravæ in primis viis materiæ hæret, id totum intra ſanguinis alveum adigatur, cum eoque circumductum per corpus, gravia ſymptomata progignat, donec tandem, attenuata, ſubactaque ſtimulantium vi, ad corporis ſuperficiem deferatur, ibique, difflata tenuiori parte, relicta in extremis vaſculis craſſiori

ſub-

ſubſtantia, exanthemata, ac ecthymata producat, utique critica, ſed criſi perquam difficili.

Geneſin efflorefcentiarum in ſordibus ſyſtematis gaſtrici quæri fere ſemper debere, multorum, atque etiam noſtris obſervationibus, convictum videtur. En ideam miliarium pleuritidi, peripneumoniæve ſupervenientium.

Etſi hanc utramque morbis bilioſis medendi methodum merito reprobent, quicunque morbi notionem paulo diſtinctiorem habent, nihilominus non infrequentes nobis caſus oblati ſunt, ubi alterutra opus fuit. Contigit enim ſubinde, ut morbo bilioſo detenti, factis extra Noſocomium jam aliquot venæ ſectionibus, ad nos deferrentur. Quod in primis viis alieni tunc reſtitarat, dato quidem emetico ejectum fuit. At multum interea ejusdem pravæ materiæ, in communem humorum oceanum delatum, nec emetico, nec purgante revocari denuo poterat. Potione multa diluenda erat abſorta ſaburra, omniaque corporis colatoria aperta ſervanda, ita tamen, ut alvus præprimis pronior redderetur ad excipiendum quidquid recrementitii illuc deponeretur.

Quod ſi vires vitæ ſuccumbere viderentur, veſicantium, & radicis ſerpentariæ virginianæ, contrayervæ, camphoræ &c. ſtimulos ſubdidimus.

Ita & hac methodo uſi ſumus, ubi phlogoſis juncta primariam attentionem & medelam poſtulabat; cum enim inflammationi obviam iretur, increvere ſymptomata bilioſa, bile dominium in toto jam corpore obtinente. Quo factum, ut emeticum quod ad initium inflammatio prohibuerat, ſerius datum nil amplius in bilem abſorptam potuerit: hic ſpem in repudiata alias methodo poſuimus.

Symptomata quædam difficiles nobis explicatus admittere ſæpius videbantur. Sic nulla ſæpe primarum viarum affectarum ſigna apparuere, quibus con-

ſiſus emeticum tuto exhibere potuiſſes: ſola aderat paulo frequentior alvi dejectio, pulſus naturali citatior, parum tamen, & mollitie conſueta: cæterum & lingua ut in ſanis ſolet, & bonus aſſumptorum ſapor. Nullum circa ventriculum incommodum. Subinde facies ſolummodo prærubra, & oculi ſcintillantes erant. Hos ſi miſſione ſanguinis aggreſſi ſumus, graviſſime id tulere: at dato emetico ingens materiæ viridis, flavæ, nigricantis, pultaceæ, moles rejecta admirationem nobis fecit, qui fieri poſſit, ut tanta ejus vis tamdiu collecta circa præcordia morari queat, quin luculentius præſentiæ ſuæ ſignum det.

Habuimus hominem, qui, excepto capitis dolore, tremore labii inferioris continuo, modica hypochondriorum tenſione, ac punctorio, ſed leviſſimo tantum dolore ſub infimis coſtis ſpuriis lateris ſiniſtri, nil querebatur. Ternis per intervalla exhibitis emeticis, pultem bilioſam, eamque magna quantitate cum levamine vomuit.

Aliqui ructus acidiſſimos queſti, materiam acido-auſteram, ac dentes ſtupefacientem, vomiu rejiciebant. Saburram & odore, & ſapore acidiſſimam, auſteram, fauces exurentem, colore viridiſſimam, in Hungaria, cum adulta æſtate febres bilioſæ graſſarentur, ſæpiſſime vidi.

Apparatus crudus, rancidus, amarus, bilioſusque, ab aſſumptis acidis vel aceſcentibus, in acerrimam acido-auſteræ acrimoniæ ſpeciem degenerat: idque æſtate & autumno, uti ſupra notabamus, quo tempore vis coctrix magis languet, frequentius accidit, quam vere. At male inde *acidam* bilis naturam quis ſtatueret abſorbentibus ſolis corrigendam.

Conſtat per experimenta Pringliana, partes animales putridas, ſi vegetabilibus miſceantur, fermenti inſtar agere, & vegetabiles ſubſtantias in acido-

do-auſteram acrimoniam convertere, unde ſaburræ acidæ in his origo explicatur.

Inde fors apta explicatio peti poteſt illius inter Damnonios epidemiçe graſſantis colicæ, quam clar. Huxhamus peculiari opuſculo deſcripſit. Alio quoque ſigno utebamur, quo morbos gaſtricos a colluvie materiæ alienæ ortos a febribus inflammatoriis diſtinximus, ſi etiam reliqua fere omnia non deficerent, urinis ſcilicet parcis, frequenter miſſis, profunde flavis, principio morbi ſtatim deponentibus. Galenus ait, Comment. 4. de victus rat. part. 43. *quibus principio urinæ & nebuloſæ & craſſæ exiſtunt, hos annuentibus cæteris purgare convenit: quod ſi urinæ inter initia tenues fuerint, tales non purgabis; at, ſi videatur, clyſterem exhibebis.*

Multum intereſt, ut omnia morbi cujuscunque ſigna colligantur, quæ medentium memoriæ firmiter inhæreant; nam dum morbus primum naſci incipit, dumque nondum formatus, nondum luculentis characteribus inſignitus, ſub ambigua adhuc, pluribusque aliis communi, forma deliteſcit, per difficile ſæpe accidit, morbi *ſolummodo inchoantis* ſpeciem determinare, eumque mature, atque adhuc in herba ſuffocare.

Hinc nullum nec leviſſimum ſignum, quod ad diagnoſin horum morborum *fieri primum incipientium* aliquid conferre poteſt, unquam negligi debet.

Idem perſæpe languor corporis, eadem inappetentia, calorisque ſenſus præternaturalis obſervatur, ſive aliquid pravæ materiæ ſyſtema gaſtricum afficiat, etſi ea vix ullum præſentiæ ſuæ paulo certius ſignum det; ſive vero in ſyſtemate venoſo, & arterioſo ſanguis vel phlogoſi, vel plethora peccare inceperit. At vero etſi morbus utrinque ſub eadem propemodum larva ingrediatur, non erit idcirco indifferens, an ventrem purges, vel vero ſanguinem

mittas. Magnum certe in utramque partem momentum afferes, quidquid feceris, & morbum vel adhuc in cunis jugulabis, vel ut præceps feratur, certo efficies.

Hanc morborum *fientium* diagnoſin Baglivius inter *deſiderata medica* repoſuit, medicosque exhortatur, ut ſuam quisque ſymbolam pro locupletanda hac ſcientiæ noſtræ parte conferat.

Hæc ratio eſt, quare minutiora quædam paulo ſcrupuloſius ſubinde perſequar, omniaque colligenda eſſe opiner, unde morbi aut complicati, aut latentis, aut inchoantis, incertique ideam, ut phraſi Balloniana utar, *venari* poſſimus.

Ardorem thoracis, oppreſſionem pectoris, tuſſimque, quam in pleuritide ac peripneumonia bilioſa obſervavimus, duplici origine naſci poſſe ſupra innuimus. Scilicet vel ex reſorpta, & ad pulmones delata materie aliena, vel ex ſolo pulmonum cum ventriculo conſenſu.

Id forte *de bilioſis his thoracis morbis* aliqua ratione dici poteſt, quod Galenus de febre ardenti ſcribit Comment. 4. Aphor. 55. *febrim ardentem fieri novimus, quando venæ exſiccatæ acres ac bilioſos humores ad ſe traxerint.* Nihilominus cum ſputum ſanguinis, quod etiam in hac bilioſa pleuritidum ſpecie ſubinde occurrit, ſtatim abſoluta emetici actione frequenter ceſſet, multum quoque conſenſus poterit.

Id in pueris tuſſi ſtomachica laborantibus frequens eſt, ut gravatus ventriculus pulmones crebra tuſſi ſollicitet, qua ruptis exiguis in pulmone vaſculis ſanguis prodit. Correcto ventriculo pulmo quieſcit, & ſputum ſanguinis ceſſat.

Hanc ſputi ſanguinei ſpeciem probe pariter diſtinguere ab illa oportet, quæ aut ſanguinis miſſione, & emollientibus, uti in inflammationibus pulmonum nonnunquam accidit, aut etiam roborantibus, uti in

in iis fit, qui ob laxos pulmones cruenta ſputant, indiget; cum utraque hac methodo, ea ſputi ſanguinei ſpecies, de qua agimus, incrementa capiat. Fit tamen, ut vera interdum pulmonum inflammatio cum ſpuria hac ſpecie complicetur, & ſputi ſanguinei ratio in natura veræ phlogoſeos quæri debeat.

Linguam, uti illam in omnibus morbis febrilibus magni fecimus, ſic in bilioſis maximi, illius Hippocratici memores L. 6. de morbis popularibus ſect. 5. *lingua urinam ſignificat. Linguæ virides cum pallore bilioſæ. Bilioſum autem a pingui: albæ a pituita. Lingua concolor attingentibus ipſam humoribus, quapropter per hanc humores cognoſcimus.*

Obſervavimus in morbis bilioſis a venæ ſectione levamen, ſed momentaneum haberi, morbumque paulo poſt validius urgere. Sanguinis miſſio fibras ab acri bilioſo vellicatas criſpatasque ad exiguum tempus relaxat: at ſi venæ, ut Galenus ait, *copioſiorem bilem attraxerint*, morbum augeri neceſſe eſt.

Mala ab attracta bilioſa materie oriri ſolita, quæve nec venæ ſectionibus, nec quocunque alio modo, niſi tempeſtiva emetici exhibitione tolluntur, Libro de veteri medicina Hippocratico penicillo depicta videmus: *cum amaritudo quædam diffuſa fuerit, quam bilem flavam appellare ſolemus, quales ſtatim anxietates, & æſtus, & impotentiæ occupant! verum ubi liberati fuerimus ab illa aut ſponte, aut per medicamentum, ſi modo tempeſtive quid ipſorum fiat, manifeſte & a doloribus, & a calore liberamur. Quanto autem tempore eadem elevata fuerit, & cruda, & meraca, & intemperata, nulla arte neque dolores, neque febres ſedare poſſumus. Et quos quidem acuta, acrisque ac æruginoſa bilis affligit, quales mox rabies & morſus viſcerum, ac pectoris, & deſperatio! non*

 ſe-

ſedantur autem hæc, priusquam eadem expurgetur, & proſternatur, & aliis permiſceatur.

Momentaneum hoc a ſanguinis miſſione levamen in juvene, bilioſa ſaburra laborante, nos ſeduxit, ut morbum alia, quam oportebat, ratione, curaremus. En ejus perbrevem hiſtoriam: juvenis 18. annorum, faber ferrarius, 20. Maji ad nos venit. Ante 5. dies veſperi laſſitudine, dolore lumborum, pectoris oppreſſione, dolore punctorio ad ſternum afficiebatur. Sitis multa, tuſſis nulla, frigus internum continuum, & extremorum calores querebatur. Caluit multum, ſi contrectaretur. Dolor capitis aderat, lingua multum bilioſa. Dolor in molli parte hypochondrii ſiniſtri. Pulſus celer, fortis, plenus. Nulla alia conſueta bilioſi apparatus ſigna. Animus erat, præmiſſa venæ ſectione die ſequenti potionem emeticam propinare. Secta vena eſt. Sanguis bonus extractus cum inſigni levamine diutius, ac alias ſolet, perſiſtente. Emeticum omiſi, meque in diagnoſi deceptum, morbumque, quem pridie *bilioſum* declaraveram, nunc *inflammatorium*, ob inſigne, & ſatis diuturnum a ſanguinis miſſione levamen, argumento a poſteriori, ut ajunt, deſumpto, arbitrabar. Sumpſit potum hordeatum cum oxymelle. Verum cum exacto uno die ſymptomata pectoris multo gravius redirent, eadem uſus medela ſum, ſanguinis ſcilicet miſſione, ut ut longe parciori, ac prima vice. Denuo inſigne levamen, ſed minus diu durans. Accedit ſenſuum hebetudo, ſtupor, abdomen dolens, præcipue hypochondrium ſiniſtrum, graviſſima pectoris oppreſſio, pulſus celerior multo, quam in principio. Mens ſæpe vacillat. Datum emetico-catharticum eſt, quo multa flava, viridia ore, & alvo ejecta ſunt. Poſt emeſin mens nondum ex integro rediit, ſed adhuc ſubdelirat, attamen rarius mitiusque, quam antea. Dedi tincturam rhei aquoſam cum ſale medio ea doſi,

quæ

quæ alvum ſervaret apertam, etſi cavebam, ne fuſior fieret, & vires ægri convelleret. Aliunde noveram, quantum boni afferre paulo laxior alvus ſoleat eo in caſu, ubi morbus biliofus prava ad initium methodo curabatur, & cruda ſyſtematis gaſtrici materies ſanguinem inquinarat, cum ſordium bilioſarum, ſi maſſam humorum intrarint, aptiſſimum colatorium alvus ſit, quo ſenſim reductæ commodiſſime eliminantur. Mens interea rarius vacillabat; verum ingentem capitis dolorem querebatur. Oculorum pars alba rubebat ex integro: minor abdominis dolor, minorque oppreſſio pectoris. Sed cum pulſus mollis, debilisque admodum evaderet, celeritate ferme naturali, lingua, antea bilioſa, areſceret, camphoræ, radicis ſerpentariæ virginianæ, contrayervæ & ſinapismorum ſtimulos ſubdidimus, ut, quidquid extra terminos ſyſtematis gaſtrici ſitum eſt, &, aut viſceribus infixum, aut circumductis humoribus permixtum, extricetur. His effectum eſt, ut mens ſæpius rediret, ac antea, pulſusque vegetiores redderentur, lingua humectaretur &c. Verum cum hypochondriorum meteorismus, dolorque intenderetur, datum denuo emeticum eſt, quod copioſam bilem multo cum levamine excuſſit. Ab emeſi ſecunda vice celebrata, ſubjunctisque denuo cardiacis mens ex integro, & plena, tardo licet paſſu, convaleſcentia rediit.

Emetici vices purgans pharmacum ſubire non poſſe, & obſervatio frequens, & ratio docet. Qui materiem alienam in ventriculo, & partibus, illi communicantibus, ſtabulantem, purgante aggreditur, aut nihil agit, aut morbum graviorem reddit: hæc enim, cum ex ventriculo ad inferiora deturbatur, per longiſſimum inteſtinorum canalem circumducta, & vaſis reſorbentibus quamplurimis adpli-

plicata, ab iisdem excipitur, & ſanguinem, vitii hucusque expertem, inficit.

Damnando ergo praxis eſt, quæ adeo mollem medicinam facit ut nunquam emeticum, ut ut indicatiſſimum, propinare audeat, ſed eccoproticis, veterumque minorativis, ſæpius, & per epicraſin datis, morbum, unico emetico jugulandum perſæpe, cum periculo ægri non exiguo in longum trahit.

His antiquiſſima obſervatio ſuffragatur: bilem enim frequentius, tutiusque vomitu vacuari, Hippocrates L. 4. de morbis teſtatur: *quantum quidem in ventriculo, & veſicula ineſt bilis, quod quidem in ventriculo eſt, aliquando deorſum exturbatur, plerumque vero in primis diebus vomitur, aut in quatuor, aut in quinque.*

Nos, a natura ipſa edocti, in principio bilem emetico potius, quam purgante vacuavimus.

Huc faciunt, quæ L. 7. de morbis popularibus habentur: *ſubpurgandi ſunt ventres in morbis, ubi purganda matura fuerint; inferni quidem, ubi conſidiſſe videris. Signum habes, ſi non anxii fuerint, neque capite gravati, & cum calores mitiſſimi, & cum poſt exacerbationes ceſſarint. Superni vero in ipſis exacerbationibus: tunc enim & hi elevantur, cum anxii & gravati ſupernis partibus fuerint. Propterea vero in principiis purgandum non eſt, quoniam ſua ſponte in his temporibus* (vomitu ſcilicet) *expurgantur.*

Tutius ergo dari emeticum poteſt, quam purgans, cum illud in ipſis adeo exacerbationibus exhibere oporteat, hoc non niſi poſt illas. Propterea vero uſum evacuantium in principio morbi ſuperfluum putat, quod biliosa collectio ſua ſponte evacuetur. Verum ubi natura, muneris ſui velut oblita, ſalutares haſce evacuationes non ciet, quidni, ars naturæ imitatrix, id ſuppleat, ut idcirco in exordio mor-

morbi emeſis tuto moveatur, quæ multoties alias cum emolumento ægri ſponte fit.

Præſtantiam emeticorum præ ſolis purgantibus cl. de Præval in præclara, etſi perbrevi, diſſertatione de *vomitoriorum uſu in peripneumonia putrida* (*vid. T. II. Diſputationum ab ill. Hallero collectarum*) ita demonſtravit, meamque mentem, cum ſerius in hanc diſſertationem inciderem, ex ratione expreſſit, ut integrum textum non poſſim non transcribere: *antequam faceſſant ægri vires*, ait cl. Auctor, *nequidem exſpectato morbi decremento*, *cathartica*, *cathartico-emetica*, *& ipſamet emetica cito & tuto exhibeamus. Pravis enim nondum evacuatis luxuriantibus fermentis, fruſtraneum exſpectaremus decrementum, in pejus rueret cunctando malum, & certo certius morti occumberet, antequam veræ & genuinæ methodo committi potuiſſet æger. Rite ergo præparatus lene catharticum hauriet? Eſto, ſed uberior, viſcoſaque nimis turget ſaburra, quam ut catharticis foras amandari queat, tempus urget, in promptu adeſt auxilium, cathartica emeticis ſtimulata* (*granis aliquot tartari ſtibiati*) *vel multa quidem aqua dilutas antimonii ipſiſſimas exhibeamus præparationes, quæ blande, & efficaciter purgant; in eo quippe caſu excandeſceret pectus, plus æquo intenſa & agitata ſanguinis mole, ſi ſimplici leniori cathartico ſaburræ foras educerentur, hoc præſertim cœlo eliminatu difficillimæ.*

Pro vomitu concitando uſi ſumus ſolutione tartari emetici, juxta normam in diſpenſatorio Viennenſi præſcriptam, parati: grana quatuor in libra aquæ ſolvimus, cujus quartam partem ſingulo horæ quadrante vomituri potabant. Poſt ſingulas vomitiones aquam tepidam bibebant, quo facilius atque majori cum emolumento vomant.

Multiplici prærogativa hoc medicamentum præ quovis alio gaudet: numerus vomitionum propendum

dum in medici poteſtate eſt, cum potio hæc per epicraſin propinetur. Præterea vim emeticam inde certius, quam a quocunque alio vomitorio, ac citius experimur. Radix ipecacuanhæ ſubinde effæta, aut ſi etiam recens ſit, non raro mucoſis ventriculi ſordibus involuta, aut nullam, aut non pro dignitate, aut alium, qui non quærebatur, effectum producit.

Etenim radix hæc non raro, nulla excitata emeſi, purgantis inſtar verſus alvum ruit. In delicatioribus contigit, ut nauſeoſam radicem vix devoratam faſtidioſi rejicerent, & ſperato effectu fruſtrarentur. Tartarus vero emeticus aqua ſolutus, & hac methodo exhibitus, etiam delicatiſſimis tuto datur : vis ejus ſolvens, attenuans pulchre quoque eo in caſu convenit, ubi mucoſa colluvies lateribus ventriculi firmius adhæret.

Cum rariſſime accidat, ut ſolummodo ventriculus gravetur, quin non & inteſtina aliquid vitioſæ materiæ attraxerint, alia quoque is virtute præſtat, cathartica ſcilicet, ut adeo hæc potio carthartico-emetica *choleram* quaſi *artificialem* cum bonis ægrorum rebus excitet. Lipyriam febrim, quæ ex bilioſarum familia eſt, non ſolvi, niſi ſuperveniente cholera, notavit Hippocrates. Id quod natura ſui conſervatrix ſalutari molimine nonnunquam ſola facit, medicamento nos præſtitimus catharthico-emetico. Eadem ſolutione tartari emetici, refracta admodum doſi, uſi ſumus ſæpiſſime kermetis loco. Kermes aqua non ſolubilis, in mixturis pectoralibus noſocomii noſtri minus commode exhibebatur; etiamſi enim vaſculum, quo medicamentum continebatur, probe concuteretur, tamen inæqualis portio, & ſæpe nihil omnino kermetis æger acceperat, donec cum ultima doſi mixturæ totam kermetis, in fundo hærentis, portionem hauriret.

Solenne remedium expectorans erat ex aquæ ſambuci

buci unc. v. oxym. ſimpl. & ſquill. ā unc. 1. tart. emet. gr. ij. Si commode æger ferebat, etiam grana tria addidimus, ut intra 24 horas totum abſumatur, diviſum in doſes ſex.

De præparanda ante vomitum materia id dico, nos plerumque, ubi emeticum requirebatur, absque prægreſſis ſolventibus id dediſſe. Tumultuarium hoc videri poſſet, atque inconſulto factitatum, ni obſervatio frequens nos docuiſſet, id utiliter fieri. Materies plerumque ex integro mobilis fuit, & ad evacuationem parata, aut, ſi quædam ſolummodo materiæ portio ſoluta, reliqua vero tenax, & glutinoſa fuerat, id ſaltem obtinebamus, ut, quod mobile fuerat, ejiceretur, reliquiæ vero ipſa vomendi actione, vi medicamenti attenuante, ſolventeque aptæ redderentur, quo repetita denuo vomitione vacuari quiverint. Id enim intendebamus, ut mali fomes quantotius, & cum temporis & laborum compendio excutiatur.

Nunquam, aut perraro, ſanguinis miſſionem emetico præmiſimus, ac non niſi præſens aliqua inflammatio eam poſceret. Præſenti ſolummodo malo medebamur: nolebamus hominem, ut ut ſanguinis copiani, & robur fibrarum inſigne ex pulſu, aſpectuque metiremur, morbo bilioſo laborantem vel pauco ſanguine privare, ne magis eidem morbo, quem emetico curabamus, obnoxius reddatur. Non ſuffecerat, quod æger ſanguinis detractionem *ferre poſſit*, requirebamus etiam illud, ut *neceſſaria* ſit.

Univerſim in profundendo vitali latice paulo parciores eramus. Non omnem caloris prænaturalis cenſum, non omnem motum febrilem a ſanguine phlogiſtico, copioſo, orgaſtico naſci arbitrabamur, obſervationibus ita docti. Ventriculus, abdomen injuriis magis patent, quam ſyſtema ſanguineum, & ſi quid in hoc vitii ſit, plerumque id ſecundario ortum

 eſt,

eſt, labe a ventriculo, & inteſtinis tracta. Sæpius in mentem venit illud Celſi L. 2. C. 10. ſanguinem inciſa vena mitti novum non eſt, ſed nullum pene morbum eſſe, in quo non mittatur, novum eſt.

In pleuritide, & peripneumonia biliosa ſæpius, morbo jam in melius vergente, diarrhæa ſupervenerat, ægro perutilis, niſi fors nimium fuſa alvus vires convelleret, & ſputa ſupprimeret: moderatior ſummopere profuit; hac enim materies in ventriculo, & inteſtinis reſtitans, quæ nec vomitu ad initium rejecta, nec reſorpta ex integro ad vias ſecundas tranſiit, multo potu diluente aſſumpto mobilis facta alvum petiit, fortunato utique naturæ conamine.

Non eſt hæc illa pleuriticis ſuperveniens, & ab Hippocrate damnata diarrhæa, quæ a pure in pulmonibus jam nato, & ad inteſtina labente provenit, mortis prænuntia, aut quæ, dum inflammatio, latius ſerpens, vicinas pulmonibus partes corripit, vellicatque, liquidiores ſanguinis partes alvo eliminat, reſtitante interim cruore, & per vaſa difficilius moto. Hæc ægris pernicioſa a viis ſecundis oritur, ſeſe in primas exonerantibus: illa ſalutaris reliquias bilioſas everrit.

Alterum eſt, quod cum alvo hac laxiori plerumque obſervatur, ſputum videlicet craſſum, tenax, glutinoſum, cujus excretio æque utilis, ac neceſſaria eſt. Hinc alvum ſæpe reprimere oportebat, ubi uno alterove die copioſior fuerat, ne expectoratio ſupprimatur, pulmones a reſorpta materie liberans.

Dedi tunc optimo cum effectu ſingulis horis pulverem compoſitum ex grano dimidio kermetis mineralis, & quarta parte grani laudani puri triti cum pauxillo ſachari, vel etiam omni bihorio pulverem ex

ex eadem laudani quantitate, & grano uno kermetis mineralis præparatum.

Hoc quoque tempore veſicantia egregios effectus præſtitere; vis enim cantharidum movens, glutinoſa incidens, attenuans, ſolvens, ſputa pulchre promovebat, quin alvum ſollicitarit. Nam cætera expectorantia, alvo per ſe jam nimium lubrica, antequam in ſanguinem recepta deſtinato fini ſatisfaciant, vim potius catharticam exerunt; verum cantharidum particulæ maſſam humorum, inſalutatis primis viis, ſubeunt, & ſputa promovent.

Hoc ſcopo ſi veſicantia adponerentur, locum veſicante tentatum nunquam permiſi epidermide ſpoliari; ſed ea relicta, & adpoſito ſiccante remedio deligatio fiebat, dein altera, quin & tertia vice, ac ſæpius, ubicunque commodum videbatur, aliud veſicans adplicari curavi.

Vim illam cantharidum, qua in totum corpus, atque etiam in pulmones agunt, unice ſpectans, diuturna loci ſuppuratione aut peculiari attentione ad locum, quo adplicentur non egebam.

Quod uſum expectorantium concernit, non eſt eadem apud omnes lex. Nos equidem damnabamus praxin illam, quæ, ſive in vera eſſentiali ac inflammatoria pulmonum inflammatione, ſive in hac ſpuria bilioſa, aut inflammatorio-bilioſa, mox in principio morbi medicamenta moventia ex ſtibio non abluto, ex kermete minerali, aliaque hujus generis exhibet. Quamdiu enim, e. g., in vera pleuritide phlogoſis manet, tamdiu ſola viget ſolvendi, emolliendi, & maſſam ſanguineam minuendi indicatio: verum ubi primum morbi inflammatorii ſtadium præteriit, diſcuſſaque phlogoſi materies mobilis effecta, ob lentorem, aut vim vitæ nimis dejectam, ſputando educi nequit, pulmonesque ſuo pondere gravat, convenit, medicamento movente, attenuante, ſtimulante

vi-

viribus vitæ debilitatis ſuppetias ferre, ut omnes ſecretiones, & excretiones, quæ ob morbi vehementiam, diurnitatem, prægreſſasque copioſas evacuationes languent, admoto expectorantium ſtimulo reſuſcitentur.

Coctionem, criſinque die quodam decretorio peragendam, & quæcunque huc pertinent, ſi reſtricta magis ſignificatione acceptentur, ut non quævis morbi ſolutio, quocunque tempore modove facta, criſis dicatur, ad morbos bilioſos attinere non putabamus.

Controverſiam de dierum criticorum veritate inde natam exiſtimo, quod alii in omnibus febribus acutis dies criticos quæſiverint, atque etiam in omnibus obſervaſſe putarint, etſi eosdem ſolum in aliquibus vere obſervarent: alii vero, cum in plurimis non obſervarent, dies criticos ad ſuperſtitioſa antiquitatis figmenta, concluſione latius, ac par erat, deducta, retulerint.

Morbi febriles, quorum materia, fomesque intra humorum circulantium limites poſitus eſt, & circulationis legi ſubjacet, *magna ex parte* coctionem, criſinque die critico peragendam admittunt, cum motus cordis & arteriarum materiam hanc alienam intra vaſa ſanguifera contentam ſubigat, attenuet, & excretioni, quæ coctæ materiæ magis convenit, aptam reddat.

Attamen non omnis omnino aliena materies intra humorum circulum recepta, ut ut & ſubigi, attenuari, expellique, id eſt, *coqui*, & *critice evacuari* debeat, modum diesque ad Hippocrate deſcriptos obſervare videtur.

Verior, & obſervationibus recentiorum ſtabilita dierum criticorum doctrina erit, ſi ea unice materiæ phlogiſticæ in ipſo circulante ſanguine natæ, nec aliunde receptæ adaptetur, ut ideo ſoli morbi inflam-

flammatorii certo dierum numero, certove modo judicentur.

In morbis gaſtricis materies motui cordis, & arteriarum expoſita non eſt, ſed iners in ventriculo ac inteſtinis hæret, & vim vitæ ſubigentem, attenuantem, expellentemque non experitur: hinc in ſenſu ſaltem ſtrictiori coctio, critica perturbatio, & criſis in morbis hiſce locum non habet.

Medicus ipſemet dato ſolvente, attenuante medicamento, quodve morbi materiem mobilem efficit, naturæ coquentis vices, ſubit, ac, dum fomes mali ad excretionem aptus evaſit, exhibito aut emetico, aut emetico-cathartico *perturbationem criticam, criſinque artificialem* facit.

Quemadmodum igitur coctionis, criſeosque negotium in morbis inflammatoriis a ſola propemodum medicatrice natura provenit, ita in febribus gaſtricis id ſolius propemodum medici opus eſt. Is in febribus inflammatoriis naturæ ſolummodo hinc inde ſuccurrit, ſæpiſſime otioſus tantummodo moliminum ejus ſpectator eſt. In gaſtricis, a crudo humorum apparatu oriundis, parum natura facit, medicus plurimum.

Reſtant aliqua, quæ medentem ſubinde diu multumque ſuſpenſum tenent, in partesque trahunt varias, *bilioſane* pleuritis ſit, an *inflammatoria*, vel vero, an ex utraque *compoſita*, ſollicite ſecum diſputantem; non enim ea ſemper horum morborum ratio eſt, ut non multa inter ſe communia habeant, nec alterius perſæpe ſpeciem præ ſe ferat.

At gravem ex commiſſo in diagnoſi errore noxam ſequi neceſſum eſt. Ut ergo ſecura pleuritidis veræ a ſpuria diagnoſis inſtituatur, ſequentia erunt perpendenda.

1mo. quænam eo tempore epidemia regnet: equidem difficile id perſæpe accidit, niſi cui quam plurimi-

rimi ægri curandi obveniunt. Hinc epidemias, earum augmentum, ſtatum, decrementum copioſior plebis ægrotantis concurſus ad noſocomia quam optime docet.

Toto hoc verno tempore ſordes primarum viarum, febresque inde multiplices oriundæ prædominium obtinebant, etſi hæc ipſa anni pars inflammationibus alias infamis, bilioſis non raro phlogoſin adſperſerit. Hinc regnante hac epidemia edocti ſtatum primarum viarum attentius obſervabamus, quas fere ſemper, quiſcunque alius ſimul morbus fuerit, epidemico hoc vitio laborantes deprehendimus.

Hac occaſione non poſſum non deprædicare illorum induſtriam, qui non ſolum quovis fere menſe in adverſaria referre conſuevere, qua ſanitate uſi homines eo tempore fuerint, quinam dominium habuerint morbi, quinam orti de novo, quinam vero mitiores facti, quinam ceſſarint penitus, ſed & ſimul athmoſphæræ, in qua vivimus, ſtatum adnotant. Quod ſi plures, paulo attentius, ſingulas haſce res conſcriberent, atque quaſdam quaſi ephemerides componerent, brevi in immenſum excreſceret obſervationum numerus, ex qua tam vaſta collectione quidam quaſi canones, de diverſo athmosphæræ habitu ad hominum diverſam valetudinem, deduci poſſent.

2do. ut in diagnoſi pleuritidis vel peripneumoniæ bilioſæ non erres, ſymptomata ſupra recenſita in morbis hiſce thoracis probe oportet memoriæ infixa habere.

3tio. multa docet præcedens valetudinis ſtatus. Pleuritis enim vera inflammatoria plerumque validiſſimos, & inopinantes aggreditur. Pleuritis vero ſpuria bilioſa lente progreditur, & a dejecto appetitu, ſignisque primas vias affectas denotantibus longo antea tempore ſeſe monſtrat.

4to. frequentior in iis hic morbus deprehenditur, qui

qui victu crudo, uti plebs infima ſolet, utuntur, quive ventriculo alias debili & imbecilli ſunt, aut a natura temperamentum bilioſum nanciſcebantur.

5to. ad diagnoſin ſecurius inſtituendam facit quoque hæc obſervatio, quod dolor in pleuritide, & peripneumonia hac ſpuria, inter tuſſiendum, reſpirandumque raro augeatur, cum e contrario, qui vera pulmonum inflammatione laborant, non tuſſiant, neque reſpirent absque inſigni pectoris incommodo. Præterea tuſſis rato cruenta eſt in bilioſa pleuritide, niſi illa validior ſit, ut ipſo tuſſiendi conatu aliquid ſanguinis exprimatur.

6to. in ſpuria pleuritide ſcrobiculum, hypochondria, abdomen, & lumbi maxime afficiuntur, non autem æque in vera.

7mo. alvus diarrhæica bilioſa longo ante morbum tempore non raro obſervatur; ſecus in vera pleuride, niſi per accidens id fiat.

8vo. urina non ruffa, ſed flava, vitellinum colorem referens, bilioſa, ſæpe cum ſedimento aut mucoſo, aut lateritio, vel ante morbum, vel & in ipſo pleuritidis bilioſæ exordio obſervatur. In vera autem pulmorum inflammatione urina ruffa eſt, & absque ſedimento.

9no. Febris pleuritidi veræ juncta *continua* eſt, cum levi ut plurimum ad veſperam intenſione absque intermixtis horripilationibus; at vero febris, pleuritidis bilioſæ comes, ex familia *continuarum remittentium* eſſe ſolet, ubi aut ſtato tempore, aut & per incerta intervalla, exacerbationes redeunt, ſive id quotidie, ſive omni tertio, quartove, ſive etiam eodem die ſæpius contingat.

10mo. Pulſus in vera pleuritide fortis, durusque eſt, & ut Petrus Foreſtus ait, *tactum ſerrat;* at in exquiſita, non complicata, bilioſa mollis eſt, & varia in variis celeritate.

Per-

Perpenſis hiſce, conſideranda quædam ſymptomata ſunt, quæ utrique pleuritidi, tum veræ, cum & ſpuriæ, bilioſæque ex æquo conveniunt, ob eam rationem penitius pernoſceda, quod letali cum eventu medentem ſæpe numero in errorem inducant. Ea fere ſequentia ſunt:

1mo. Oris amaror. Oris amarorem in bilioſis fere ſemper obſervamus, non tamen ita, ut abeſſe non poſſit, magna licet colluvie cruda bilioſa primas vias gravante. Verum ſubinde in iis, qui bilioſo vitio non laborant, atque in *vera pulmonum inflammatione* hic oris amaror deprehenditur. Hinc ſerio monendum eſt, ne quis nimium præcipitata concluſione, ex ſolo ferme amarore oris, prædominantem bilioſam colluviem adeſſe ſtatuat, & funeſtam ægro medicinam faciat.

2dum. Symptoma ſæpe anceps, & utrique morbo commune eſt vomituritio, vomitusque. Etenim non infrequenter accidit, ut pulmo vera inflammatione tentatus proximum diaphragma, ventriculum, & œſophagum in conſenſum trahat, ac vomendi deſiderium, & ipſum adeo vomitum moveat. Hinc quemadmodum a cauſa idiopathica, in ipſo ventriculo exiſtente, vomituritio & vomitus fieri queunt, ita & ventriculus ſympathice nonnunquam a pulmonibus inflammatis afficitur.

3tio. ipſa bilis, hoc vomitu ſponte excitato rejecta, necdum ſufficit, ut de pleuritide bilioſa concludam, ſi cætera reclament; in omni enim propemodum vomitu, præcipue paulo vehementiori, bilis in inteſtina & ventriculum exprimitur, vomituque rejicitur, idque etiam in homine cæteroquin ſaniſſimo accidit.

4tum. ſymptoma, fallax ſæpe, eſt rubor faciei, genarumque, qui tam in vera pleuritide, quam in ſpuria, bilioſaque obſervatur. Eum obſervari in in-

inflammatione pulmonum vera, facile captu eſt, nec ulteriori explicatione indiget. Verum certa eſt obſervatio Ballonii, ſæpius apud ægros noſtros confirmata, eos videlicet, quorum ventriculum, & inteſtina crudus apparatus obſidet, ſubinde pallere quidem, vireſcereque, perſæpe tamen ſummoperè rubore ſuffuſos eſſe, ita, ut & album oculorum rubeat. Eſt quoque Hippocratis ipſius obſervatio, eos, qui facie rubent, aut ſanguineos, plethoricosque eſſe, aut, quod huc pertinet, abdomen habere ſtercoribus, ut ait, vetuſtis obſeſſum. Sed neque genarum pallor, & vireſcens faciei color uni ſolummodo bilioſæ pleuritidi convenit.

Etenim permulti ſunt, quorum pulmones vera, diraque inflammatio tenet, etſi vultu ſint pallidiſſimo, oculis ſemiictericiis, corporisque totius eo colore, quem græci non exprimendo alias vocabulo χλωρον appellavere, ac ſi diceres, ex pallido vireſcente. Serum enim phlogiſticum, quod cruſtam in patella flaveſcentem exhibet, ægros hosce hoc flavo-viridi colore pingit. Hinc cavendum, ne in diagnoſi nos color faciei ſeducat.

5tum ſymptoma, in utraque pleuritide, tam vera, quam ſpuria, obſervari non raro ſolitum, ſputum cruentum eſt; etſi id frequentius pleuritidem, & peripneumoniam veram comitetur. Verum ſi in ſpuria pleuritide tuſſis aſſidua, validaque thoracem quatiat, ſi præterea vaſa pulmonum ex prædiſpoſitione quadam ſint paulo debiliora, laxioraque, ipſo validiori tuſſiendi conatu ſanguinis quid ex ruptis vaſculis excutitur, ea prorſus ratione, qua in tuſſi pulmonum ſtomachica vehemens motus, ſanguinem per os & nares ſubinde copiose exprimit.

Vidimus hucusque, quibus notis in caſu dubio medicus uti debeat, ut morbum pectoris ſpurium, bilioſumque ab inflammatorio, *pleuritidem bilioſam a*

Pars I. D *vera*

vera & phlogiſtica ſecurius diſtinguat : dictum præterea eſt, quantum interſit, ut omnis in hac diagnoſi error vitetur.

Verum nonnunquam adeo abſtruſa mali cauſa, atque adeo complicata Symptomata ſunt ; ut tot argumenta pro *ſpuria* pleuritide, quot pro *vera* pugnent. Hoc rerum ſtatu dum medicus, quam partem, quodve conſilium arripere debeat, dubius fluctuat, gravis quæſtio naſcitur, quid eundem moliri, aut potius non moliri, oporteat.

In his anguſtiis medici officio, quod parens medicinæ binis vocabulis : ωφελεειν, η μη βλαπτειν (prodeſſe, aut ſi id nequeat, non nocere) totum circumſcripſit, is probe defungetur, qui alteram ſolum ejus partem, μη βλαπτειν, expleverit. Pauca certe utrique morbo ex æquo conveniunt, eaque ſunt :

1mo. potus copioſi cum melle, aceto, & pauco ſale medio.

2do. frequens clyſterum uſus, ut inteſtina a præſente fors cacochylia liberentur.

3tio. mora ipſa morbum deteget, evolvetque.

4to. Exigua venæ ſectio ad Uncias IV—V—VI. utrique non raro convenit, nam & bilioſis ſubinde ſanguinis miſſio eatenus prodeſt, quatenus ſpatium majus in ſyſtemate venoſo, & arterioſo efficitur, præcipue ubi febris bilioſa valida eſt, ita ut mali quid ab ipſo hoc motu auctiore timeas. Conditio ſanguinis detracti, levamen aut nullum, aut momentaneum, morbo poſthac aut mitius, aut gravius afficiente, aliquid fortaſſe ſuggeret, unde novam poſſis indicationem venari.

Juvat potius hac indirecta quidem, & incompleta, quam nulla, aut ancipiti methodo uti.

Hæc, quæ de pleuritide & peripneumonia ſpuria bilioſa dicta ſunt, iis apprime reſpondent, quæ magni in arte viri, annoſa praxi edocti, poſteros docere.

BOSTON MEDICAL

re. Ballonius *potiorem* pleuritidum partem non venæ ſectione, ſed iis curandam aſſerit, quæ gaſtricum ſyſtema purgant. Ita enim ait: *major eſt pars pleuritidum & dolorum lateris tum a congeſtione cujusdam excrementi in pulmonem, & thoracem, tum ob recurſum tenuioris humoris per orgasmum a ventre inferiore, quam a capite & partibus ſuperioribus, quod diligenter videndum, quoniam plerique non audent purgare & ſolvere ventrem, & ſæpe hoc plus confert, ac phlebotomia; imo tunc ſectioni venæ locus non eſt, niſi forte ſemel id fit, præſertim ſi dolores lateris fiant hyeme a crudo & frigido humore, in quibus nequaquam ſectio venæ convenit.* Et paulo poſt: *cum dolores vagabunde tenent nothas coſtas, & continuatione membranarum attingunt aliquando mammas; & partes ſterni anteriores, caute videre oportet, an propter ventris inferioris cacochyliam, a qua propter vapores elevatos dolores ſurgunt, ſenſio adſit doloris, an cauſa ipſa a partibus ſuperioribus pendeat, an vero in thorace ipſo ſit: vulgo ſecatur vena, undelibet ſit dolor, idque male. Quis enim neſcit, ſi dolor iſte agnoſcat cauſam in ventre inferiore, non modo non prodeſſe phlebotomiam, ſed etiam ſæpe nocere, quod attractio fiat a partibus inferis, & ſi nondum adſit pleuritis, ea per venæ ſectionem acceleretur?*

Pulchre quoque notat hanc, de qua agimus, pleuritidis & peripneumoniæ ſpeciem inferius, dum ait: *plerique queruntur de dolore pectoris, unaque ventriculi & ſeſe animam ducere non poſſe ajunt. Statim medicorum quorundam vulgarium opinione ad phlebotomiam concurritur, at nil, aut parum profici, declarat rerum exitus. Etenim ſi vel cholera, vel diarrhœa ſuccedat, vel purgante ſollicitetur alvus, dolores cito levantur. Sic cacochylia, hypocondriorum obſtructio dolores facit, qui maxime adparent, & proferuntur in pectore ob conſenſum diaphragmatis, & quia in thorace communis eſt membrana & lateribus & diaphragmati*

parte convexa. Choleram Ballonio laudatam, tanquam veram pleuritidis bilioſæ criſin, antimoniali emetico ars naturæ imitatrix movet.

MAJUS.

Menſis hic frigidus, ſiccus, multoque perflatus vento, febrium intermittentium præ reliquis ferax fuit: fuere & rheumatiſmi permulti, anginæ, pleuritides copioſæ.

Febres hujus menſis ut plurimum tertianæ fuere, ſolventibus & vomitu curatæ, ita, ut rarius cortice peruviano opus fuerit, niſi ubi repetitis evacuationibus febris nihilominus perſeveraret. Continuæ remittentes morem tertianæ ſervantes non paucæ viſebantur, quæ ſumpto ſolvente medicamento, & dein emetico, primo intermiſerunt, tandem vero penitus ceſſarunt. Plures habuimus continuas remittentes, quarum exacerbatio nulla certa periodo rediit, omni die, omni 3tio die, atque etiam eodem die ſæpius.

Quidam per tres, pluresque ſeptimanas de continuo fere, & nunquam intermiſſo totius corporis horrore, frigoreve querebantur, hos ſolvens quoque medicamentum, ſubjuncto emetico juvit. Inter continuas remittentes fuerunt quædam, quæ, licet copioſæ ſordes bilioſæ vomitu rejicerentur, idque etiam iterato, nihilominus nil remiſerunt. Id iis potiſſimum accidit, qui præviam debilitatem, aut imbecillem ventriculum ad hunc morbum afferebant, aut a multis jam ſeptimanis continuato horrore, anorexia, aliiſque, a ventriculo gravato oriri ſolitis, ſymptomatibus conflictabantur, aut qui morbum, viſceribus jam diutius inſidentem, ſtulta, quæ inter plebem viget, opinione ſeducti, vino, & continuato quin & aucto corporis exercitio, ſuperare contendebant, vel ſanguinis miſſione intempeſtiva vires potius quam morbum, fregere. His ſupervenit linguæ ſiccitas, ari-

ariditasque, atque eæ affectiones, quæ malignitatem imminere demonſtrabant: nihilominus cortex cum camphora eos denuo in vado collocavit.

Obſervatæ quoque ſunt febres larvatæ, quarum binas ex adverſariis meis huc transferam: Chirurgus 22. annorum, coryzam cum narium ſiccitate, obſtructione, ac dolore ad radicem naſi, a quatriduo paſſus, ad nos venit, bono habitu plenoque prædítus. Pridie horruiſſe, dein caluiſſe præter ordinem, ſectam ſibi venam fuiſſe, narrabat. Mane, quo ad nos venit, commode habuit, pulſus erat celer, ſitis pauca, caput grave, odor, ſaporque deperditus, lingua alba. Rubor ingens faciei totius. Datum eſt decoctum ordei cum oxymelle, juſſusque eſt decocto emolliente tepido naribus attracto membranam ſchneiderianam fomentare. Primo die a meridie apud nos peculiarem capitis gravitatem usque ad mediam fere noctem experiebatur, largo ſudore terminatam. Die ſequente cum & pulſus, & habitus corporis ſanguinis detractionem exigere viderentur, facta eſt venæ ſectio; at a meridie circa horam primam frigus, inde dolor ingens, ac fere intolerabilis ad ſinum frontalem ſiniſtrum, qui ſudore circa horam noctis undecimam ſiniebatur. Nares ſiccæ, nullumque aliud in corpore moleſtum ſymptoma. Die tertio ſtato tempore prægreſſo frigore dolor ſævus in ſinu frontali dextro rediit, ſtata itidem hora ſponte deſinens. Verum hoc die lingua modiciſſime bilioſa fuit, os ſubinde leviter amareſcens, ructus rari, ſed nonnunquam amari. Finito paroxysmo datum emeticum eſt, unde multa, flava, viridiaque vomuit. Paroxysmus poſthac nullus rediit. Longo poſtea tempore hominem ſanum atque ab omni febre immunem vidi.

Juvencula 24 annorum per tres ſeptimanas appepetitum dejectum, frigora cum caloribus alternan-

tia quæſta, ſuo conſilio venam tundi curavit; at inde pejus habuit. Acceſſit & dolor capitis, qui a meridie in ſeram usque noctem multum exacerbabatur cum horrore, æſtuque horis pomeridianis graviter affligente. Vomituritiones, oris amaror, ructus amari. Sumpto emetico vomuit plurima bilioſa, alvusque mota aliquoties eſt. Die ſequenti a meridie rediit dolor capitis ad tempora, item ad verticem capitis cum frigore, ſudore frigido per totum corpus, mitior tamen multo, quam præcedentibus diebus. Cum ea ſumeret, quæ alvum redderent modice fluentem, cephalalgia, quæ prioribus diebus ægram crudeliter affligebat, poſtea minus diu, ac mitius urgebat, tandem cortice peruviano compreſſa eſt.

Utraque hiſtoria, primariam ſedem febrium larvatarum in gaſtrico ſyſtemate locatam eſſe, demonſtrat. Quamvis hæc juvencula ſolo emetico curata non fuerit, paroxysmum tamen concitata emeſi mitiorem experta eſt. Quin ipſe cortex, juxta mentem cl. Caſimiri Medici, non niſi ea ratione febribus medetur, quod vi ſua roborante nimiamque ventriculi & inteſtinorum irritabilitatem emendante agat.

Id inde etiam conſequitur, in febribus larvatis non ſemper in ſolo cortice quærendum auxilium eſſe; quemadmodum enim pleræque febres intermittentes tuto, & ſat cito alia methodo, quam quæ corticem peruvianum exhibet, percurantur, ſic & larvatæ pleræque hoc antifebrili ſpecifico non indigent, ſed aliis medendi modis ſat belle auſcultant. Nihilominus ubi febris, ſubgravis periculoſique ſymptomatis larva deliteſcens, ipſi adeo vitæ inſidias ſtruit, hoſtem a mœnibus propulſare, repudiatove omni alio incerto auxilio ad corticem peruvianum confugere oportet.

Va-

Varios rheumatiſmos obſervabamus hoc menſe : dolebant atrociter articuli majores, carneſque inter eoſdem mediæ.

Non opinantes plerumque hic morbus corripuit, quin ulla, ut in podagricis ſolet, apepſia præcederet, aut ſtata periodo, legeve certa exacerbationes redirent.

Vidimus rheumatiſmos, quibus nulla comes febris ibat, paucos licet. Pleriſque febris jungebatur.

Dolor vertebras lumborum perſæpe occupavit, effecitque *lumbaginem rheumaticam.* Pluribus acetabulum doluit dolore per femoris externam faciem atque crus ad malleolos usque deſcendente. *Iſchias erat rheumatica.*

Eadem materies rheumatica palpebras, parteſque oculo proximas, ipſumque oculum obſidens *ophthalmiam ſeroſam* aliquoties fecit.

Ex eadem origine fuere *coryzæ*, *hemicraniæ rheumaticæ*, *otalgiæ*, *odontalgiæ*, *genarum tumores*, *anginæ*, *bronchi*, ſive *raucedines*, & defluxiones ad pectus, quas κατ᾽ ἐξοχὴν, catarrhos appellant.

Sanavimus dolorem ventriculi rheumaticum, ſive *gaſtritidem rheumaticam*, itemque in alio ægro *rheumaticam enteritidem.*

Huc quoque pleuritides rheumaticæ ſpectant, quæ hoc tempore frequentiſſime viſebantur, reliquis anni temporibus σποράδες fuerunt.

In rheumatiſmo febrili cruſtam ſumme phlogiſticam in ſanguine detracto ſemper vidimus, eamque tam craſſam, ut vix aliquid cruoris, aut rubræ partis appareret. In quocunque alio morbo inflammatorio, ut ut graviſſimo, minor, tenuiorque cruſta phlogiſtica apparebat.

Plures deprehendimus differentias inter eam inflammationem, quæ rheumatiſmum febrilem, atque eam, quæ morbos alios inflammatorios committit, ut alia idcirco nobis viſa ſit *inflammatio rheuma-*

matica, atque itidem alia, quam *genuinam*, *veramque* appellare phlogoſin poſſumus.

Diſcrimen utriusque inflammationis *genuinæ*, videlicet, & *ſpuriæ* multiplici obſervatione, atque, ut ajunt, a *poſteriori* demonſtrabatur, & novis identidem obſervationibus quotidie demonſtratur; nam:

1mo. *Rheumetica inflammatio* minus longe periculoſa, ut plurimum, eſt, &, niſi nobiliſſima viſcera occupet, raro necat: gravior letaliorque inflammatio *genuina* eſt.

2do. Inflammatio rheumatica plerumque benigna reſolutione terminatur, etſi multum fortaſſe temporis a morbi exordio lapſum ſit, neque leges coctionis, criſéosque obſervat. Id in rheumatica pleuritide, materie non ſolos muſculos intercoſtales, pleuramque, ſed & ipſos pulmones occupante, conſtanter obſervavimus.

3tio. Etſi encephalo, utpote viſceri, cujus integritas ad vitam ſummopere neceſſaria eſt, rheumatica inflammatio, quam maxime inimica ſit, atque illuc delata plerumque cito occidat, alias tamen non ignobiles partes longe minori cum periculo obſidet, quibus *genuina inflammatio* non niſi maximo cum vitæ diſcrimine inhæret. Sic genuina enteritis merito inter acutiſſimos morbos recenſetur, quæ intra paucas non raro horas enecat. Nos interim rheumaticam ventriculi inflammationem, item aliam inteſtinorum vidimus, longo utramque durantem tempore, nec gravibus adeo ſymptomatibus ſtipatam, ac tandem benigne reſolutam, etſi ſanguinem emiſſum cruſta adeo craſſa obtegeret, ut vix aliquid rubræ partis conſpiceretur.

4to. *Genuina inflammatio* intra paucos plerumque dies concluditur, quocunque demum exitu finiatur. Raræ ſunt *veræ illæ ſimulque chronicæ* inflammationes, de quibus inferius erit dicendi locus. Verum *rheu-*

ma-

matica ad multas ſæpe ſeptimanas producitur, & oppido raro ſibi relicta intra exiguum tempus terminatur.

5to. *Rheumatica*, etſi ſubinde partem quandam peculiariter infeſtet, latius tamen ut plurimum diffunditur.

Febrilis rheumatismi diuturnitas, dolorisque vehementia, & motuum omnium impotentia ægros multum excruciarunt. Curato etiam morbo ſubinde ſtupor artuum, minorque ad motum aptitudo remanebant. Unus, alterve, licet apyretos dudum eſſet, atque artus moveret, quemdam tamen ad omnia rebellem doloris ſenſum experiebatur.

Varia eſt variorum in morbo ſumme dolorifico, tædioſoque medendi methodus, quarum plerasque in uſum aliquamdiu traximus, donec, quæ optima videretur, ſemper poſthac, cæteris repudiatis, retineretur.

Methodum antiphlogiſticam Sydenhami, qui eandem fere ac in vera pulmonum inflammatione, ſanguinis quantitatem detraxit, aliaque addidit vi refrigerante donata, etiam nos aliquoties ſequebamur. Verum vim medicationis hujus mali diuturnitas non raro eluſit, viresque ægrorum citius, ac morbum fregimus. Ægri per multas ſeptimanas immobiles decubuerunt.

Methodi hujus inefficaciam ipſemet Sydenhamus aliquoties expertus a repetitis ſanguinis detractionibus abſtinuit, aliamque inire viam ſtatuit, ut & ſanguini parceretur, atque quod magis intendebat, ut certiorem, brevioremque huic morbo medendi rationem inveniret. Hinc copioſum lactis ſerum exhibuit, ut eo ſolo, & ſimilagineo pane æger per multos dies victitaret.

Hac ratione dolentiſſimi rheumatismi cum exigua ſanguinis jactura, & temporis non mediocri compen-

 dio,

dio, tam ab ipſomet Sydenhamo, quam ab aliis quoque multoties percurabantur.

Gaſtritidem rheumaticam, itemque *rheumaticam enteritidem*, præmiſſa venæ ſectione & ſanguine ſumme phlogiſtico educto, ſolo lactis ſero, & tenui diæta ſat cito curavimus.

Eos ſubinde imitabamur, qui variis diaphoreticis multo liquido dilutis corpus replent, & regimine calidiori inſtituto morbi materiem per vaſculorum exitus, in ſuperficie corporis poſitos, eliminare annituntur. Verum morbi pertinaciam ſæpenumero non vicimus.

Varia adhuc alia ratione rebelli malo mederi ſategimus, verum morbus ſe ipſum potius tandem confeciſſe, quam remediis devictus videbatur.

Ubi topica materiæ rheumaticæ depoſitio erat, eaque parti cuidam firmius inhæſerat, optimo cum ſucceſſu veſicans quam proxime ad locum dolentem adplicabatur. Sic in *ophthalmia ſeroſa*, quam ad rheumatismos locales, ſive topicos, pertinere ſuperius dixi, veſicans ad tempora poſitum votis reſpondit. Hemicraniam, ortam ex retropreſſa ophthalmiæ ſeroſæ materia, veſicante penes locum dolentem adplicato curavimus, quem unguento digeſtivo, addito pauxillo ſaponis diu fluentem, eroſumque ſervavimus.

Odontalgiam ſeroſam, ſive rheumaticam, ſanabat ſatis cito veſicans ad angulum maxillæ poſitum; hoc enim loco nervus maxillam ſubintrans, qui ſuos ramulos ad radices dentium dimittit, ſero rheumatico vellicatus, laceſſitusque, cantharidibus adplicatis, liberabatur.

Anginas, utut graves, ortas a rheumate aut ſinapismus, aut veſicans, toti collo anteriori adplicatum, inſigniter mitigavit, & abolitam deglutiendi facultatem intra horas non multas reſtituit.

Dig-

Dignus notatu morbus erat *pleuritis rheumaticæ*, ſive ſymptomata, ſive methodum medendi ſpectes. Signa diagnoſtica collegimus ſequentia.

1mo. plerumque præcedebant artuum, ſive ſuperiorum, ſive inferiorum dolores lacerentes, rheumatici.

2do. hi ipſi dolores artuum pleuritidem ſæpenumero comitabantur.

3tio. pleuritis hæc incepit ſubinde absque horrore, aut cum frigore non diu durante, & levi, ubi vera pleuritis valido ut plurimum aliquot horarum rigore tragœdiam ordiebatur.

4to. ſtatim dolor lateris cum levi illo horrore ſe monſtrabat; cum e contrario dolor punctorius in genuina pleuritide primum poſt aliquot horas a valido illo rigore ſupervenerit.

5to. dolor in pleuritide rheumatica ad præcordia, ad abdomen, ad totum ſæpe thoracem, ad locum interſcapularem ſe extendebat, in genuina vero pleuritide dolor intra arctius ſpatium concludebatur.

6to. dolor pleuritidis rheumaticæ ſæpe ab uno loco in alium migrabat: ſtabilior is erat in genuina pleuritide.

7mo. attactum locorum dolentium perſæpe non ferebant in rheumatica pleuritide: contrarium in genuina.

8vo. plerumque in rheumatica ſano lateri facilius; in genuina vero eidem difficilius incumbebant.

9no. ſenſus oppreſſionis, difficiliſque ſpirationis, aut nullus, aut perquam exiguus in rheumatica; luculentior in vera pleuritide.

10mo. lingua, fauces in rheumatica albæ mucoſæque ut plurimum erant; ſiccæ in genuina.

11mo. cutis magis arida, ſiccitas narium, oculorum ſquallor, urinæ ruffæ, perpaucæ, alvus exigua in genuina; nihil horum vero ſymptomatum, aut ſaltem longe minus occurrit in rheumatica pleuritide.

12mo.

12mo. pleuritides genuinæ ſæpe in initio *ſiccæ* & absque ſputo fuerunt: perraro ſputabant mucoſa, crocea, ſanguinea, pleuritides vero rheumaticæ rariſſime *ſiccæ* erant, ſed tuſſis tenuit, ſputaque mucoſa, glutinoſa ſanguine ſtriata, idque mox in morbi principio. Sanguis in utraque pleuritidis ſpecie ſumme phlogiſticus, hoc ſolo diſcrimine, quod in pleuritide *rheumatica* cruſta fuerit craſſior ut plurimum, majorque, ita, ut parum, aut nihil ferme nonnunquam craſſamenti adparuerit. In *genuina* pleuritide cruſta plerumque contrahebatur fimbriis circumcirca aſſurgentibus.

13tio. pleuritis vera acutior erat, majorique cum periculo decurrebat, criſi diebus criticis peragendæ, & perturbationi criticæ ſubjecta; etſi vero pleuritis rheumatica ſputis & urina ſolvatur, nullam tamen certam legem natura obſervabat, juxta quam hæc morbi ſolutio contingeret. Non raro exortis ſudoribus ſolvebatur.

Sedes inflammationis rheumaticæ in hac pleuritidis ſpecie in pleura, muſculis intercoſtalibus, ipſis quoque pulmonibus fuit; hos enim ab inflammatione rheumatica affectos eſſe demonſtrabant ſputa ſanguinea.

Sectum nuper cadaver eſt hominis pleuritide rheumatica laborantis, cui portio materiæ rheumaticæ ad cerebrum, ejusque meninges delata phrenitidem, & mortem citam attulit. Si ex unica hac cadaveris ſectione concludi de ſtatu pulmonum inflammatione rheumatica laborantium quid poſſit, ſtatuendum erit, pulmones rheumatica inflammatione affecto, ſi in cadavere diſſecentur, aliquam duritiem cultro opponere, minorem tamen, ac ſi vera, & genuina inflammatione laboraſſent.

Pulmones vere inflammati hepatis ſubſtantiam duritie in diſſecando æmulantur, coloremque læte roſeum

ſeum exhibent. Præterea particula inde abſciſſa & aquæ injecta fundum petit. Verum pulmo rheumaticorum in aqua aut omnino non ſubſidet, aut difficilius, tardiusque. Colore naturali eſt, ita tamen, ut roſeis hinc inde filamentis intertextus adpareat. Cura conſiſtebat.

1mo. in venæ ſectione una vel pluribus, prout circumſtantiæ exigebant.

2do. in potu emolliente, nitroſo, tepido.

3tio. in adplicatione matura veſicantium ad locum dolentem, vel etiam quemcumque alium: ſubinde ſola antiphlogiſtica methodus ſuffecit, quin veſicantium neceſſitas fuerit. Verum ubi doloris acerbitas (ea enim perſæpe multo gravior eſt, quam in genuina pleuritide) venæ ſectionibus non mitigabatur, veſicans latum ad locum dolentem, vel inter ſcapulas &c. adplicatum, brevi dolorem omnem abſterſit. Vix tres horæ quadrantes ab admoto emplaſtro veſicante labebantur, cum jam doloris expertem ſe æger diceret. Hinc adparet, ab reſorpto veſicantium acri ſtimulo potius quam a diuturna loci affecti eroſione levamen hoc fuiſſe repetendum. Num ſinapismi eadem vi gaudeant, necdum experimento conſtat.

In rheumatica pleuritide, fracto morbi impetu, ſputis vero necdum ſatis attenuatis, kermes egregios effectus produxit.

In exhibendo kermes minerali, itemque in propinandis quibuscunque expectorantibus ex claſſe mineralium, non præmature agendum cenſuimus. Rebus enim jam in vado propemodum poſitis, medicamentum expectorans maturius, ac par eſt, exhibitum, novos febriles motus, venæ ſectione componendos, aliquoties excitabat.

Hæc morbi curatio fuit, quoties is ſimplex, nullique alteri jungebatur. Verum evenit non raro, ut

ut bilioſa ſimul colluvies adfuerit & *pleuritidem bilioſo-rheumaticam* produxerit. Hoc in caſu expendendum erat, quodnam in corpore vitium, *rheumaticum*, an vero *bilioſum* magis urgeat: unde modo huic, modo illi occurrebatur, & methodus pariter compoſita adhibebatur.

Pleuritidem rheumaticam cum *genuina pleuritide* complicari, atque in hanc abire aliquoties vidimus.

Litem inter Auctores medicos de uſu veſicantium in pleuritide agitatam componi modo poſſe exiſtimo, ſi ea *veræ pleuritidi*, *eique adhuc crudæ* noxia dicantur; alteri vero *rheumaticæ*, proficua. Atque id accurata praxis conſtanter probat.

Eſt fortaſſe, qui reponat, nunquam fuiſſe in controverſiam adductum, utrum veſicans pleuritidi rheumaticæ medeatur, id enim ab omni ævo in confeſſo fuiſſe; verum litem in eo verti, an in *vera*, *inflammatoria*, & *eſſentiali* proſit, aut noceat? ſed reſpondeo: eam, quam appello *rheumaticam*, apte quidem in ſcholis ab *inflammatoria* diverſam ſtatui, docerique; penes lectos autem ægrorum ſæpenumero utramque, non ſine gravi ægrotantium noxa, confundi, cum & in *rheumatica* perſæpe febris valida, dolor lateris atrox, cæteraque ſymptomata tam accurate veram ac inflammatoriam æmulentur, ut error confuſionis facillimus ſit, & quotidianus. Sed an adeo difficilis cognitu utriusque pleuritidis ab ſe invicem diſtinctio eſt, ut exercitatis etiam in arte viris impoſuerit toties, imponatque quotidie? non dignoverint practici inflammationem ab rheumate? id equidem ita eſſe, ex ſymptomatibus utriusque morbi vix diſſimilibus, atque ex Sydenhamo, uti mox oſtendam, certo liquet. Etenim capite V. ad propoſitum noſtrum apprime faciente, quam facile utraque pleuritis pro una eademque habeatur, quid ex hoc errore detrimenti, quæ medendi indicata methodus ſit, luculenter

ter docet, ubi conſtitutionem adulti autumni, hyemisque ſubingredientis ſequenti ratione deſcribit: » cum tempeſtas placida ac tepens, imo vero æſtatis ſimillima, præter ſolitum ad poſtremos usque » octobris dies perſeveraret anno 1675, eam vero » mox exciperet alia multum diverſa, frigida ſcilicet atque humida ſubito ingruens, tuſſes ubique » numeroſiores graſſabantur, quam alio quovis, » quod memini, tempore, nemini fere parcentes. » Quemadmodum tuſſis conſtitutioni opitulabatur in » febre producenda, ita etiam febris, occaſionem » ex tuſſi natam arripiens, jam pleuram ac pulmones haud aliter invadebat, ac caput invaſerat vel » ſeptimana illa, quæ harum tuſſium exortum fuerat prægreſſa, quæ tam improviſa ſymptomatum » mutatio nonnullis, qui minus diligenter adverterant animum, anſam præbuit, *febrem hanc pro pleuritide eſſentiali*, *aut eſſentiali peripneumonia habendi*, licet eadem omnino illa maneret, atque fuerat per integram hanc conſtitutionem. ------ *Et* » *quantumvis lateris dolor punctorius*, *ſpirandi difficultas*, *color detracti ſanguinis*, *& reliqua ſigna* » *pleuritidi familiaria*, *eſſentialem pleureſin ſubeſſe innuerent*, non aliam tamen medendi methodum poſtulavit hic morbus, quam quæ febri hujus conſtitutionis quadrabat, ab illa vero, quæ veræ » pleuritidi conveniebat, abhorrebat admodum. «

Jam vero hanc Sydenhami pleuritidem eandem fuiſſe cum *rheumatica noſtra*, methodum medendi æque eandem Sydenhamiana cum noſtris conferenti liquido conſtabit. Tota enim curatio apto regimine, una, raro repetita ſanguinis miſſione, & *epiſpaſtico* neuchæ adplicato abſolvebatur. Hac ratione *ſymptomata univerſa placide ſolebant evaneſcere*, *cum qui morbum ferocius*, *atque hoſtili manu adgrediebantur*, *ingenti remediorum molimine bellum inferen-*

rentes, vel ſuos ægros amitterent, vel ſaltem phlebotomia ſæpius repetita quam vel poſtulabat morbi genius, vel & tuto ferebat, eorundem vitam redimere cogerentur.

Hinc rationes, ex theoria, ab egregio plurimumque de re medica merito Tralleſio, petitæ, veram utique pleuritidem concernunt; verum eas ad *rheumaticam*, utut æque periculoſam, æque laborioſam, difficilemque, & ſæpe non niſi ab oculatiſſimo a *vera & eſſentiali* internoſcendam, adplicatas refutat certa, indubitataque experientia. Neſcimus equidem adæquatas rationes, quare febre licet, & hic præſente, & ſubinde validiſſima, veſicans, ſtimulantiſſimum remedium, *in pleuritide rheumatica* dolorem tollat, febrimque: at vero ratiunculas noſtras, utut perpulchras, ſilere fida rerum, aliter, ac ratiocinabamur, ſe habentium, obſervatio jubet.

Sed quomodo cantharidum ſtimulus cum cruſta illa phlogiſtica, huic pleuritidis ſpeciei præprimis propria, ut ejus craſſities ad ſigna diagnoſtica pertineat, concordat? quomodo acerrimum hoc, & ſummopere movens remedium cum febre convenit? Novimus has difficultates, quas aliis enodandas relinquimus, contenti utramque ſpeciem pleuritidis bene diſtinxiſſe, aptamque utrique medelam adhibuiſſe.

Pleuritides, ab eximio Pringlio obſervatæ, curatæque, præſentem in hoc morbo veſicantium opem indubiam reddunt. Sed has ex tribu *rheumaticarum* fuiſſe, ea, quæ ex ipſo præclaro Auctore referam, convincunt. Etenim morbus hic anno 1743. in Belgio, tempore verno, noctibus adhuc frigidis, nebuloſis, ſole vero interdiu paulo magis calente, amænoque, alterna frigoris, caloriſque commutatione, commoratione ſub tentoriis, loco videlicet humido erectis, in milites ſævíit. Plurimi fuere pleu-

pleuritici, & peripneumonici, nec multo minor rheumatiſmo laborantium copia, ut hinc ex ipſo æquali propemodum, & rheumate, & affectis pulmonibus decumbentium, numero, utriusque morbi affinitatem conſpicere liceat.

Præterea *dolor pleuriticus ſæpe adeo extendebatur, ut inflammationem viſcerum abdominalium mentiretur.* Pringle §. 4. edit. germanic. *Veſicantia in morbi initio ſtatim poſt primam ſanguinis miſſionem, imo & priusquam ea inſtituta fuiſſet, modo paulo poſt ſubjungeretur, adplicabantur. Dolore hac ratione ſublato, conſultum videbatur, alteram phlebotomiam celebrare, niſi fors obortus ſudor dolorem ſolverit, ubi nulla amplius remediorum neceſſitas ſupererat. Idem ibid.*

Hucusque recenſita cum mea hujus pleuritidis deſcriptione belle congruunt, morbique genium declarant, atque uſum cantharidum præſtantem tot inter ægros, obſervante egregio Pringlio, cuicunque demum hypotheſi contrariæ ſuperiorem faciunt. Id adhuc addo, cl. Auctorem ſedem mali non in pleura, ſed in pulmonibus ſtatuere, ſectionibus Morganii & Halleri convictum.

En jam canones circa uſum veſicantium in pleuritide obſervandos.

1mus. veſicantia in pleuritide rheumatica, ferme ſpecifica ſunt, debentque mox in morbi principio adplicari, præmiſſa ſanguinis miſſione, ſubinde & iterata.

2dus. ſuppuratio poſt excitatam veſiculam excitari non debet; hinc epidermis non auferatur. Medicamenta ſuppurationem excitantia dolores inanes faciunt, & febrim augent; non enim ſuppuratio, ſed ſtimulus veſicantium prodeſt.

3tius. vim cantharidum medicatricem experiuntur ægri, cuicunque corporis parti veſicans adplicetur. Præplacet tamen locus inter ſcapulas medius. Sedes

enim hujus pleuritidis pulmo eſt, aut membrana pulmonem veſtiens, uti ſupra oſtenſum.

4tus. veſicantia *pleuritidem veram*, atque *inflammatoriam* exacerbant: hinc quamdiu phlogoſis viget, ab iisdem omnino abſtinendum.

5tus. neque, inſtituta una alterave phlebotomia in pleuritide inflammatoria, confugiendum mox ad veſicantia eſt. Atque ut paucis dicam, quamdiu aliqua adhuc inflammatio adeſt, etſi ea ob celebratas ſanguinis miſſiones a ſuo vigore multum remiſerit, quin imo, quamdiu vel prudens ſuſpicio, metusque eſt, ne denuo phlogoſis recrudeſcat, veſicantia periculoſa ſunt.

6tus. quod ſi vero fracta penitus phlogoſeos vis ſit: ſi præcedens ægrotantis conditio in ſtatum contrarium, nimia ſcilicet fibrarum elaſticitas tenſioque in laxitatem, humorum inflammatoria denſitas in lentorem oppoſitum frigidumque, eorundemque abundantia in penuriam abiverit; ſi præterea expectorandæ materiæ copia pulmones inundet, opprimatque, aut ejusdem viſciditas eos infarciat, vis dejecta vitæ anacatharſi haud ſufficiat, veſicantia palmare auxilium ſuppeditabunt.

7mus. in *pleuritide & peripneumonia bilioſa* cantharides, antequam gaſtricum ſyſtema repurgatum ſit, nocent. Etenim ſudores noxios movent, alvum tardiorem reddunt, & materiam circa præcordia hærentem intra humorum circulantium territorium propellunt.

8vus. ſi vero vacuato ventriculo & inteſtinis, tenax illud, viſcidumque ſputum, uti in pleuritide bilioſa fieri aſſolet, difficilem anacatharſin faciat, potus largus, calidus, mitiori ſtimulo aromatico armatus, & adplicata ſimul veſicantia omnem paginam abſolvunt.

Rheumatismos febriles ad lumbos ſæpe, ad coxam,

xam, & femur ſæpiſſime curavimus. Adeſt dolor ad acetabulum, & motus impotentia. Dolor hic per femur externum ad caput fibulæ usque, quin etiam ad malleolum decurrit. Subinde & lumbi, & inguina dolent. Nonnunquam nullus dolor, ſed femoris ſtupor, & gradiendi impotentia vexat. Hoc in caſu ad caput fibulæ, ſive ad externam genu partem, methodo Cottuniana, latum veſicans adplicabatur cum inſigni emolumento. Aliquoties veſicans acetabulo admovebatur. Dabantur lenia diaphoretica ex ſambuco & ſtibio diaphoretico non abluto: loca veſicantibus tentata diu fluentia conſervabantur: hunc in finem unguentum digeſtivum cum pauxillo ſaponis illitum eſt. Eadem methodus in lumbagine rheumatica profuit.

Aliam rheumatismi ſpeciem, ſuperius jam explicatam, etiam hoc menſe, ſed multo rarius, vidimus, ubi colluvies bilioſa ſyſtema gaſtricum occuparat.

Habuimus quosdam his artuum doloribus affectos & febrientes, qui omnes bilioſi apparatus notas exhibuere, ubi dato emetico, & cacochylia bilioſa rejecta, dolores artuum illico evanuerunt.

Hanc ſpeciem rheumatismi, bilioſam ſcilicet, a reſorptis particulis acribus e ventriculo, & ad artus depoſitis, ubique nervos vellicantibus ortam, frequenter in febribus bilioſis, autumnalibus, diuturnisque obſervari tunc imprimis, quando eæ præmaturo corticis uſu ſufflaminantur, & materiæ debita præparatio, evacuatiove prægreſſa non eſt, ſupra jam diximus. Id adhuc præcedentibus addo, ægrum intempeſtiva corticis peruviani exhibitione curatum, utut a febre liberum, chronicis tamen artuum doloribus, eoque morbo vexari, quem Sydenhamus *rheumatismum ſcorbuticum* appellavit, quemve ex nimis diuturno corticis hujus uſu provenire arbitrabatur. Verum non cortex, ſed uſus ejus præmaturus ante

requiſitam materiæ febrilis coctionem, & evacuationem hoſce rheumaticos dolores genuit.

J U N I U S.

Menſe hoc conſtitutio aëris moderate calida, ſiccaque fuit: ſed ventis frigidis ferme quotidie agitata, unde factum, ut quieſcente vento corpora facile in ſudores ſolverentur, eodem denuo revertente compreſſos.

Initio hujus menſis ad medium usque continuæ remittentes tertianæ, & quædam quotidianæ frequentes fuere, quæ fere omnes emetico, ſolventibus, & eccoproticis per epicraſin propinatis obedivere. Pauciſſimæ malignitatem minatæ, cortice peruviano ſanabantur. A medio fere menſe ad ejusdem finem usque pleuritides, peripneumoniæve библиoſæ rarius viſæ ſunt, copioſiores vero rheumaticæ. Rheumatismi univerſales, iſchiades plures, ac alias, comparuere. Menſe quoque ad finem vergente, quibusdam, morbo bilioſo laborantibus, petechiæ ſupervenerunt, quarum eruptio morbum neque graviorem, neque faciliorem, reddebat.

Etſi veræ pulmonum inflammationes non hoc ſolum menſe, ſed & toto hoc verno tempore ſolito rarius viderentur, nihilominus cum pleuritidem bilioſo-inflammatoriam, ſive pleuritidem veram & eſſentialem cum vitio primarum viarum bilioſo junctam, multarumque feracem obſervationum, curaverimus, juvat ejusdem hiſtoriam referre.

Vidua annos 55 nata, quæ integra a longo jam tempore ſanitate fruebatur, die 14ta Junii circa veſperas horret per aliquot horas, dein æſtuat, ſitit magnopere: nox inquieta.

Altero die (15ta) mitius æſtuanti circa meridiem pectus opprimitur, latusque dextrum a coſtis ſpuriis ad mammam more pleuritico dolet. Tuſſitatio frequens,

quens, ſputa nulla, laborioſa reſpiratio, atque cubandi in latus dolens difficultas ſumma. Sanguis mox eductus ex brachio eſt: cruſta ſumme phlogiſtica, & oppreſſionis levamen, brevi tamen evanidum; rediit enim & dolor lateris, & oppreſſio pectoris paulo poſt. Ea veſpera denuo horruit mitius, minusque diu, ac pridie: æſtus: nox anxia.

Die 16ta mane eadem. Sputa nunc mucoſa, ſanguine tincta. Fit denuo venæ ſectio: ſanguis idem, & idem levamen. Veſperi horror. Nox, uti pridie.

Die 17ma mane eadem omnia. Ad meridiem dolor, tuſſis, & oppreſſio augentur. Sputa jam nulla. Veſperi horror: æſtus. Nox ut antea.

Die 18va ægra mitius per omnia ſe habere aſſerit: tuſſitat: ſputa mucoſa, flava. Latus non dolet, & facilius in latus ante dolens cubat. Levis veſperi horripilatio: nox quietior.

Die 19na ad Noſocomium deportatur. Dolor lateris vix ullus, nullus oppreſſi pectoris ſenſus. Cubatus in omnem partem facilis. Tuſſis rara: ſputa pauca, mucoſa, flaveſcentia: pulſus naturali modice celerior, ſubdurus; lingua bilioſa: ſitis multa: ſapor bonus: alvus hucusque facilis. Non appetit. Capite non dolet: moderate calet, animus præſens, & alacer: prompta reſponſio: actorum adcurata narratio, facilisque, quamcunque in partem vellet, converſio. Vis muſculorum quaſi mediocriter ægrotanti, aut ſanæ propemodum. Reſpiratio, utut ipſimet ægræ facilis videbatur, citiſſima tamen, & abdomine potius, quam thorace, peragebatur. Inſtituta ſanguinis miſſio: ingens cruſta. Potus antiphlogiſtici, copioſi. Exigua emendatio. Nulla veſperi horripilatio. Somni turbati.

Die 20ma nihil incommodi queritur. Omnia uti pridie, pulſus ſolum fortior, pleniorque heſterno. Reſpiratio citiſſima, ſolo ferme abdomine peracta:

 fit

ſit venæ ſectio : ſanguinis cruſta phlogiſtica tanta eſt, ut vix aliquid cruoris appareat. Levamen exiguum. Circa meridiem pectus ſibi opprimi queritur : genæ intenſius rubent, cita & parva reſpiratio cum intercurrente levi per intervalla animi deliquio. Hic inde parvæ in pectore petechiæ colore roſeo conſpiciuntur. Denuo ſanguis mittitur a meridie, atque iterum veſperi, unde melior aliquantum reſpiratio fiebat, ſomni noctu longiores.

Die 21ma Junii, omnia ut heri veſperi. Sed cum ſpirandi difficultas denuo inciperet, pulſuſque ſemper pleni, fortes, & ſubduri, etſi magna identidem ſanguinis copia demeretur, perſiſterent, binæ hoc die venæ ſectiones inſtitutæ ſunt, & adplicatum ad pectus veſicans eſt. Cruſta phlogiſtica eadem. Veſperi larga diaphoreſis, & reſpiratio multo quam hucusque melior. Somnus tranquillus, protractus.

Die 22da Juni, cum diem morbi octavam agit, diaphoreſis heri cœpta continuat. Urina per totum morbi decurſum tenuis, atque ex ruffo crocea, nunc citrina eſt. Pulſus, qui toto morbi tempore naturalibus non multum celeriores, pleni tamen, & ſubduri fuere, nil modo vitii habent. Pauciſſimæ petechiæ : alvus hodie ſæpe mota ſuapte eſt. Sputa vix ulla ; & reſpiratio emendata : nox bona.

Die 23tia continuat diaphoreſis, alvus cocta, frequentèr ſua ſponte mota, cætera ut heri. Nox bona.

Die 24ta larga diaphoreſis, per omnia bene habet.

Die 25ta Junii mane nulla diaphoreſis, oris amaror, ſitis magna : a meridie alvus denuo ſponte fluit : nox bona.

Die ſequenti cum adhuc aliquoties ſponte dejiceret, oris amaror, & ſitis diſparuere, atque inde nil amplius

plius moleſtiæ paſſa, recuperatis brevi viribus, a nobis ſana diſceſſit.

En periculoſam pulmonum inflammationem, vitio bilioſo ſyſtematis gaſtrici ſtipatam.

Vere exacto, ſub exordium æſtatis morbi inflammatorii ſenſim pedem quotannis retrahunt, deſertamque ab iis ſtationem bilioſi occupant. Hoc fere tempore, quod utramque hanc anni partem, ver ſcilicet, & æſtatem nectit, mixtum quoddam morborum genus plerumque dominatur, ex verna phlogoſi, & bile æſtiva compoſitum. Medendum utrique malo eſt, ſed illi promptius, quod gravius urget. Hinc omnem propemodum in ſolvenda pulmonum inflammatione operam conſumpſimus, crudam ventriculi colluviem, quæ modum non excedebat, copioſo potu enervantes.

Tranſitum pleuritidis in peripneumoniam malum eſſe, Hippocrates aſſerit, & aſſertum hoc obſervatio comprobavit. Cum enim inflammatio pulmonum, quæ & pleuritidi & peripneumoniæ ex æquo convenit, altius penetraret, difficiliſque per hoc viſcus humorum circuitus ſanguinis a capite refluxum moraretur, rubuere genæ, reſpirationem abdomen peregit immoto thorace, preſſumque ab accumulato humore cerebrum doloris ſenſum, præſente licet ejusdem cauſa, abſtulit. Hinc pleuritidem eousque intenſam, ut omnis moleſta ſenſatio, cerebro laborante, pereat, cum periculo in peripneumoniam abiiſſe Hippocrates jure dixit.

Mentis præſentia, alacritas inſolita, præteritorum exacta memoria, & narratio prompta cum inſolita quadam, etſi ad rem adcurate pertinente, loquacitate, attentum medicum adeo non decipit, ut, hoc ipſo *infido levamine* de graviſſimo periculo admonitus, perniciem, ægri jugulo intentatam, univerſo artis apparatu quantocius avertere connitatur.

Inſidum id levamen eſſe præcipue reſpiratio docuit, quam maxime, ac fere unice in morbis pectoris obſervandam Baglivius voluit. Hæc ſi prava fuerit time ſemper, etſi omnia reliqua eventus exoptatos portendant.

Inito calculo ſeptuaginta ſanguinis unciæ iteratis venæ ſectionibus eductæ ſunt. Copioſi potus ex decocto hordei, & oxymelle propinabantur. Regimen univerſim frigidiſſimum fuit: nihilominus petechiæ, etſi paucæ, comparuere. An ergo petechialis eruptio ſoli regimini calido debetur, & prava artis pravæ progenies eſt?

J U L I U S.

Ineunte Julio minor atmoſphæram calor, quin & frigus tenuit, ac pro hujus temporis ratione alias ſolet. Circa medium aër incaluit, at neque hic juxta morem aliis annis ſolennem. Ultimi menſis dies ejusdem principio reſpondebant. Fructus horæi pauci, incipidi.

Febris hoc menſe inter infimam plebem ſæpius ac præteritis menſibus apparuit, quam malignam, & petechialem ab efflorentiis petechialibus, aut petechizantem appellant, ob id, quod, etſi ægros perſæpe nullo exanthemate pingat eadem nihilominus ratione decurrat, & iisdem cæteroquin ſymptomatibus ſtipetur.

Quæ circa febres exanthematicas, aliasque congeneres obſervavi, in futura tempora rejeci, donec lectis, collectisque aliorum, quæ huc faciunt, ac inter ſe, & cum meis comparatis obſervationibus, cum tam multiplex haſce febres contemplandi occaſio in eo populi, ad hocce Noſocomium affluxu, ſeſe quotidie offerat, limatius quid dare potuero, quodve in tanta opinionum circa hanc rem, tamque ancipiti

cipiti varietate, in emolumentum artis, & miſerorum mortalium cedere queat.

PLEURITIS OCCULTA SIVE LATENS.

Morbus eſt, aut potius morbi cujusdam gravioris fomes perpetuus, quem Baglivius pleuritidem, aut peripneumoniam *latentem* appellat. Hanc cum initio hujus menſis aliquoties, & fere ſolito frequentius viderim, breviter delineandam cenſui.

Cognitu non raro difficilis hic morbus eſt, quod characteribus formatæ jam, veræque pleuritidis aut peripneumoniæ maximam partem deſtituatur. Febris nulla prorſus plerumque eſt; decubitus in utrumque latus aut facilis, aut non multum moleſtus. Tuſſicula rara, ſicca, aut cum ſputis paucis, coctis, mucoſis. Lingua modiciſſime albeſcens, ſitis nulla, oppreſſio pectoris non niſi in motu corporis, appetitus vigens, nulli febriles per intervalla motus, aut exigui. Nihilominus malum hoc ſi negligatur, aut in formatam gravemque, & univerſaliorem pulmonum inflammationem exſurgit, aut, quod pluries fit, in pulmonum indurationes abit, atque tubercula producit, aut, quod æque frequenter contingit, in phthiſin terminatur.

Plures ſunt phthiſici ex neglecta exigua hac pleuritide, quam ex ſæviori graviorique pulmonum inflammatione facti, non quod major in phthiſin hujus morbi proclivitas ſit, ſed, quod aut prava tractetur methodo, aut curæ indignus habeatur, negligaturque.

Detegitur hæc occulta pleuritis aut peripneumonia.

1mo. ex deſcriptis ſuperius ſymptomatibus.

2do. ſi æger modo in hoc, modo in alterum latus ſeſe convertere jubeatur, atque attendere, num quilibet decubitus æque ipſi facilis ſit: num fors uni lateri incumbens tuſſitare debeat: num anguſtiorem ipſi, difficilioremque fieri ſpiritum in hoc potius ſitu, quam in alio experiatur.

3tio. æger jubeatur fortius inſpirare, exploreturque, num is inter reſpirandum aliquid in pectore incommodi, aliquem dolorem punctorium, ardorem, preſſionemque ſentiat.

4to. data opera validius aliquoties in vario corporis poſitu tuſſitet, & attendat, num quid moleſti, pungentis, ardentis, prementisque doloris ſentiat.

5to. ſtatus ægri prægreſſus diligenter examinetur. Sunt enim morbi, qui haſce pleuritides occultas, & peripneumoniæ ſæpiſſime poſt ſe reliquunt. Nam:

1mo. poſt veram & eſſentialem pleuritidem, eamque debite curatam, judicatamque, nihilominus reſtitat nonnunquam aliquid in thorace incommodi, ea ratione, qua paulo ante dixi. Nulla interim febris adeſt, & perfecta adeſſe ſanitas videtur, ſi exiguum illud moleſtæ ſenſationis excipias, ob quam, poſtquam reconvaluerint jam ex morbo, data quacunque occaſione relapſus denuo in peripneumoniam, aut pleuritidem fit; nam leve hoc poſt pleuritidem incommodum rarius ab adhæſionibus novis pulmonum cum pleura, frequentiſſime vero a ſuperſtite exigua phlogoſi, particulam pulmonis pertinacius occupante, deduci poſſe videtur. Hinc ejusmodi ægri, etſi a morbo reſtituti, perpetuum tamen novarum pleuritidum fomitem intra thoracem fovent.

2do. poſt rheumatismos febriles, ac inflammatorios, poſt pleuritides, ac peripneumonias *rheumaticas* idem accidit.

3tio. ſunt, qui, prægreſſo catarrho per multas ſeptimanas, quin & menſes, levi alterutrius lateris dolore, ardo-

ardore quodam, licet exiguo, oppreſſionis ſenſu ſputis non purulentis, ſed puriformibus, coctisque vexantur, quin propterea decumbant. Hos levior hæc & occulta Baglivii pleuritis ac peripneumonia afficit.

4to. qui pulmones tuberculis obſitos habent, ſi quacunque ex occaſione incaluerint, vino, motu, ſole, atque circuitum humorum incitarint, his ſæpe unum alterumve tuberculum inflammatur, quin propterea febre univerſali totumque corpus prehendente corripiantur.

Diagnoſin ex hucusque dictis formare facile eſt. Eſt ſcilicet levis inflammatio particulæ ſolum pulmonis, quæ diu latere non raro poteſt, quin propterea noto quodam phlogoſeon exitu terminetur. Certum enim eſt, dari morbos inflammatorios *etiam chronicos*, phlegmonem *veram ſed chronicam*, quæ diuturno tempore cruda perſiſtit, antequam vel benigne reſolvatur, vel in ſuppurationem abeat, vel induretur, vel gangrænescat.

Prognoſin quod ſpectat, id ſciendum, occultas haſce pleuritides, ac peripneumonias vel in morbum gravem, acutum, inflammatorium abire, vel benigne reſolvi, ſi detegatur, & apta curatione tractetur, vel more aliarum partium inflammatarum, in ſuppurationem verti.

Hæc vomicarum clauſarum in pulmonibus frequentiſſima geneſis eſt. Cura eſt antiphlogiſtica omni modo. Venæ ſectio una, quin & plures ſubinde requiruntur, & emulſa nitroſa, potus emollientes cum oxymelle, & nitro. In pleuritide hac *occulta*, quæ a materie rheumatica illuc depoſita provenit, veſicans ad locum dolentem applicatum optime convenit.

Pleuritidem *veram inflammatoriam*, *ſed chronicam* aliquoties videre eſt in hominibus collo longo, corpore gracili, pectore compreſſo exiguove, genis roſeis, fibra tenera, delicataque, ac ſumme irritabili dona-

donatis. Hic longiſſimo tempore cruda inflammatio perſtat absque aliquo conſueto inflammationum aliarum exitu. Tandem ſputa cocta, non *purulenta*, ſed *puriformia*, qualia concocto catarrho ſolent, prodire incipiunt, copioſaque, quæ pectoris oppreſſionem, doloremque punctorium mininuunt. Verum cum ea mangna quantitate & diuturno tempore evacuentur, æger emaciatur, contabeſcit, moritur, quin unquam vere purulenti quid deprehenſum fuerit. His ſi emollientia, mucilaginoſa præſcripſeris, facile ferunt, pectore non gravantur, interim aucta ſputorum quantitate magis emaciantur. Remedia tonica, lichen islandicus, egregius alias in alia phthiſeos ſpecie, materiam expectorandam ſupprimunt, & pectoris incommoda augent. Balſamica, cortex, equitatio *hanc phthiſeos ſpeciem* brevi mortiferam efficiunt.

Qui deſcripto corporis habitu, tenui delicatoque præditi ſunt, multoties ſanguinem ſputant: hos iterato, ſed parca ſemper quantite miſſus ſanguis, diæta vegetabilis, & antiphlogiſtica vivendi ratio ferme ſemper relevat, in multosque conſervat annos, quos methodus roborans, adſtringens, balſamica in phthiſin veram, conſummatamque, ac mortem malorum finem præcipitat.

AUGUSTUS.

Conſtitutio ſicca, æſtus magni, nullis, aut non niſi raris imbribus ſubinde temperati. Ultimi menſis dies ſereni æque, ſed quidam eorum perfrigidi fuerunt.

Fructus horæi pauciſſimi, immaturi, inſipidi.

Diarrhœæ multæ, dyſenteriæ non paucæ, choleræque viſebantur: menſe inclinante febres putridæ, petechiales, continuæ, quotidianæ, tertianæ.

Maximus hoc menſe ægrotantium numerus fuit,

at morbi plerumque faciles , non diuturni : funera pro tanta ægrorum copia perquam rara.

Hoc tempore æque ex primis viis laborabant, ac præterito : attamen id diſcriminis inter morbos biliofos hujus & præteritorum menſium interceſſit, quod, qui nunc ægrotarunt , vomuerint difficilius, vitellina , amurcoſa , glutinoſa , gluten ſcriniariorum , aut ichtyocollam æmulantia, & univerſim pauciora, non ex defectu materiæ gravantis, ſed, quod ob ejus tenacitatem pars magna reſtitaret, nondum mobilis, aut excretioni apta; pars autem alia, eaque non exigua , abſorpta infarciret vaſorum ſyſtema , maſſam circulantium humorum coinquinaret, & vaſculis infixa hæreret altius. Ob eam rationem repetita emeſi non raro opus fuit, quam per epicraſin exhibita ſæpius ipecacuanha movimus.

Id hoc menſe aliquoties nobis contigit , ut radix hæc, quacunque ratione exhibita , aut nullam , aut non niſi unicam cieverit emeſin , quia, ut opinor, ejusdem vis , ſtimulusve multo glutine obvolutus iners reddebatur. Id præterea eſt obſervatum, eos, qui dato emetico non vomuerant, ea ferme proportione, pejus manifeſto habuiſſe, qua , qui probe vomuerant , ſtatim a vomitu levabantur. Circa finem menſis, relicta ob rationem recenſitam radice ipecacuanha, cujus vires hucusque periclitari voluimus, ſolutionem tartari emetici reſumpſimus, eventu, quem ſperabamus, exoptato.

Continuæ remittentes , quarum exacerbationes aut ſtata rediere lege, aut per incertos periodos recurrerunt , medicamentis ſolventibus , & interpoſita nonnunquam tartari emetici ſolutione, eaque ſæpius aliquando repetita , ſanabantur. Id ſolum peculiare hujus temporis febres habuere, quod & potentioribus indiguerint ſolventibus , & emetico validiori. Hinc quibuscunque ſpiſſum in ore gluten , lingua gla-

glabra, prærubra, præcalida, conſimili vitio præcordia laborare, ac morbum difficilius ſolvendum monſtrarat, remedia convenerant, quæ præter ſapones vegetabiles, ſalem quoque ammoniacum, glutinoſa potentius diſcidentem continerent. Solennis nobis formula fuit, quæ aquæ ſambuci Unc. v. oxym. ſimplicis & roob ſambuc. ã Unc. I. ſal. ammon. Dr. ij. — iij commiſcet, & partitis vicibus intra 24 horas propinat.

Hiſce uſi continuo ſumus, niſi, quod intercalari tempore ſubinde data potio emetica fuerit.

Obſervatum hac tempeſtate eſt, neminem ægrorum noſtrorum, aſſumpto hoc ſale, de moleſto ad cardiam ſenſu queſtum fuiſſe, quod tamen vernis menſibus frequenter evenerat, ut tunc temporis a multo minori ejusdem doſi, non raro ob ægrorum querelas abſtinere debuerimus. Major ſolidorum inertia, mucusque hoc tempore & copioſior, & tenacior ventriculi latera obliniens, obſervati phœnomeni rationem, ipſiusque medicamenti incidentis, attenuantisque aptitudinem demonſtrat.

Plerisque, quibus vis vitæ ſufficiens, & ſubigendæ materiæ par fuit, hac ſola ratione profuimus. Verum ubi materiæ alienæ copia, aut tenacitas tanta erat, ut vires coctrices, fors ineptis venæ ſectionibus, aut undecunque, dejectæ, ſolo ſalis hujus adjumento eandem ſubigere, & per vias congruas eliminare non valerent, optato cum effectu radicis Arnicæ pulverem junximus. Multæ rationes ſunt, alia occaſione explicandæ, cur in febribus plerisque gaſtricis, meſentericis, putridis, malignis, quibus vulgata modo praxis corticem peruvianum opponit, radicem hanc a ſolertiſſimo Collinio, viro de arte noſtra egregie merito, multiplices in uſus tractam, præſtantiſſimo cæteroquin peruviano remedio præponam. Diarrhœas maligne febrientium diuturnas,

quæ-

quæve vires convellunt, hæc radix præ quovis alio medicamento fortunate compreſſit.

Salis quoque ammoniaci multiplex commendatio apud practicos ſemper fuit, isque in antiſepticorum non vulgarium familiam recipiebatur. Verum cum morborum horum autumnalium geneſin, præcipue paulo pertinaciorum, in craſi ſanguinis ſoluta, ſepticove fluidorum ſtatu reponerent, & effectum non neceſſarium pro cauſa reputarent, cumque inſuper non paucos hoc ſale adjutos, eos potiſſimum, quibus inciſum hocce remedio gluten fuerat, conſpicerent, concluſionem de vi ſalis ammoniaci antiſeptica formarunt.

Dyſenteria longe, lateque per urbem, ſuburbia, atque circumjacentem agrum hoc menſe graſſabatur. Morbus hic quosdam bene per omnia ſe habentes repente invaſit, ita, ut alvum primo bonam, dein cruentam mucoſamque ponerent. Ad finem menſis quosdam tormina, & alvus ſtatim cruenta, cum recte paulo ante adhuc valerent, quaſi ex compoſito & non opinantes corripuere. Quidam febrim per dies complures paſſi ſunt ex continuarum remittentium claſſe: tandem in dyſenteriam morbus convertebatur. Alii per multos dies tormina patiebantur: demum alvus ſupervenit dyſenterica.

Fuerunt, qui per aliquot dies laſſitudinem, & dolorem urentem circa ventriculum queſti ſunt, dein, eo ceſſante, torminibus vexari circa umbilicum, ſuccedente paulo poſt alvo dyſenterica, ceperunt. Obſcurior febris in plerisque obſervabatur, quamdiu dolor abdominis, & tenesmus urgebat. At ſymptomatibus hiſce evaneſcentibus, etſi cruenta, mucoſaque perſtaret alvus, motus tamen febriles nulli amplius advertebantur. Paucis & ante dyſenteriam, & ea vigente febris continua fuit, mitior, ut plurimum, & per incertas periodos exacerbari ſolita. Dejectiones

nes primæ fuere rariores, fæces vero copioſiores: aucto ſequentibus diebus dejectionum numero, & tormina, & teneſmus æquis fere paſſibus increvere, at minor tunc excretorum identidem quantitas fuit, & fæcibus ad initium bonis ſucceſſit varia colore & conſiſtentia materies, æruginoſa non paucis, quibusdam amurcoſa, profunde viridis, mucoſa, ſanguini commixta. Morbo jam confirmato acceſſit mictus frequens, ſtrangurioſusque: lotium parca quantitate ſingulo mictu miſſum, bilioſum, ac ſaturate flavum fuit. Dolor abdominis quibusdam continuus, pleriſque per intervalla ſolummodo recruduit, proxime ſecuturæ dejectionis nuntius. Abdomen dolens attactum paulo rudiorem non tulit. Pauciſſimi ingens ſolummodo pondus absque dolore circa umbilicum querebantur. Cardialgia morbi ſubinde prodromus, eo jam vigente aut nulla, aut multo minor. Lingua pura, aut parum abludens ab habitu naturali: ſapor vitioſus, attamen minus ac tempore morbum proxime præcedente: & univerſim is oris & ventriculi ſtatus, qui ſordes bilioſas, acresque profundius ſitas demonſtraret, quam ut ejus præſentiam lingua, & fauces loquerentur. Nulli vomendi conatus: nauſeæ nullæ.

Varia methodo huic morbo medebamur, & plurimos ſanitati reſtituimus integræ. Unus, cum diutius jam extra Noſocomium decumberet, mortem occubuit dyſentericam, atque alius hydropem incidit. Morbum in quibusdam pertinacem experti, animum omnem in partem convertebamus, ut breviorem tutioremque medicinam faceremus. Tandem ſub menſis finem, atque per totum Septembrem, & ſub exordium Octobris, ſtabilem dyſentericis medendi rationem amplexi, quam plurimos, intra non multum tempus, & cum conſtantia ſanavimus.

Nunc,

Nunc quæ ad initium Auguſti acta ſunt, paucis referam.

Ipecacuanham primis, qui obvenerant, ægris propinabamus. Verum decantatum hoc antidyſentericum non ita profuit, uti binis conſequenter annis profuiſſe in Hungaria videram. Rationem hanc eſſe arbitrabar, quod materies morbum committens craſſa ſupra modum eſſet, parietibus ſyſtematis gaſtrici firmius adhæreret, aut ipſa fortaſſis materiæ dyſentericæ ſedes profundius in inteſtinis, atque ita ſita fuerit, ut ipecacuanha revocari, & per os rejici nequiverit.

In Hungaria, ubi radicem ipecacuanhæ eximie conduxiſſe dyſentericis dicebam, oris amaror, vomitus, vomituritiones, anxietas, præcordiorum moleſta ſenſatio gravius multo ægros afflixerunt, quam in hujus tempeſtatis dyſenteria, ubi ventriculi læſi ſigna perpauca viſebantur.

Levioribus dyſenteriis, & ad quas ſanandas primis ſtatim diebus accerſebar, ſequenti ratione in urbe, & ſuburbio vicino medebar: ſcilicet, injuncta tenui diæta, æger omni hora, aut ſingulo ſaltem bihorio diu noctuque vaſculum ſeri lactis ſumpſit, in cujus lib. iij. ſolutæ erant pulpæ tamarindorum Unc. iij. adjecta exigua doſi liquoris anodyni mineralis Hoffmanni. Quibusdam infuſum rhei aquoſum cum emolumento dedi. Hoc remedium continuabatur per duos plerumque dies, quo tempore dolor abdominis, teneſmus, ſtranguria ferme ex integro diſparuere: at eadem dejectionum cruentarum, mucoſarumque frequentia manſit. Contigit aliquoties, ut poſt numeroſas dejectiones liquidas, dura tandem ſcybala ſubſequerentur. A veſpertino anodyno deſtiti, ni continuæ fors dejectiones omnem omnino ſomnum præpedirent, quod cum fieret, granum laudani exhibitum exiguam ſaltem ægro quietem,

refocillandis viribus adeo neceſſariam, conciliavit. Tandem, ubi a doloribus immunitas aderat, alvus tamen frequens æque ac antea eſſet, pulveres exhibui e myrobalanis, rheo toſto, & opii pauxillo compoſitos.

In quibuſdam gravioribus dyſenteriis, alvo tenesmoidea, frequentiſſima, mucoſa, cruenta, torminibus ſtipata gravibus, plus emolumenti, durante primo ſtadio, mihi viſus ſum obſervare a pulpa tamarindorum, aut prunorum ſoluta in decocto hordei, omiſſo ſtimulo quocunque ſalino, omiſſa & ipſa, miti licet, tinctura rhei aquoſa. Alvi frequentia adeo quidem minuta non eſt, ut & augeretur, ſed omnis in abdomine, circa anum moleſta ſenſatio ſenſim diminuta, tandem diſparuit. Lotium & libere, & absque doloribus mittebatur, fæces rejectæ cocti quid continebant, ut adeo primum dyſenteriæ ſtadium feliciter decurrerit, & malum medicamento roboranti, adſtringenti, mucilaginoſo, opiato, aut illi, quod ex omnibus hiſce coaluit, poſtmodum cito auſcultaret.

Fuerunt, qui, etſi eorum dyſenteria a graviſſimis ſymptomatibus ordiretur, leniſſimis paulo ante recenſitis eccoptroticis in decurſu ſtadii primi uſi, præter illam a torminibus, tenesmo & ſtranguria immunitatem, etiam id commodi obtinuerunt, ut alvus non ſolum absque doloribus, ſed & parcius, rariusque flueret, & redderet ſanis ſimiliora, donec eodem continuato remedio, nullis nec opiatis, nec adſtringentibus in auxilium vocatis, res in integrum reſtitueretur. At hos nihilominus invigorante remedio, ſtomachicove contra facillimum in priorem infirmitatem relapſum præmunire oportebat.

Inter ægros fuere quidam, quibus alvus torminoſa uno alterove die moderate fluxit, atque æruginoſa reddidit, verum ſuapte fluxus alvi ſubſtitit, in-

inteſtinorum cruciatu perſiſtente, dolore ventriculi gravante, urente: mictu parco, ſtranguirioſoque: oris amarore: jactitatione: atque ubi malum gravius urgebat, delirio quoque ſuperveniente. *Dyſenterias has imperfectas* datum emetico-catharticum, ſolutio ſcilicet tartari emetici intra breve tempus egregie certoque ſuſtulit.

Alii iisdem, quibus dyſenterici ſolebant, ſymptomatibus affecti, oris amarorem, cardialgiam, ventris tormina, mictum difficilem, ſed alvo aut naturali aut ſuppreſſa querebantur. *Colicam hanc bilioſam* ejusdem cum dyſenteria proſapiæ: jugis potus ſolvens, datumque antimoniale emeticum cito & tuto abſterſit.

Circa finem hujus menſis calculum ex veſica ſectione eximi curavimus, cujus hiſtoriam referre hic juvat.

Juvenis, 15 annorum, filius militis, a triennio circiter poſt emiſſum lotium ardorem in perinæo experitur, qui per octavam horæ partem a mictu durat, evanidus poſtea. At ſi ſtando, aut ambulando mingat, nullus poſt mictum ardor affligit, neque etiam, ſi ſuper ſellam perforatam, aut ita ſedeat, ut inter ſedendum nulla perinæi preſſio fiat. Die 15ta Auguſti ad nos venit. A duobus fere menſibus arenulæ prodeunt, ſubinde & mucus *ductilis*, *aut materies mucoſa* quidem, carens tamen ductilitate. Cum arenulæ ſolæ, tum & mucus ductilis cum ardoris per urethram ſenſu prodit. Ab hoc duorum menſium ſpatio & mictus ſolito frequentior eſt, & præprimis noctu moleſtus.

Aqua calcis cum æqualis lactis copia & ſapone veneto febriculam, mictum frequentiorem, ſtranguirioſum excitavit. Hinc mutata mox medendi ratione, præcipue cum ab adplicato difficilius cathe-

tere, partium levis contuſio accederet, præſcriptum eſt medicamentum ſequens:

> ℞. Decoct. hordei adjecta
> liquiritia parati ℔. II.
> gummi arabici Unc. I.

Diæta quoque maximam partem vegetabilis injungebatur. Die 29no Auguſti æger aſſerit, ſe raro jam, & ſingula vice plus lotii mittere, cum antea frequentius quidem, attamen parcius mingeret; ardorem in perinæo jam nullum ſentiri, ſed ſenſum quemdam ibi loci rei alienæ percipi, utut exiguum, nec multum incommodum, ſtatimque evanidum, neque poſt ſingulos mictus. Exigui calculi ſæpius ſub uſu medicamenti hujus mucilaginoſi, & majores ac alias, ſed minori cum moleſtia prodivere: quod ſi malum nulla poſthac incrementa ſumpturum eſſet. ſe hac ſorte contentum fore ajebat, ſeque ad omnes aptum labores arbitrari.

Nihilominus cum hac ratione levamen ſolum temporarium conciliaretur, & æger, utut nunc doloris propemodum expers, tamen probabilius in priorem ſtatum relapſurus erat, placuit ſectione calculum eximere, quam dexterrimus hujus Noſocomii Chirurgus dominus Sartori manu exercitata die 30ma Auguſti peregit. Uſus eo cultro eſt, quem *Lithotomum occultum* appellant.

Operationem aliquantum morabantur fruſtra aliquot confracti intra veſicam calculi, qui totus aſper, & friabilis erat, ſi nucleum multo duriorem excipias.

Finita ſectione, repoſitus in lectum æger, toto reliquo tempore nil præter morem incommodi patiebatur. Victitabat juſculo tenui, decocto hordei emulſis. Elapſis aliquot diebus, oleribus cum juſculo carnium veſcebatur. Die 26ta Septembris nulla amplius per vulnus urina prodibat, idque penitus eo die

die coaluiſſe viſum eſt. Lecto quoque exemptus, horam ſedendo exegit. Die 10ma Octobris prima vice lentis & exiguis paſſibus per cubilum gradiebatur. Die 17ma Octobris ſanus diſceſſit.

Ad feliciorem operationis eventum plurimum contulit quod eam æger non niſi probe præparatus ſubiverit, tenuiori diæta, ac vegetabili antea uſus.

Lithotomiam inſtituturis ſuadendum, ne, ſi de præſentia calculi certi per catheterem facti ſint, ægrum poſthac frequentius adplicato cathetere vexent. Veſica inſtrumento frequentius irritata, difficilius ſectionem ſuſtinet, & ſecta, facilius, majorive cum periculo phlogoſin concipit.

Varia inſtrumenta ab artis peritis pro facilitanda Lithotomia excogitata proſtant. At vereor, ne & hic ea optima ſint, quæ ſimpliciſſima. Scalpellum firmum, firmo donatum manubrio, fors omni alio inſtrumento præſtat. Secabit enim qui ſcalpello utitur, quousque, & quantum volet, nec hilo plus, minusve. Sectionem viſus diriget, & firmior manus: nec alio, quo eandem perficiat, inſtrumento, opus erit.

SEPTEMBER.

September ab initio ad finem uſque perfrigidus fuit, ſiccusque. Febres continuæ, remittentes, ex putridarum, & bilioſarum familia populum afflixerunt; minor tamen ægrotantium numerus hoc menſe fuit, quam præterito, etſi, qui nunc ægrotabant, diutius decumberent. Pauciſſimas intermittentes, quotidianas, tertianasque vidimus, & quartanas non niſi duas brevi & absque negotio, præter indolem quartanarum hoc præprimis anni tempore, ſolis propemodum ſolventibus ſalinis cum conſtantia perſanatas.

Circa finem prioris menſis, & toto reliquo per autum-

tumnum tempore, quo dyſenteriæ ſæviebant, aliam dyſentericis auxiliandi viam inivimus, quam cum tutam certamque experiremur, fere ſolam poſthac, rejectis aliis, ſequebamur.

Ægris hiſce ut primum ad nos venerant, copioſum potum ex decocto hordei, & oxymelle ſimplici exhibuimus: die ſequenti antimoniale emeticum, tartari videlicet emetici ſolutionem propinavimus. Mictus ante parciſſimus, ſtrangurioſus, teneſmi, tormina, plerumque miraculi inſtar ſtatim ab emetici operatione emendabantur. Alvus longe minus frequens brevi ita comprimebatur, ut poſt duos tresve dies medicamento indigerent alvum denuo molliter ſollicitante. Finita emetico-catharſi ſolo ferme decocto hordei, cui oxymel & pulpa prunorum intabuit, utebantur, donec intra exiguum tempus medicamento invigorante contra relapſus præmunirentur.

Pauciſſimis poſt emeſin rheo toſto, myrobalanis, atque opio in pulverem commixtis opus fuit.

Vir diligentiſſimus, atque egregius obſervator Collinius æquæ certo ſuis dyſentericis ſola arnicæ radice medebatur. Nullam is evacuationem, uti ex fidis relationibus accepi, inſtituere ſolebat, etſi humorum bilioſorum copia non mediocri gravarentur. Ope radicis hujus materies dyſenterica ſubacta, immutataque, atque in benignum humorem converſa nocere deſiit.

Hanc methodum, etſi perutilem audieram, ob id tamen hucusque non ſum amplexus, eamque in futura tempora reſervavi, quod hæcce me hac tempeſtate nunquam deſereret.

OCTOBER.

Ut cæteræ hujus anni partes minus ſolito caluerunt, ſic & October frigidior, ac plerumque ſolet, & ſiccus fuit: circa finem nebulæ multæ.

Mor-

Morbi chronici, hydropes, icteri, infarcta abdominis viſcera, ob prægreſſas hac æſtate bilioſas febres, nos multum exercuere. Multi catarrhum queſti ſunt, tuſſimque noctu præprimis permoleſtam, quam ſenſus in hypochondriis, ad ventriculum, vel & inferius in abdomine dolorificus & præcedere, & comitari ſolebat, ita, ut hoc abdominis dolore de mox adfutura tuſſitatione præmonerentur.

His antea febres fuerunt intermittentes, aut ſuapte, aut non ex arte curatæ.

Tuſſis hæc, ad eſtomachicarum tuſſium ſpeciem pertinens, remedia, pectori alias dicata, nequaquam admiſit ſed ea, quæ glutinoſa potenter incidunt, ſolvuntque, ac ſoluta, rejectaque per emeto-catharſin materie, ventriculo, & inteſtinis robur addunt. Rheum, elixirium ſtomachicum temperatum, decoctum lichenis, & polygalæ profuerunt.

Quicunque intermittente, aut remittente quadam febre hoc menſe laborarunt, de ſpurio hoc pectoris affectu, difficili ſcilicet reſpiratione, & oppreſſionis ſenſu, tuſſique multa querebantur. Sputa aut nulla prodiere, aut pauca, glutinoſaque.

Perdifficile nonnunquam nobis accidit, *verane*, an *ſpuria* hæc pulmonum affectio eſſet, an malum in ipſo thorace infarcto, inflammarique incipiente natum ſit, an vero a primis viis attractum, probe internoſcere; idque eo difficilius erat, quod hoc tempore utrumque ſæpe vitium, levior nempe pulmonum inflammatio, & bilioſum quid, mucoſumque a ventriculo oriundum una jungeretur.

Hinc conſultum arbitrabamur, iis, qui complicata hac pectoris affectione laborabant, aut quos ea laborare ſuſpicabamur, pauxillum ſanguinis detrahere, eosque diuturniori ſolventium, & diluentium uſui addicere, donec, quam cœlum frigidius pulmonibus adſperſiſſet phlogoſin, difflatam exiſtimare-

maremus, intra paucos ut plurimum dies evanidam. Interea vero, quod in thubo inteſtinali latuerat vitium, bilioſum, mucoſum, putridum, ſeſe luculentius exerere, pluresque præſentiæ ſuæ, & indubitatos dare characteres cœpit. Vomitorium tunc, quod in initio *propria* thoracis affectio prohibuerat, inſigniter profuit, cui fortunate ſalis ammoniaci largiores doſes ſubjunximus.

Frequentior multo venæ ſectionis neceſſitas fuit hoc, quam elapſis menſibus, &, ſi ab ipſomet ægro, priusquam ad nos veniret, præter rationem inſtituta eſſet, minus nocuit.

Quartanas jam multo plures, quam priori menſe habuimus non rebelles, ſolventibus ſalinis, ſale imprimis ammoniaco, datoque emetico uſum ſolventium interpolante, vel ex integro curatas, vel ita cicuratas, ut ſumpto cortice cito & cum conſtantia profligarentur. Quasdam quartanas remittentes æque levi brachio, & eadem methodo perſanavimus.

Obſervare mihi viſus ſum, eas quartanas, quæ aut remitterent ſolum, aut vix intermitterent, citius faciliusque dicta ratione curari, quam illas, quæ paroxysmos habuere breves, ſed inviolabili lege modoque redeuntes, quæve intermedio tempore ægro nil, aut perparum incommodi reliquerunt.

Quartanarum maxima pars priori adhuc menſe nata fuit, verum ægri poſt exantlatas primum aliquot acceſſiones noſtram opem implorarunt: hinc factum, ut, etſi September quartanarum præ aliis feracior eſſet, plures tamen menſe primum Octobri nobis curandæ obvenerint.

Quotidianæ, & tertianæ febres nec numero, nec pertinacia eas ſuperarunt, quæ alios aliorum annorum autumnos infeſtant.

Dyſenteriæ pauciſſimæ hoc menſe, plures tamen immi-

immitis morbi reliquiæ comparuerunt, dolores videlicet, tumoresque, ac immobilitas articulorum. Accidit id in illis, quibus mala medicatio fluxum ventris ſtitit. Hic diverſa profuere. Materiem dyſentericam non raro male ſedula medicatio intra viſcera dato opio concludit; retentus vero fomes tunc ſanguinem ſubit, & aut corpus oberrat, aut articulis, locisque illis, ubi tardior humorum motus, vaſaque anguſtiora ſunt, profunde inſidet, maximeque ſenſiles partes vellicat.

Multi quoque hoc menſe, uti etiam proxime elapſo, fuerunt, quos tormina ſtranguriave cum oris amarore eum in modum vexabant, quo dyſenterici ſolent, ſilente alvo. Id mali, ſive colicam *bilioſam*, ſive *ſiccam dyſenteriam* malis appellare, eandem, ac ipſa vera dyſenteria, curam poſtulat, & ni ventrem probe vacues, ſed ſolis diluentibus, ac involventibus impugnes, tardam ægro, tædioſamque, & perſæpe inutilem medicinam facies, morbumque, qui modo in ventrem detonat, haud difficulter inde pellendus, ad articulos, locave exquiſitiſſimis perſæpe medicamentis in acceſſa convertes.

Morbus articularis non raro etiam febres bilioſas excipit, eas duntaxat, quas cortex præmature ſilere juſſit, aut, quæ ſenſim ſuapte fatiſcebant.

Nullam hic cortici remediorum principi notam inuſtam volumus, cum præmaturum ſolummodo ejusdem uſum incuſamus. Uti enim diutius ſolvendo, præparando, eliminandoque materiam febrilem, febris ipſa multoties alitur, donec, ſero licet, ad corticem confugiatur, ita e contrario inepti eſt, artemque ignorantis, audito mox febris nomine, nullo prorſus ad materiem febrilem reſpectu habito, largas corticis doſes ingerere.

Vidimus ex multiplici hac origine natas arthritides non paucas. Profuerunt lenia purgantia, ſalina,

na, &, ſi morbus levior erat, ea ipſa remedia, quibus morbus, arthritidis genitor, ſi medicum ſcientem nactus eſſet, procul dubio auſcultaſſet. Verum, quorum articulis malum profundius infixum hæſit, iis remedia ex potentiorum ſolventium claſſe deprompta profuere. Kermes minerale, ſulphur antimonii auratum tertiæ præcipitationis, hisque nonnunquam potiora, aconitum, flammula jovis (vicina interea loca veſicante eroſimus) ſarurata chamædryos, & chamæpytios decocta ſæpiſſime votis reſpondebant. Quibusdam malum adeo alte inſedit, ut potentiſſima remedia eluſerit: his ternis, quaternisque conſequenter diebus emplaſtrum latum veſicans ad eundem ſemper locum appoſuimus. Poſt aliquot dierum tormenta dolor omnis ubicunque, atque etiam extra locum veſicante tentatum exiſtens, aut corpus oberrans, orta diaphoreſi larga, vel & puſtulis prurientibus per totam corporis, artuum præcipue, ſuperficiem excitatis, evanuit.

NOVEMBER.

Menſe hoc varia tempeſtas luſit: cœlum modo ſerenum, modo pluvioſum: nives: tepor: frigus; ita tamen, ut nulla aëris qualitas aut exorbitaret nimium, aut diutius perſiſteret. Morbi longe pauciores ac reliquo totius anni tempore, iidemque propemodum, qui præterito menſe, ſi dyſenterias jam modo compreſſas excipias.

DECEMBER.

Menſis hic ad 20mum usqua raras pluvias, frigus tolerabile, nives copioſas habuit. Inde rigidum gelu, nives copioſiſſimæ. Hoc tempore lumbagines non paucæ, item tumor in alterutro genu ſummopere dolens, & motum impediens, cum, vel etiam ſine iſchiade. Quibusdam articulus humeri doluit cum im-

immobilitate brachii. Multis glandulæ ſubaxillares tumebant, dolebantque, quæ ſubinde in ſuppurationem abivere. Plurimis, iisque potiſſimum fæminis, dolor, noctu ingraveſcens, femora, crura, pedesque per intervalla pervaſit: febricitabant plerumque, ſed moderate, & more vago. Tuſſes multæ, multoque plures, ac aliis hucusque menſibus.

Prout ab æſtivo, & autumnali tempore longius provehebamur, ita rarius, mitiusque ex primis viis laboratum eſt, ingruente frigidiori anni parte ferocientem æſtatis bilem comprimente. Verum per hoc tempus ſpiſſior facta humorum fere omnium indoles alios produxit morbos, atque alias, ac antea, corporis partes occupavit. Sanguis & compactior, & ad vaſa, frigore nunc magis conſtricta, validius attritus, phlogoſes non paucas generavit. Aquoſa humorum portio æquo tenacior, vaſcula minutiora circa articulos, partesque tendinoſas, ac glandulas locata, difficilius permeavit. Facilis hinc explicatio eſt & rheumatum complurium, & inflammationum nunc ſeorſim, nunc junctis una viribus affligentium.

Numerus ægrotantium multo minor erat, quam per æſtatem: &, qui nullam infirmitatem chronicam ad hunc morbum attulere, facile convaluerunt. Funera, ſi qua fuere, ea morbi longis, phthiſi maxime, & conſummato hydropi debebantur.

Exanthemata σποραδην & rariſſime, & pauciſſima viſa hoc, & præcedente menſe ſunt, ac ea fere ratione ſenſim diſparuere, qua morborum bilioſorum dominium contrahebatur.

ANACEPHALÆOSIS.

Πολυμορφον morborum popularium genium per hujus anni decurſum ſæpius mirabamur, cum in alio alia ſit & morbi facies, & intenſio, duratio, & eventus

tus alius. Nihilominus in tanto ſymptomatum luſu ejusdem epidemici morbi, atque in ipſa diverſarum epidemiarum ſucceſſione mira quædam ſimplicitas obtinet, ſive cauſam morbificam, ſive vero genuinam methodum medendi ſpectes; illa enim varios ad ſpeciem morbos, ſive potius unum ſolummodo morbum, producet, ſed qui diverſiſſimos, atque alios in aliis mentiatur, prout vel aëris conſtitutio, vel corporis diatheſis, quam quisque ſibi propriam, atque ab alio diverſam habet, *ejusdem* morbificæ cauſæ vires *divermoſide* applicuerit.

Hæc vero paucorum remediorum, eorumque ſimpliciſſimorum uſui, quem efficacem experientia docuerit, facile acquieſcit, non, quod plura non ſuppetant; ſed quod pluribus, in tanta cauſarum ſimplicitate, ſuperſedere queamus.

Juvat nunc unico quaſi intuitu totius anni ad finem modo perducti conſtitutionem contemplari.

Ineunte Anno inflammationes pulmonum frequentes fuere: his pleuritides, & peripneumoniæ ſucceſſerant a bile prognatæ. Denuo febribus bilioſis intermittentibus, remittentibus, varia periodo, legeque recurrentibus æſtas infeſtabatur. Autumnum proxime & præcedebant, & comitabantur dyſenteriæ, bilioſæ utique proſapiæ, febribus æſtivis ſenſim vela hoc tempore contrahentibus.

Sub initium hyemis febres inflammatoriæ denuo caput exerebant, morbique alii, ad phlogoſeon familiam pertinentes.

En per totius anni decurſum modo ſanguinis, modo bilis prædominium, vel temporibus intermediis æquale utriuſque imperium, junctasque vires! En a gemina hac origine multiplicem morborum faciem, ſed non adeo multiplici remediorum ſupellectile perſanandam!

Fortunate medebitur, qui remedii exhibendi, occa-

caſiones ſagax captat, quive repertæ indicationi potius, quam ſpecificæ cuidam remediorum virtuti confidit.

SECTIONES CADAVERUM.

SECTIO PRIMA.

SUb finem Aprilis anni 1776. ſectum cadaver fuit, cujus hiſtoria morbi, & anatomes hæc eſt:

Vir 40 annorum, opilio, cum præterita æſtate per Italiam pecudes ageret, vino italico, cum & itinere ipſo, & fervidiore cœlo frequentius æſtuaret, ſolito largius indulſit. Domum redux in Germaniam, ſero autumno tuſſitare primum, pectore oppreſſo eſſe, & aſthmaticorum inſtar ſpiritum trahere cœpit. His incommodis per totam hyemem conflictatur abſque remedio, ſi duas, tresve per tempus hoc venæ ſectiones excipias, quas ſemper inſigni cum levamine inſtituit.

Die ipſo paſchatis rigor horarum aliquot cum ſuccedente æſtu hominem corripuit: reſpiratio longe difficilior, oppreſſio pectoris major, quam hucusque, dolorque punctorius ad mammam dextram cum ſputo cruento accedit. Ter vena ſecta eſt, ſed quo morbi tempore, quæve ſanguinis miſſi quantitas fuerit, ignoro: id ſolum ab ejus uxore reſcivi, ſanguinem cruſta inflammatoria craſſa, tenacique contectum fuiſſe. Cæterum an ullum, & quale remedium fuerit adhibitum homini ruri habitanti, & ſolius chirurgi curæ commiſſo, non ſcio. Negavit tamen uxor, quidquam fuiſſe adplicatum. Die morbi-

bi decimo ſeptimo in Noſocomium defertur: reſpiratio ſumme laborioſa, dolor punctorius ad mammam dextram, pulſus celerior naturali, & in brachio affecti lateris obſcurior multo, mollis, non debilis. Sputa multa mucoſa, pauca cocta: decubitus in latus dolens impoſſibilis, ſed talis, ut nec ſupinus omnimode, nec etiam in latus ſiniſtrum cubaret. Strepitus in pectore inter reſpirandum quaſi ferventis aheni. Sanguis illico miſſus cruſtam ſumme phlogiſticam exhibuit, unde levamen doloris punctorii ſecutum, perſiſtente eadem ſtreperæ reſpirationis difficultate: pulſus evolutior: ſputa eadem.

Altero die denuo vena ſecta, idque etiam quarto die factum, tum quod memorata inflammationis ſymptomata perſeverarent, cum etiam quod recrudeſceret pungens in latere dolor. Hoc die pulſum minus mollem, vere fortem ante venæ ſectionem deprehendi; at a venæ ſectione celebrata paucis horis exſpiravit die morbi vigeſimo.

Cadaver pectore hirſuto, & muſculorum robore inſigni, ab aſſiſtente chirurgo inciſum, ſequentia exhibuit:

Pulmo dexter ex toto inflammatus erat, portione ſuprema, præcipue qua dorſum reſpicit, excepta, quæ ſana omnimode quartam pulmonis partem effecerat. Lobi, in quos pulmo dividitur, tum inter ſe, tum ad pleuram ubique validioribus cohæſionibus nectebantur, eamque illæſam, ac nullibi inflammatam. Dexter hic pulmo majori ſuo volumine ſiniſtrum urgebat, preſſo ſiniſtrorſum mediaſtino, & remoto ſterno multum protuberabat. Ex ſectorum bronchiorum orificiis albidus ac ſubflavus prodibat humor, qualem ſputa mucoſa, alba, intermixtis quibusdam coctis referunt. Pulmo ſiniſter ſanus, excepta parte ejusdem media dimidii fere pugni magnitudinem æquante, & inflammata. In corde, ac vaſis

ſis majoribus polypoſæ, & albæ ut plurimum concretiones erant. In pericardio plus ſeri collectum inveniebatur, quam communiter fieri aſſolet. Serum pariter in ſiniſtro thoracis cavo repertum 20 fere uncias æquabat. Viſcera abdominalia ſana per omnia fuerunt.

In hac hiſtoria plura occurrunt, quæ noſtram attentionem promerentur.

1mo. ſtatus ille aſthmaticus per totam hyemem miſerum affligens, quemque ſola venæ ſectio ſolabatur, nullas alias aſthmatis cauſas videtur admittere. Pulmones, qua parte inflammatio abfuit, omni modo ſani fuerunt, inflammati vero ſat luculenter demonſtrarunt, ſe ante hanc inflammationem omni alio vitio caruiſſe. Hinc aſthma hoc, quo per hyemem premebatur, ex *continua & chronica inflammatione* profectum fuiſſe, indubitatum videtur. Conſtat enim, nullos dari certos inflammationis terminos, quibus elapſis ea noto quodam exitu ſolvatur, cum per multas ſæpe ſeptimanas, & menſes cruda inflammatio perſtet. Sunt, quos reſpiratio difficilior, dolor exiguus punctorius in latere longiſſimo tempore infeſtat, etſi omnibus cæteroquin muniis fungantur cum pulſu aut ſano, aut ab eo non multum abludente. Subinde ſola difficilior reſpiratio eſt cum pulſu naturali, tuſſicula, & pectoris oppreſſione: abeſt dolor punctorius, niſi, ſi fortius inſpirent, aut validius data opera tuſſiant, aut quacunque ratione curſum ſanguinis incitent.

Morbi hi *veræ pleuritides*, & *peripneumoniæ* ſunt, verum *chronicæ*: cumque ut plurimum absque motu febrili ſint, & ita affectos lecto non affigant, ac characteribus, alias hoſce morbos pulmonicos comitari ſolitis, deſtituantur, *latentes* a Baglivio appellantur, quas magno ægrorum emolumento ſæpius detectas fuiſſe aſſerit, dum pungens lateris dolor aut vali-

validiore tuſſi, aut profundiore inſpiratione ſtudio facta ſeſe exſereret, aut quodnam in latus difficilior decubitus eſſet, exploraretur. Sed de his ſuperius actum abunde eſt.

2do. æger fuerat pleuro-peripneumonicus, dolor vividus admodum, etſi pleura nullibi inflammata deprehenderetur.

3tio. cum die morbi 20mo morbus crudus adhuc deprehenderetur, apparet nullum poſſe ſtatui dierum numerum, ultra quem venæ ſectiones non admitti queant, neque ubique obtinere aphorismum 8vum L. 5. *Quicunque pleuritici fientes in 14 diebus non repurgantur, his ad ſuppurationem tranſitio fit.*

4to. æger in ſtatu cruditatis ex eo moritur, quod pulmo inflammatus alterum ſanum comprimat, omnemque humorum circuitum ſuffocet. Largiſſimæ venæ ſectiones, quæ ſe invicem excipiunt, ſi primis ſtatim morbi diebus inſtituantur, ſuffocationem fors ſubinde præpedire valent.

Recenſet clariſſimus Morgagni L. II. Epiſt. anat. med. XXI. art. 26. 27. 28. epidemicam pulmonum inflammationem, quæ hyeme anni 1738. nusquam magis quam in quibusdam monacharum cœnobiis ſæviit, & plures, paucos intra dies, ſuſtulit. Cadaverum diſſectio exhibuit graviſſimam totius pulmonis inflammationem, quæ ægrotæ brevi ſuffocabantur, eæ præcipue, quæ laxioribus ac imbecillioribus antea pulmonibus fuerant.

Statum hunc morbi crudiſſimi, ubi pulmo alteruter, infarctu inflammatorio turgens, ſpatio ſuo contineri nequit, & in vicinum thoracis cavum protuberat, atque ſufflaminando ſanguinis per corpus periodum occidit, Hippocrates deſignaſſe videtur, dum de pulmonis ad latus prolapſu L. 2. de morbis ſic ait. » Si pulmo ad latus prolapſus fuerit, » tuſſis tenet, & erectæ cervicis ſpiratio, & ſali-

» vam

» vam tuſſiendo rejicit albam, & dolor ad pectus,
» & dorſum emergit, & incumbens pulmo impel-
» lit, & grave quiddam in pectore incumbere vide-
» tur, & dolores acuti pungunt, & ſanguis ſtridet
» velut pellis, & ſpirationem cohibet, & ad affe-
» ctum quidem latus decubitum ſuſtinet, non autem
» ad ſanum. Verum velut grave quiddam ipſi de
» latere pendere videtur, & per pectus tranſpirare
» ſe putat. «

Subdit dein curam: *hunc calida multa bis in die lavato, & aquam mulſam ipſi bibendam dato.*

5to. pulmonis inflammati color læte ruber erat, conſiſtentia tali, qua hepar eſſe ſolet, atque ea gravitate, ut particula abſciſſa, atque aquæ immiſſa fundum petierit.

6to. in utroque ægroto, quin in aliis compluribus verum deprehendi effatum Hippocratis in coacis prænot. aſſerentis: *quibus pleuriticis ſtrepitus ſputi multus in pectore eſt, & facies triſtis, & oculus morbi regii colore infectus, ac caliginoſus, hi pereunt.*

7mo. ratio, quare in latus dolens cubare non potuerit, non adeo in propatulo eſt, niſi hanc hujus rei cauſam eſſe exiſtimemus, quod pulmo ſiniſter in medio inflammatus, atque ad latus hinc inde religatus, ſuo pondere dextrorſum premens pleuram, abſtrahere conniſus fuerit, ſicque moleſtiam intulerit.

8vo. quorſum referre cauſam doloris punctorii oporteat in pleuriticis, vel pleuro-peripneumonicis, necdum videtur exacte conſtare. Id ſolummodo certum per obſervationes eſt, pleuram ea ratione abſolvi poſſe, ut dolor ab ejus inflammatione, utpote quæ ſæpius abeſt, non ſemper repeti debeat, quamvis, ſi revera phlogoſi teneatur, ea ſic affecta, citra acuti doloris ſenſum, reſpiratorio thoracis motu diſtrahi nequeat.

Fors non inepte doloris cauſam ex arctis illis pulmonum, cum pleura nexibus, multoties explicare poſſumus, cum pulmo turgens, ſeque ipſo durior, majorque factus, verſus alterum thoracis latus prominet, aut, ut phraſi Hippocratica utar, ad *latus prolabitur*, quod certe fieri nequit, quin ſimul nexus hi urgeantur, ac diſtrahantur, & pleuram ſollicitent.

9no. ſeri collectio primum hoc ultimo morbi tempore facta fuiſſe videtur; preſſis enim majoribus vaſis, & retardato ſanguinis per pulmones circuitu, tenuiores particulæ per ramulos laterales elabuntur, aut verius exprimuntur. Accedunt & aliæ rationes, ex quibus hæc hydrothoracis ſpecies explicari poteſt, quasve cl. Morgagni L. II. epiſt. anat. med. art. 34. paulo accuratius perſequitur.

10mo. pulſus arteriarum obſcuri, humiles, contractique in latere, aut unice aut magis affecto, ferme ſemper obſervantur. Infida præterea indicatio eſt, quam tum in quocunque thoracis morbo, cum & præcipue in pulmonum inflammatione, ex pulſu venamur. Securior illa eſt, quam reſpiratio, majorve, aut minor morbi tolerantia ſubminiſtrat.

SECTIO SECUNDA.

Virum ætatis mediæ ſecui circa medium Aprilem, qui nono, ni fallor, morbi pleuro-peripneumonici die ad Noſocomium delatus eſt: omni hucusque auxilio caruit. Reſpiratio ſtrepens, difficillima, elevatis ſummo cum labore ſcapulis ac thorace, ore, ac pinnis narium deductis, & erecta cervice peragenda. Ad lectum delatus, cum decumbere non valeret, inter maximos trahendæ reſpirationis conatus ſedens moritur.

Pulmo ſiniſter per totum inflammatus, & vicinæ pleuræ per multas fibras membranasque nexus, magnam

nam thoracis dextri partem oppleverat, & ejuſdem lateris pulmonem ſanum per omnia arcte compreſſit. In cavo thoracis dextro aquæ ad duas facile libras repertæ ſunt. Vaſa cordis coronaria mirum in modum dilatata, & multo ſanguine turgida viſebantur. Pleura ubique ſana etiam hic oſtendit, doloris pungentis ſedem, in pleuritide, aut pleuro-peripneumonia male in ejusdem inflammatione quæri.

Viden & in hoc caſu *pulmonis prolapſum ad latus*, & ſerum in cavo thoracis, quo latere is ſanus fuit, collectum. Vaſa coronaria ſolito longe ampliora facilem habent explicatum ex laborioſo ſanguinis per pulmones meatu. Cor ipſum poſt repetitas pulmonum inflammationes magis amplum, & ferme aneurismaticum non raro reperiri, captæ per anatomen obſervationes docent.

SECTIO TERTIA.

Piſtor 32 annorum prima Martii ſæva pleuro-peripneumonia correptus ad Noſocomium defertur. Inſtitutæ quatuor venæ ſectiones ſunt, aliaque, quæ antiphlogiſticorum nomine veniunt, ea, qua par eſt, attentione applicata. Melius inde, licet tarde habere cœpit; manſit nihilominus reſpiratio naturali paulo impeditior cum diſpoſitione quaſi catarrhoſa. Acceſſit anxietas: pulſus celeres ſemper, & duriuſculi: ſitis nulla: decubitus in latus dextrum, quod ſanum fuerat, impoſſibilis. Die morbi 19no. dolore corripitur acutiſſimo in molli hypocondrii ſiniſtri parte: ſitis, febrisque urgent: facies hominis quaſi exſanguis, ac labia pallidiſſima fuerunt. Omnibus, quæ indicata videbantur, in uſum tractis, factaque terna miſſione ſanguinis ſumme phlogiſtici, qualis pleuriticorum eſſe ſolet; dolor, qui in abdominis latere ſiniſtro, non multum infra ſep-

tum transverſum hærere viſus eſt, non longo poſt tempore diſparuit. Manſit tamen pulſus celer ſupra modum abſque exacerbationibus. Dyſpnœa major: facies, & totum corpus tumere incipit tumore leucophlegmatico: in abdomine fluctuatio perſentiſcebatur. Hinc, atque etiam ex aliis, quæ præceſſere, hydropis purulenti ſuſpicio nata. Sudores nocturni copioſi, & alvus ſubinde citatior ægrum exercebant. Diarrhœa tamen facile pulvere myrobalanorum, & rheo toſto compreſſa fuit. Urinæ tum in dolore illo acuto, qui abdominis eſſe putabatur, cum & poſtmodum, citrini coloris, & fere naturales fuerunt. 7ma Aprilis orthopnœa ſubito correptus, dum ex lecto in vicinum mundiorem reponeretur, vivere deſiit. Prima morbi tempora, quæ ipſemet non vidi, fida narratione accepi.

Cadaveris, tumore leucophlegmatico ubique tumentis, thorax ſiniſter ultra duodecim libras puris dedit. Pleura ſana fuit, eique hinc inde laciniæ quædam adhærebant, quæ parietes ſacci, in pulmone nati, & in cavum thoracis rupti, ex parte effecere. Diaphragma tam alte in abdomen ex illo latere, ab incumbentis puris copia preſſum, deſcenderat, ut dolor, qui abdominis eſſe putabatur, in thorace fuerit, atque inde ortus, quod ſaccus pure plenus ad ruptionem urgeretur, & divulſæ membranæ dolerent. Pulmones ambo, magis vero ſiniſter, eroſi reperiebantur. Abdomen duas circiter ſeri libras continebat, a qua tam exigua quantitate manifeſtam fluctuationem non facile repetere licet, ut adeo etiam hinc conſtet, quantum hujus fluctuationis ſenſui fidere quis poſſit. Sana omnia abdominis viſcera reperta ſunt.

Febris, qua detinebatur, uno tenore perſeveravit, nullis, quæ ſub ſenſus caderent, exacerbationibus ſtipata,

ſtipata, & notis illis deſtituta, quæ alias febrim a pure reſorpto natam produnt.

SECTIO QUARTA.

Die 26ta Maji cadaver me, & aliquot medicinæ Candidatis præſentibus, ab aſſiſtente chirurgo ſectum fuit, cujus hæc morbi hiſtoria eſt:

Vir 54 annorum, a multis jam annis aurigæ officio functus, die 13tia Maji ad Noſocomium defertur, queriturque urinam a quatuor diebus penitus ſuppreſſam. Adplicato mox cathetere multum lotii eductum eſt, ſed obſtaculum, circa collum veſicæ repertum, difficilem inſtrumento aditum fecit. Pus, ut relatum a chirurgo erat, nullum eſt animadverſum. Quæ tunc ab ipſo ægro, cum & ejus uxore poſt mariti mortem reſcire poteram, narrabo.

Junior in Italia apud principem quemdam, munus aurigæ faciens, aliquot annos exegit: ibi ſe ægrotaſſe ex ſuppreſſa urina, & cathetere adjutum fuiſſe, uxori in hoc ultimo morbo fatebatur.

Ab illo tempore complurium cum utraque uxore (alteram enim jam duxerat) liberorum parens, potui, ut hoc hominum genus aſſolet, multum alias deditus, hoc tamen ultimo, quo vixit anno, vino moderate admodum, & ferme omnino non utebatur. Hoc etiam anno frequentiore mictu, eoque difficiliori, præcipue noctu, exercebatur, ut bis, terve præter morem de lecto ſurgeret, urinam miſſurus.

Initio Martii ab equo ad partes genitales percuſſus, magis conqueri de frequenti, & dolorifico mictu cœpit, itemque de urinæ ſtillicidio. Circa initium Aprilis domi ex pleuritide diebus tredecim decubuit. Bis ipſi primis diebus morbi vena ſecta eſt: cæterum præter mixturam quamdam a medico præ-

ſcriptam, nullo alio auxilio utebatur. Convaleſcere ex morbo videbatur, ita, ut denuo aurigæ vices ſubiret. Verum tuſſicula cum ſputis flaveſcentibus, & quædam non magna oppreſſio pectoris ex morbo ſupererant.

Poſt initium Maji mictus difficilior, & magis ſtrangurioſus, ac ante hac, quin & ſubinde penitus ſuppreſſus ægrum torquebat, cerei tunc tenuioris auxilio, quem ipſe ea methodo, qua olim in Italia uſus eſt, verſus apicem magis extenuaverat, ac oleo inunctum urethræ immiſerat, lotium miſit, educto cereo denuo ſuppreſſum.

Tandem ad nos delatus eſt, cum a quatriduo nullam amplius urinam miſiſſet, & toto hoc tempore nihil potulentorum aſſumpſiſſet, ne, ut ajebat, urinæ quantitas accreſceret. Febricitabat pulſu forti, duroque, ſiti multa, faucibus ſiccis, uti inflammati ſolent. Secta vena eſt; ſanguis eductus cruſtam phlogiſticam, eamque craſſam, exhibuit. A venæ ſectione urinæ libertas fuit: verum cum noctu denuo ſupprimeretur, ſitisque urgeret magna, denuo ſecta vena eſt: ſanguis craſſiſſima cruſta phlogiſtica tegebatur. Uſus interea eſt decocto hordei cum oxymelle, emulſo ſeminum frigidorum cum nitro. Adplicatum præterea eſt emolliens cataplasma ad perinæum, radicem penis, & ad pubem. Inde urina libere poſthac fluxit, ſed fluxu continuo ſtillante. Verum quarto die, ex quo ad Noſocomium venerat, diarrhœa accedit, nulla ratione comprimenda, etſi aliquoties rheo toſto, myrobalanis, laudano fuerit ſuſpenſa. Nullus ullibi dolor: animi indifferentia peculiaris: pulſus antea celer, fortis, durus, nunc humilior fit, debilisque, celeritate non nimia. Lingua pura ſicceſſere primum, dein arida, lignea fieri: acceſſit & is oris habitus, quem riſum ſardonium appellant, quique continuo per ſeptem,

tem, octove ultimos, quos vixit, dies morbi perſtitit. Subdelirium, delirium, decubitus membris inordinate projectis. Varia data ſunt, quæ vi antiſeptica celebrantur. Rediit ſubinde mens per intervalla, pulſus non raro elatiores facti, denuo ſubſidebant. Sinapismis, veſicantibus, aliisque excitantibus, antiſepticis morbum fruſtra tentavimus. Veſicantia fortiſſima binis vicibus eidem loco appoſita, vix exiguas veſiculas hinc inde excitarunt. Die 25ta Maji moritur.

Proximo die ſectio cadaveris ſequentia exhibuit:

Thorax ſectus ex cavo dextro fudit libram propemodum aquæ pauco pure inquinatæ. Pleura cum pulmone abſceſſus non magni parietes effecit, quibus ruptis illud pauculum puris aquæ mixti proſluxit. In ſiniſtro thoracis latere pulmo ubique cum diaphragmate nectebatur, ſi locum excipias, qui duas fere puris uncias intra pulmonem, & diaphragma concluſas habuit. Inter pulmonem & pleuram, qua illa locum ſcapulæ objectum inveſtit, pariter abſceſſus latebat, puris uncias facile quinque continens. Idem cavum libram dimidiam aquæ dedit. Pulmones variegata ſuperficie, & ſani cæteroquin reperti ſunt. In corde, & vaſis ejus majoribus concretiones polypoſæ.

Recluſo abdomine hepar ſolito longe majus, ſed ſaniſſimum, offendimus; lien duplo major, quam alias ſolet, ſanus & ipſe per omnia, ſed, ſi digitis paulo rudius contrectaretur, nimis friabilis. Ren ſiniſter innumeris & exiguis abſceſſibus plenus, ſolito longe major, & tubulorum bellinianorum, qui pure turgebant, is habitus, ut abſceſſus potius viderentur: ita quoque interna renis ſubſtantia mutata reperiebatur, ut pus non aliunde delatum, ſed ibi natum apparuerit. Socius ren, & inteſtina nil præter ordinem habuerunt. Nulla bubonum veſtigia,

aut cicatrices inventæ. Veſica, carneis craſſisque parietibus donata, pauca granula, uti ovula formicarum, ſed rubra in fundo ſuo exhibuit, quæ diſciſſa pus fudere. Urethra e corpore exempta, diſſectaque oſtendit duos abſceſſus ruptos utrinque, atque in proſtata locatos, quorum dexter minor facile nucem muſchatam caperet, ſiniſter autem triplo major. Plures quoque in illa vicinia hinc inde poſiti abſceſſus perquam exigui, qui diſſecti pus bonæ notæ dederunt. Nullæ alias alibi excreſcentiæ, & canaliculi Morgagniani frequentes viſebantur. Urethra verſus glandem prærubra, & quaſi inflammata apparebat. Teſtis dexter fere duplo major viſus ſecabatur, verum aqua intra eundem, & membranam vaginalem collecta, eum tumorem mentiebatur. Caput ob temporis penuriam non eſt ſectum, neque uretheres, aut veſiculæ ſeminales examinatæ.

Plura ſunt, hoc in caſu notanda. Utut æger toties examinatus nil fateretur, quod ipſum gonorrhœa quondam laboraſſe demonſtraret, multa tamen ſunt, quæ hanc opinionem admodum probabilem reddunt. Videntur a longo jam tempore obſtacula in urethra latitaſſe a male curatis, aut neglectis, ut fere fit, gonorrhœis nata. Hinc aliquando fit, ut, niſi diutius adhibito mingendi niſu, urina non prodeat, tot obſtaculis, penes quæ transprimi debet, effluere prohibita. Sunt, qui per omnem vitam huic difficultati obnoxii vivunt, quin gravius quidquam inde unquam ſequatur. At vero ſi ea obſtacula phlogoſis prehenderit, ſeque ipſis majora evadant, canalem obturent penitus, neceſſe eſt.

De natura horum impedimentorum multum diſputatum jam ſæpe fuit. Cl. Brunnerus ephemer. N. C. cent. 1. obſerv. 97. excreſſentes in urethra carunculas inter figmenta chirurgorum retulit, & naturam horum obſtaculorum in quadam potius urethræ in-

ſi-

ſigniori conſtrictione, ac coarctatione poſuit; cum e contrario cl. Genſelius eph. N. C. cent. 6. obſerv. 84. acriter pro carunculis contenderet. Verum cum per ſectiones anatomicas conſtet veſtigia cicatricum in urethra reperta eſſe, cumque ora canaliculorum Morgagnianorum, quo ſedes gonorrhœarum leviorum veroſimiliter locatur, inflammari, erodi, coaleſcere, atque communi illa lege, qua id omnes reliquæ partes poſſunt, luxuriante carne, nodoſaque cicatrice repleri queant, non video, quid improbabilis, vel etiam ab obſervatis alieni hæc opinio habeat.

Uretrham ſubinde ab exſtantibus obſtaculis liberam nihilominus in uno, vel in pluribus locis præter modum coarctari conſtringique, uti cl. Brunnerus voluit, non paucæ obſervationes probant.

At vero alterius naturæ obices præter ſuperius enarratos reperiri, pariter extra dubium eſt; glandulas videlicet in urethra locatas induratas, tumentesque, quæ, ſi propius ſphincterem ſint, impedimento ſunt, quominus exacte veſica claudi queat, ut adeo urina penes tubercula hæc utrinque continuo ſtillicidio elabatur, donec ejuſmodi tumores altius aſſurgant, & urethram ex integro obturent.

Hoc ultimo obſtaculorum genere glandulis videlicet tumentibus, inflammatis dein, & accreſcente multum phlogoſi tandem ſuppuratis, æger noſter laboraſſe videtur. Hinc ille mingendi niſus ad transprimendam urinam: hinc etiam explicatur, quomodo urinam penitus tandem ſuppreſſam tenuiori cereo immiſſo, quamdiu is urethræ impoſitus maneret, denuo evocarit.

Cereus immiſſus equidem urethram magis obturaſſe videtur, at vero, preſſis ope cerei tuberculis, non ita exacte canalis obſtruebatur, quin non utrin-

que via reſtaret, per quam urina ſe ſubducere poterat.

Hoc adjumentum a cereo vel ſpecillo quocunque etiam illi experiuntur, qui carnes habent excreſcentes, & urethram obſtruentes.

Quibus vero urethra conſtricta, coarctataque, præcipue ſi tortuoſum ejus iter ſit, nihil ab hiſce ſpecillis auxilii habent, nec etiam a candelis vi medicamentoſa, abſumente, erodenteque imbutis, plurimum vero non raro incommodi; irritata enim urethra fortius ſtringitur: urina tenuiſſimo filo, & ſtranguriоſe abit; accedit irritatarum partium inflammatio, & iſchuria.

Morbi urethræ, utut frequentiſſimi, tamen neſcio, quo infortunio, curatu difficillimi ſunt, & maxime diſcrepantes de medendi methodo opiniones vigent. Sunt, qui omnes candelas medicamentoſas rejiciant, & nullas admittant, niſi quæ ſola mechanica ratione ſuperius explicata obſtaculum reprimant, & urinæ exitum parent. Sunt itidem alii, & forte maxima medentium pars, qui iisdem eo ſcopo utuntur, ut obſtacula abſumantur.

Viri, qui multum in hac re experientiæ habent, quique ſæpiſſime hiſce candelis apud ægros ſuos uſi ſunt, parum aut nihil levaminis, & plurimum incommodi ſuis ægris hac medendi ratione attuliſſe mihi aliquoties fatebantur. Meæ autem obſervationes circa uſum candelarum pauciores adhuc ſunt, quam ut quid de illis ſtatuere queam. Id interea verum eſt, in his paucioribus meis caſibus candelas medicamentoſas juviſſe nunquam.

Curationis difficultatem inde ut plurimum provenire opinor, quod mali diagnoſis perdifficilis ſit, & de obſtaculi natura ac indole difficulter conſtet.

Quærendum itaque eſt, an glandularum, in urethra ſitarum, tumor morbi, ſive is ſtillicidium, ſive ſtran-

ſtranguria, vel & iſchuria fuerit, cauſa ſit? dein, & quæ tumoris illius ſpecies ſit? aliam enim medelam ſcirrhoſus tumor, aliam is, qui ex inflammatione glandulam prehendente naſcitur, atque aliam glandulæ habitus laxior, tumorque ortus a muco copioſius collecto, & glandulam diſtendente poſtulat.

Vidi iſchuriam, & mictum teneſmoideum, qui muco albino benigno per urethram fluente ceſſabat; verum elapſo ferme dimidio die, ſenſim denuo naſcebatur, prout muci hujus excretio minuebatur, qua penitus ſublata, omni fere horæ quadrante ingens ad matulam teneſmus redibat, donec maximo adhibito mingendi conatu denuo mucus ille exprimi, emulgerique inciperet cum mali decremento.

Hanc ſcenam morbus vix non quotidie ſemel luſit. Raro factum eſt, ut per duos continuos dies æger absque obſtaculo mingeret. Profuerunt ſolventia ſalina, præcipue aquæ ſelteranæ ſine lacte potæ. Æger ſenſum rei, canalem verſus ipſius radicem obſtruentis, toties habuit, quoties urina difficilius pergeret; at fluxu reſtituto nullum alibi dolorem, ardoremque, aut obſtaculi ſenſum querebatur. Interpoſita ſolventibus roborantia ſunt, ſed nullum remedium topicum adhibebatur, quod æger id omnino renueret.

Examinandum præterea, an conſtrictio, coarctatioque urethræ, an vero prominentes carnes, aut cicatrices nodoſæ adſint, ut, ſi facta accuratior diagnoſis ſit, ſcire poſſimus, quid potius *non facere* expediat, quam ut incerti de morbi natura per varias, & ſibi non raro quam maxime oppoſitas methodos, absque certa lege vagemur.

Febris inflammatoria ſiti, pulſu forti, pleno, duro, aliisque ſe manifeſtans, & alii quidam non abſimiles caſus nos determinabant, ut omiſſis candelis educta per catheterem urina, methodum mere anti

phlo

phlogiſticam arriperemus, & cataplaſmate emollientiſſimo vicinas partes foveremus. Glandulas tumentes illam in tranſprimendo lotio difficultatem, quam a tot annis experiebatur, attuliſſe opinor: ſed cum tumores hi non aſſurgerent magis, minus inde mulctabatur, donec tandem phlogoſi correpti in majus volumen expanderentur.

Aurigæ officium multum poterat conferre, quo facilius inflammatio hæc tubercula afficeret, cum concutiente carpenti motu, vel & magis adhuc, ſi quis equo inſideat, partes urethræ vicinæ exagitentur, atteranturque.

Accedit, quod id hominum genus, uti de hoc noſtro ex relatione uxoris conſtat, vino, & cereviſiæ deditum ſit, iisque vilioribus, acidis, diureticis, inflammantibus.

Præterea & illud notandum, quod totius mali origo eſt, gonorrhœas in ejusmodi hominibus aut negligi omnino, aut prava admodum methodo curari. Plura male curatarum gonorrhœarum exempla noſco, non a chirurgis ſolummodo minus expertis, ſed aliis, etiam medicis, quos diuturna, & luculentior praxis commendabat.

Sæpius mirabar, qui fiat, ut in morbo tam frequenti tam non exacta medendi methodus ſit, & tot graves quotidie errores committantur. Plures vidi caſus, ubi dato validiori purgante, qui mos quondam etiam inter doctiſſimos viguit, & nondum, ut video, inter omnes eſt abolitus, fluxus virulentæ materiæ ſubſtitit cum delirio paulo poſt ſubſequente, & diriſſimo morbo acuto nulla arte ſanando.

Qui in noſtro Noſocomio ex hac cauſa acute decubuerunt (contigit enim nonnunquam, ut ex lue occulta, quam perverſa medicatio modo ſuperius recenſito exaſperaverat, validiſſime febrientes, tanquam ſimplici acuta febre affectos cauſæ prægreſſæ

igna-

ignari, & nec ægri confeſſione, nec alio inſuper ſigno adjuti ſuſciperemus) qui inquam ex hac cauſa acute laborarunt, plerique mortui ſunt.

Cum hi per aliquot dies decumberent apud nos, quædam veneni latentis ſigna vel in ipſo ægro deteximus, vel undecunque demum cauſam mali, & quid ante adventum ad nos actum fuerat, expiſcabamur. Gonorrhœam purgante valido ſuppreſſam, morbumque acutiſſimum inde natum aliquoties deteximus: plerorumque enim animis, eorum præcipue, qui ex plebe ſunt, prava hæc opinio inſidet, poſſe virus venereum ex parte affecta revocari, & per alvum eliminari. Hinc ipſi ſibi medicinam perſæpe faciunt, & ſpiritum vini purgantem, ſive reſinam jalappæ ſpiritu vini ſolutam ex pharmacopæis repetunt.

Sed hæc methodus uti pernicioſa eſt, ſic alia non quidem mortem tam citam, attamen innumera alia mala, quibus etiam noſter auriga conflictabatur, producere ſolet.

Multi videlicet, gonorrhæa affecti, unice exoptant, ut fluxus virulentæ materiæ quantocius ſiſtatur: hinc aut chirurgorum inexpertorum conſilio, aut proprio marte terebinthinam deglutiunt, vel alia ſtyptica, quæ fluorem ſiſtunt, aut injectiones ex aqua calcis, & aceto lythargirii adhibent.

Hinc illa malorum ilias, hinc aut radicata lues, aut ſi benignius quid ægro accidat, morbi urethræ non raro immedicabiles naſcuntur. Imprimis autem hac methodo fit, ut partes, quas inflammatio venerea corripit, atque in tumores elevat, indurentur, idque maxime, ſi glanduloſæ fuerint: unde difficilis mictus, aut nullus omnino, niſi mediante ſpecillo, atque perpetuus metus, ne tubercula hæc, etſi nunc indolentia, motu humorum quacunque ex cauſa aucto, doleant, inflammentur, triſtemque tandem tragœdiam ludant.

Me-

Methodus, qua recentibus gonorrhœis feliciſſime medeor, ſua ſimplicitate, quodve morbi naturæ adcurate reſpondeat, atque idcirco fortunato ſe eventu, commendat.

Hujusmodi ægri carnibus, vinoque penitus abſtinent, ſolum juſculis cum oleribus veſcuntur: aſſumunt magnam quantitatem decocti foliorum altheæ, malvæ, quibus ſubinde aliquid ficuum, vel ſiliquarum dulcium incoquitur.

Fuerunt qui pauxillum lactis addidere, & duodecim, pluresque etiam libras per diem hujus decocti hauſerunt.

Adhibentur continua ferme balnea penis tepida, ubi ſimul glans penis perpetuo abluitur, ne quid materiæ venereæ intra præputium & glandem reſtitans roſiones, & ulcuſcula venerea faciat. Plurimum ſemper ad breviorem curationem facere credidi, ſi æger quam ſæpiſſime pudenda abluat; ſi enim ſanus ex impuro coitu ideo vitium trahat, quod materies venerea ad glandem penis allapſa reſorbeatur, nonne qui infectus jam antea eſt, ſe ipſum continuo de novo coinquinabit, & morbum alet, niſi identidem materiam hanc, ſi qua intra glandem & præputium hæſerit, eluere conetur? quemadmodum ſcabioſus morbum prolongat, ſeque ipſum identidem contagio afflat, ſi veſtes ſcabioſa materia infectas non ſæpius purget, neque cum aliis commutet.

Qui gonorrhœam recentem curat, meminiſſe ſemper debet, ſe *inflammatæ parti*, eique *glanduloſæ* mederi, ſemperque benignam phlogoſeos reſolutionem omni modo tentandam eſſe.

Horum memor a terebinthinaceis, aliis ſtypiticis ſive injiciendis per urethram ſive ore aſſumendis, a purgantibus etiam leniſſimis abſtinebit, probe gnarus, nullum revera antiphlogiſticum dari purgans, quod, utut parum, ſanguinis motum non incitet, & hoc

hoc ipſo phlogoſin non augeat. Horum loco clysmata emollientia adhibebit.

SECTIO QUINTA.

Hoc loco juvat hiſtoriam alterius pariter aurigæ referre, prout illam autumno proxime elapſo in mea adverſaria retuli.

Vir 43 annorum ante quatuor annos a quodam chirurgo ex gonorrhœa curabatur. Suſpicio eſt, eum & ante & poſt hæc illa ſæpius laboraſſe. Ex ſæva pleuritide jam aliquoties convaluit. Jam ab anno dimidio de ardore urinæ ſæpius queritur.

Die 2da Octobris anno 1775. dyſuriam, ſolitoque majorem ſtranguriam patitur.

Die 3. 4. 5ta Octobris mitius habet: lotium expeditius, & copioſius mittit. Hucusque officio aurigæ impigre adhuc fungitur.

Veſperi die 5ta Octobris domum rediens poſt cereviſiam largius hauſtam cubitum petit, ſed paulo poſt de ardore, dolente admodum ad matulam tenesmo conqueritur: ejulatus: jactitatio: dolor in hypogaſtrio, & ad radicem penis: ſomnus nullus.

Die ſequenti, ſcilicet 6ta Octobris, itemque ſeptima eadem ſymptomata, ſed multum aucta: inquies ſumma: corporis ad interiora ob dolores ſummos incurvatio; niſus mittendi lotium frequentiſſimi, dolentiſſimi. Hucusque ferme obambulando ægrotabat.

Veſperi die 7ma Octobris prima vice catheter applicatur, ſed ad veſicam non pervenitur: in ipſo applicandi catheteris conatu, educto filo argenteo pus boni moris ad unciam per cannulam effluxit: urina nulla. Catheter ſæpius fruſtra tentabatur.

Die octava Octobris mane, omnia uti pridie. A meridie hujus diei, dum alvum deponit, inter conuti-

tinuos ad matulam teneſmos circa tertiam horam pomeridianam ſubito exclamat, ſibi quidpiam in corpore ruptum eſſet: riget, livetque toto corpore. Sudor frigidus, copioſus in guttas collectus. Paulo poſt decumbit quietior: abdomen tumet, doletque ad attactum. Nullus amplius ad mejendum conatus.

Die nona vocatur medicus, qui, cum chirurgus ipſo præſente denuo catheterem adplicare, ſed fruſtra, conaretur, paracenteſin, ic perineo ſuaſit. Facta punctura circiter uncia urinæ ſaltu prodiit, & dein pauxillum ſanguinis. Tandem cum nihil amplius, tentatis omnibus, efflueret, educta cannula eſt.

Die 10ma Octobris veſperi advocatus alius medicus paracenteſin veſicæ ſupra os pubis fieri curavit: ac nec gutta urinæ prodiit. Circa mediam noctem ejusdem diei lotium ad lib. v. ſponte per urethram fluxit. Abdomen inſigniter detumuit. Nullus amplius ullibi dolor. Circa meridiem diei proximi, cum bene ſperaret ipſemet æger, & adſtantium quidam proxime futuram ſanitatem ſerio prædicerent, vegetis omnino ſenſibus, animoque ſemper præſente cito, & tranquille moritur.

Sectio 12ma Octobris mane facta eſt. Urethra primo diſſecta exhibuit circa veſicæ ſphincterem: 1mo ulcera exigua gangrænoſa, 2do proſtatam proximasque eidem glandulas tumentes, inflammatasque, & magna ex parte gangrænoſas.

Diſſectis herniæ ſcrotalis (nam etiam hac laborabat) integumentis inventus ſaccus eſt ex producto peritonæo natus, partem inteſtinorum tenuium continens. Inteſtina facili negotio per dilatatum abdominis annullum redierunt.

Aperto abdomine urinæ magna quantitas profluxit. Veſica urinaria in fundo diſrupta inveniebatur, ruptura duos transverſos digitos facile æquante. Inteſtina tenuia levem hinc inde inflammationem, & in-

incipientem gangrænam exhibuere. In urethræ ſuperiori parte, oſſa pubis reſpiciente, vulnus, ſecundum uretrhæ ductum ad unum cum dimidio pollicem decurrens, recenterque factum, quodve circa radicem penis paulo ante ſphincterem terminabatur, eſt obſervatum. Punctura in hypogaſtrio facta, intra peritonæum & muſculos abdominis, verſus pelvim progreſſa evanuit.

Plura nos docet hæc morbi, & ſectionis hiſtoria.

1mo. Vulnus illud in uretrha recenter factum catheteri debetur. Quod ſi paulo majori vi inſtrumentum adigatur, ſæpius accidit, ut novæ viæ eidem aberranti parentur. Optime ſerviunt catheteres minus curvati, & ex lamina tenui in ſpiram contorta confecti.

2do. Optimus pro paracenteſi veſicæ locus videtur (dummodo nihil peculiare id prohibeat atque aliud ſuadeat) is ipſe, quo a recentioribus lithotomia inſtitui ſolet, in perinæo videlicet. Quod ſi punctura in hypogaſtrio fiat, minus certa operatio erit; licet enim veſica eo usque aſſurgat, utpote ingenti lotii quantitate turgens, tamen cum ſint, qui hypogaſtrio præpingui gaudent, puncturæ profunditas admodum erit incerta. Præterea facile fieri poteſt, ut, dum veſica, educta jam aliqua urinæ portione, ſe denuo in pelvim profundius recipit, cannula ſubtrahentem ſe veſicam non amplius contingat, præcipue ſi chirurgus eadem acu triangulari utatur, qua hydropicorum abdomen pungit.

3tio. Grave monitum hic caſus præbet, ſcilicet, auxilia ſeria in rebus ſeriis haud quaquam differri debere. Punctura veſicæ die ſeptima, aut octava Octobris ante meridiem inſtituta: procul dubio hominem ſervaſſet.

4to. Eo tempore, quo paracenteſis celebrabatur, abdomen lotio inundatum jam erat. Catheter die

9na Octobris in utretrham immiſſus, & paulo poſt denuo extractus colore plumbeo inficiebatur.

5to. Ratio cur urina fluxerit ſua ſponte 12 ante mortem horis, haud obſcura eſt; nam præſente jam gangræna, tumores urinæ tranſitum prohibentes ſubſidebant, uti omnis inflammatorius tumor aſſolet, ſi eum gangræna jam prehenderit.

6to. Doloris abſentia, animus tranquillus, ſuperſtite ſola breviori reſpiratione, mentis continua præſentia, & magna ob ſuperatum, ut credunt, periculum hilaritas, minus attentos perſæpe fallunt, dum, inſtante jamjam ob præſentem gangrænam morte, ſalutem proxime ſecuturam promittunt.

Mors hæc ſæpius in illis fit, qui ex enteritide, aut hernia incarcerata, moriuntur.

7mo. Iteratæ gonorrhϾæ, diatheſis ſanguinis phlogiſtica, de qua ex repetita ſæpius pleuritide conſtat, item potus cereviſiæ largior in ipſo morbo, ſufficientes nobis rationes ſuppeditant, unde primo tubercula, dein eorum inflammatio explicentur: acceſſit aurigæ munus, quod & ipſum ſuam ſymbolam contulit, cur inflammatio haſce partes præ reliquis occuparit.

SECTIO SEXTA.

Auriga 47 annorum, multis conſequenter annis ſanus, ultimo Bacchi feſto hujus anni in peripneumoniam incidit, cum rigidiſſimum tunc temporis ſæviret gelu, quo plures eo die horas carpento inſidens, præter morem urebatur. Domi ſuæ decubuit, ubi ſanguinem binis vicibus miſit, morbum medicatrici naturæ committens. Circa feſtum paſchatis eas primum vires receperat, ut conſuetum aurigæ munus denuo ſubiret.

Die 12ma Junii horis pomeridianis valide riguit: ves-

veſperi ingeſta evomuit: appetitus dejectus, ſitisque: acceſſit dolor lumborum, & ſiniſtri thoracis pungens cum tuſſi. Nox inſomnis.

Die proximo ſymptomata augebantur. Veſpera illius diei venæ ſectio facta eſt cum aliquo levamine, ſed brevi evanido. Die 14. & 15ta omnia exacerbabantur.

16ta. Suo marte vomitorium ex tartaro emetico ſumpſit, unde ſepties flava, fuſca, amara inter graviſſimos pectoris, præcordiorum, abdominisque dolores vomuit, & fere toties dejecit.

Noctu ſomnus nullus. Jactitatio multa.

Die 17ma Junii ſexta morbi ad nos delatus ſequentia exhibuit: dolor a mamma ſiniſtra usque ad os ilei, & ultra, multa tuſſi, inſpiratione, & attactu exacerbatus: ſitis magna: decubitus in latus affectum impoſſibilis: ſputa ſpumoſa, ſanguine tincta: reſpiratio ſtrepens: pulſus celer, fortis, durus: lingua alba, humida. Larga venæ ſectio facta mox eſt, & cataplasma emolliens dolentibus locis adplicatum: datus potus emolliens, tepidus, copioſus, antiphlogiſticus: ſanguis pleuriticus. Noctu ſomnus perquam turbatus.

Die 18va Junii morbi ſeptima dolor lateris nullus: decubitus in omnem partem facilis: reſpiratio cita, ſtrepens, exiguo ac fere nullo thoracis motu, ſed ſolo abdomine peracta. Inſpiratio duplicata: pulſus antea fortis, nunc debilis valde, mollisque ac celerior multo: urina rufa abſque ſedimento, tuſſis non multa: ſputa ſpumoſa, pauca: alvus diarrhoeica: lingua alba, humida. Cæterum vigor: animi præſentia: præteritorum exacta recordatio, ad minutias usque accurata, &, ut hoc hominum genus ſolet, jocoſa, ac potius hilaris narratio: vivacitas magna aptæ ad interrogata reſponſiones: facilitas magna ſeſe quodcunque in latus vellet, convertendi. Faciei ha

bitus ab eo ſanorum non abludens, nullus oppreſſionis, aut difficilis reſpirationis ſenſus.

Hoc rerum ſtatu cum cerebrum impeti animadverteretur, latum veſicans cervici adpoſitum eſt. Pulſus mox e debili factus eſt fortis, plenus, durus ſupra modum, & perquam celer; hinc facta denuo venæ ſectio eſt, ſed absque levamine. Cum alvus immoderatius flueret, remota omnia ſunt, quæ eam vel leviſſime ſollicitant, nitrum, & oxymel. Emulſa, mucilaginoſa, diacodiata nil profecere. Hoc die ſputa quædam cocta adparuerunt. Veſperi frequentes pulſuum mutationes. Cætera uti antea. Noctu leve delirium, & ad auroram mors.

Die ſequenti facta cadaveris ſectio eſt. Aperto thorace pulmo dexter ſanus reperiebatur, ſiniſter vera ex integro inflammatus, attamen ſic, ut inflammatio non ex graviſſimis fuerit; nam & ſubſtantia pulmonis inflammati durior quidem fuit, ac in ſtatu naturali ſolet, minus tamen, quam in graviori phlogoſi conſuevit; & reſectæ ejusdem particulæ, ſi aquæ injicerentur; tarde ac ne vix quidem fundum petiere. Quædam omnino infra aquæ ſuperficiem ſuſpenſæ manſerunt.

Præterea materies quædam, qualis illa ſputorum coctorum eſſe ſolet, bronchiorum ramos opplevit, & copioſe ex pulmonibus leniter preſſis profluxit. Inter ſiniſtrum hunc pulmonem & diaphragma, ſeri ſubflavi paucæ unciæ repertæ ſunt, quo loco materies lardacea medium fere digitum craſſa, cruſtam phlogiſticam & colore, & tenacitate referens, pulmonis infimas oras obtexerat, ea ratione, ut primo intuitu rupti abſceſſus parietes mentiretur: ſed laciniæ hæ avellentem digitum facile ſequebantur, & ſubjectam pulmonis, partiumque vicinarum ſubſtantiam integram demonſtrabant.

Mediaſtinum ſubinflammatum: pleura ſana, ad quam

quam pleriſque in locis in utroque thoracis cavo pulmones carnoſis, & quaſi ligamentoſis craſſisque nexibus religati fuerunt. Vaſa coronaria ampliora ſolito, ſanguine multo infarcta, & fere varicoſa.

In abdomine omentum inflammatum ex toto. Inteſtina tenuia multis in locis inflammata, & hinc inde incipiente gangræna tentata apparebant.

Diſſectum caput duram meningem ſanguine turgentem, & hinc inde inflammatam, qua vero parte cerebrum a cerebello disjungit, craſſis fibris parallelis intertextam exhibuit. Pia meninx majori, ac fere univerſali phlogoſi tenebatur. Cerebrum aſſulatim ſectum, medullarem ſubſtantiam pluribus ac majoribus punctis rubris, quam alias ſolet, diſtinctam monſtrabat.

Viden effata Hippocratica etiam hic demonſtrata: *ſpiritus denſus, & parvus inflammationem in locis principalibus ſignificat.* L. de coac. prænot. *ſpiritus extendens, & urgens, & obſcurus, & dupla intro revocatio, velut ſuperinſpirantibus, lethalis.* Ibidem.

Inde præterea conſtat & *ſtrepentem* reſpirationem, & dolores citra rationem levatos: Hippocrati merito damnari.

Hinc prognoſin, dictante id etiam Baglivio, non ex hoc utpote infido ſymptomatum levamine, ſed ex ſola ſprirandi libertate majori, minorive in morbis pectoris formare convenit.

In hoc caſu illuc quoque Celſi obtinuit L. 2 C. 7. ubi mens laborare iis dicitur, quibus cauſa doloris neque ſenſus ejus eſt, & protinus inſaniam timendam eſſe, ubi expeditior alicujus, quam ſani fuerit, ſermo eſt, ſubitaque loquacitas orta, & hæc ipſa ſolito audacior.

SECTIO SEPTIMA.

Fœmina cœlebs 30 annorum, habitu ſtrigoſo, bilioſoque die 24ta Julii ad nos venit, cujus hiſtoria morbi hæc eſt:

Ab octo diebus extra Noſocomium quotidie paroxysmum febrilem ſuſtinuit. Febrilis acceſſio plerumque a vomitu bilioſo ſpontaneo ordiebatur. Subinde, idque primis morbi diebus, præter vomitum etiam alvus movebatur, attamen non præter modum. Obambulando hucusque ægrotabat.

In Noſocomium ſuſcepta linguam habuit bilioſam, os amarum glutine tenaci obductum, appetitum dejectum, reſpirationem difficilem. In paroxysmo febrili apud nos non amplius vomuit. Color leviter flaveſcens totum corpus, faciem præſertim infecit, & paucæ hinc inde petechiæ non latæ, & coloris obſolete rubri viſebantur. Auditus paulo gravior.

Præmiſſis ſolventibus ex oxymelle, roob ſambuci cum ſale quodam medio, vomitum, exhibita radice ipecacuanha, movimus. Difficulter vomuit, & ter ſolummodo, pauca, vitellina, craſſa ſupra modum, tenaciaque: ſubjungebatur denuo ſolventium uſus.

Die tertio ab aſſumpto emetico pulſus admodum debilis, intermittens, remmittens, ac omni modo inæqualis fieri, ſomnolentia, ac ſomnus fere continuus accedere, frigus extremorum, ſudorque frigidus quaſi mox morituram per intervalla occupare. Ad interrogata expergeſit, & apta reſpondet, & ſolum oris amarorem queritur. Viribus ita vacillantibus cortice peruviano, camphora, ſinapismis, & veſicantibus ſuppetias ferre ſtudebamus. Veſicantia nullas veſicas excitarant.

Die quinto, ex quo ad nos venit, totius morbi decimo tertio, moritur.

Sec-

Sectum cadaver ſequentia monſtrabat:

Reſecto cranio, corticalis cerebri ſubſtantia colorem ſolito magis fuſcum, & ex leviſſimo rubore lividum exhibuit. In utroque choroideo plexu racemus hydatidum fuit, quarum maxima cicerem magnitudine æquabat. Medulla oblongata prementi digito, & cultro diſſecanti duritiem hepatis oppoſuit.

Aperto thorace pulmo dexter validis nexibus ad coſtam 3. 4. 5tam, numero a ſuperioribus ducto, religatus inveniebatur.

In abdomine color omnium fere inteſtinorum lividus fuit, multumque a naturali abludens. Omentum fuſcum, putridum. Ventriculi interior membrana maxima ex parte colore fuſco erat, præcipue in ejusdem fundo. At verſus pylorum levis inflammatio eandem interiorem membranam prehenderat. In cavo ventriculi materies colorem medicamenti referens, ſed mucoſa plurimum, & ductilis reperiebatur.

Veſicula fellea admodum turgida ſaturatiſſimo colore flavo tingebatur, quem & omnes vicinæ jecori partes referebant. E diſſecta veſicula prodiit materies primo aſpectu atra, tenax, oleum pervetuſtum, & amurcoſum referens: charta bibula huic immiſſa profundo colore flavo imbuebatur. Subſtantia hepatis bona, ſed obſcurioris, magisque fuſci coloris, ac alias ſolet.

Ex hac ſectione anatomica, aliisque conſimilibus per alios factis, morborum malignorum, petechialiumque cauſa, & ſedes, mortisque inde prognatæ, ratio conſtare videtur. Non enim crudus, putriduſque ſolummodo primarum viarum apparatus hujusmodi morbos generat, ſed & bilis quantitate peccans, peccans itidem prava qualitate; tenax quippe, glutinoſa, amurcoſa, acrisque, partim intra veſiculam collecta, eandem ſollicitans, diſtendens, partim vero quoad tenuiores ſuas particulas ex ſyſtemate gaſtrico,

& biliſero reſorpta, ſymptomatum in morbo maligno obſervari ſolitorum, explicatus non obſcuros ſuppeditat.

Bilioſa hæc materies occidere videtur diverſa ratione; vel enim, quas allabitur partes, ventriculum, & inteſtina inflammat, vel absque prægreſſa inflammatione necroſin ac gangrænæ aut ſphaceli ſpeciem quandam iisdem viſceribus infert.

Inflammatio hæc ab acri hac bile generari ſolita alterius ſpeciei videtur, & *maligna* eſſe, ac ab illa multum differre, quam, cum venæ ſectionibus, diluentibus, emollientibus haud difficulter curemus, *benignam* appellare convenit.

Hæc bilioſa, & acris materies abſorpta, & ad alias partes delata idem mali, videlicet vel inflammationem, vel necroſin lethalem producit. Hinc in quibusdam cerebrum, in aliis pulmones, aliaque viscera male affecta reperta ſunt, prout quis viſcus quoddam ante morbum quacunque ex cauſa imbecillum habuit, ad quod materies bilioſa reſorpta decubuit.

Scriptores medici, qui ſectis cadaveribus cauſas, effectusque morborum rimabantur, haud abſimiles viſcerum noxas in iis repererunt, qui ex febre maligna deceſſere.

Spigelius Lib. de ſemitertiana, *inteſtina tenuia partim inflammata partim ſphacelata*, in hominibus, febre maligna demortuis, inventa, memorat, etſi de nullis in vita doloribus ventris unquam queſti eſſent. Non raro *lividas in ventriculo maculas*, *tanquam ab hauſto veneno* viderat.

Cornelius Gemma in cadaveribus hominum, hemitritæa peſtilenti defunctorum, præter dictas partes etiam hepar, & cor cum pulmonibus ex integro, aut magnam ſaltem illorum partem, nunc *inſtar carbonum nigra*, nunc *tuberculis ſuppuratis plena*, obſervavit.

Con-

Conſtat præterea auctoribus Spigelio, Schenckio, Helmontio, Diemerbroekio &c. eadem, quæ in corporum externa ſuperficie proſtare alias ſolent, exanthemata, & anthraces, etiam in ventriculo ac paſſim alibi in corpore reperta eſſe.

Teſte Hieronymo Occone, cum terras brixianas tetra olim lues funeſtaret, ſecta mortuorum cadavera cerebrum ipſum graviter affectum, *combuſtum*, *nigrum*, & *arefactum* exhibuere.

De emeticorum uſu in morbis malignis in præſentiarum quædam dicam. Vis radicis ipecacuanhæ ea ratione propinatæ, ut ſingulis horis grana decem ejusdem radicis devorentur, donec tertia doſis abſumpta fuerit, dummodo materies ſat mobilis ſit, & evacuationi apta, multiplici ex cauſa convenire hiſce morbis præprimis videtur.

1mo. Enim evacuat ea via, qua brevior nulla datur, quidquid alieni in ventriculo, & proximo inteſtino hoſpitatur.

2do. Ipſe vomendi conatus turgentem prava bile veſiculam emulget.

3tio. Radix ipecacuanhæ vi antiſeptica, aromatica, roboranteque hoc in caſu perutili commendatur.

Hinc illa methodus, qua cl. Wagnerus Lubecenſium medicus, Heiſteri diſcipulus, adeo, fortunate uſus eſt, peculiarem commendationem meretur; cum enim febres exanthematicas, petechiales, purpuram, & conſimiles pro morbis gaſtricis, ſive meſentericis haberet, mixturam propinavit ex unciis tribus, quatuorve aquæ cardui benedicti, & drachma dimidia radicis ipecacuanhæ cum ſale quodam medio tritæ, concinnatam, unde omni vel dimidia, vel integra hora cochleare ordinarium ſumebatur, donec ipecacuanha effectum ſortiretur. Mixturas poſtea ſolventes, quæ & alias excretiones, diapnoen, & diuteſin promoverent, exhibuit. At ſi morbus in-

tra horas circiter duodecim gravius urgeret, ſi vertigo, faucium affectus, & lipothymia nondum remiſiſſent, ſi pulſus, & reſpiratio nondum emendarentur, prædictam potionem evacuantem denuo ac toties repetiit, donec ſymptomatum remiſſio morbum in meliora tendentem oſtenderet.

Ad reſpirationem præ cæteris attentus fuit, cujus difficultatem in morbis exanthematicis inter ſigna pathognomica jure recenſuit.

Cl. hic vir (ut id modo dicam, cujus gratia hæc præmiſi) pauca grana ipecacuanhæ mixturis morbo convenientibus, ſemper addidit, donec ſigna malignitatis evanuerant.

Exiguæ hæ ipecacuanhæ doſes continuas vomitiones; ſubinde & vomitum excitant, majoremque hac ratione humorum ſalivalium, lenteſcentium, glandulas infarcientium, & ipſius bilis veſiculam diſtendentis, irritantis, putreſcentis, ac jamjam reſorbendæ, affluxum ad cavum ventriculi, & inteſtina conciliant, quin & ſordes bilioſæ jam abſorptæ denuo revocantur, ut excitato ſalutari vomitu, alvoque mota, eliminentur.

Hac methodo etiam ego aliquoties exoptato cum eventu uſus ſum: morbi materiem ſolventibus mobilem reddidi, emetico paulo poſt excutiendam. Mota emeſi denuo ſolventia præbui, ut, quod reſtabat ſordium bilioſarum, æque aptum efficiatur, quo iterata emeſi eliminari totum queat. Medicamentis hiſce ſolventibus exiguas ipecacuanhæ portiones adjeci, quibus nauſea continua, ſubinde etiam vomitus concitabatur.

Utilem hanc praxin cenſebam, quotieſcunque os ſupra modum mucoſum, dentes ſordidi, lingua craſſa, tenacique materie conſpurcata, conſimilem & ventriculi, & tubi inteſtinalis ſtatum indicabant, & quo-

quotieſcunque poſt primos vomitus inſigne levamen non ſequeretur.

Hæc crudæ, tenaciſſimæque materiæ conditio tempore verno rarius apparebat, æſtate vero & autumno frequentiſſime. Inde potiſſimum morborum, adulta æſtate & autumno regnantium, pertinacia eſt, etſi & aliæ accedant non nullius momenti cauſæ.

Id præterire in recenſenda hac methodo non poſſum, plurimum ſcilicet intereſſe, ne exhibitis illis refractis ipecacuanhæ doſibus, res intra ſolas nauſeas, vomituritionesque conſiſtat. Quid enim utilitatis: aut quid non damni potius ægrum experiri neceſſum eſt, ſi nulla nec emeſi, nec catharſi mota materies præcordia inundet, & denuo vi alterantis, & alexipharmacæ radicis intra humorum circulantium alveum adigatur? hinc nauſeas, vomituritionesque ſubinde vomitus ſalutaris interpellet oportet.

Cum viſcerum noxas in hoc cadavere per me, in aliis vero per alios repertas recenſeo, alterius cujusdam ſectionis recordor, a me, dum inter Hungaros phyſici, ut vocant, officio fungerer, inſtitutæ, quæ etſi alio & tempore, & loco facta ſit, nihilominus ob argumenti ſimilitudinem, aliaque quædam ſcitu non injucunda apprime huc facit. Hanc, quemadmodum tunc fuerat in adverſaria relata, excerptam dabo. Sit ergo

SECTIO OCTAVA.

Die 6ta Auguſti 1772. Anna Maria Kazyi annum agens ætatis quintum, a nativitate nullo graviori morbo decubuit, morbillis, & variolis necdum defuncta. Verminoſa nihilominus perpetuo fuit. Excrevit non raro lumbricos, & aſcarides, communioraque ac leviora vermium ſymptomata ſæpius patiebatur.

Menſe Octobri anni elapſi, cum per ſex fere ſepti-

ma-

manas tertiana laboraſſet, a medico ſanabatur. Nuper quotidiana corripiebatur: paroxysmi leviores, pomeridiani. Exacto ſecundo paroxysmo, à parentibus convocatæ in conſilium vicinæ matronæ ſunt, quarum disquiſitioni puellæ genitor remedium quoddam propoſuit, illis in terris ad curandas in junioribus febres, ſolenne; balſamum id eſt ex balſamo peruviano, oleis ſtillatitiis, & ſpiritibus quibusdam confectum. Matronæ in id coivere, dandas eſſe ſæpius per diem guttas tres quatuorve penetrantiſſimi remedii. Habuit puella tres adhuc paroxysmos.

Die 3tia Auguſti loco paroxysmi, qui omnium univerſim paroxysmorum ſextus fuit, calor ſolum advertebatur. Puella ſolum ſub ipſis paroxysmis, nec ſub his ſemper decubuit: ita facile ægritudinem tulit.

Die ſequenti, quarta ſcilicet Auguſti, puella conſuetum alias jentaculum nauſeat, languet parumper, & alvum ponit paucam, pauco floridoque ſanguine commixtam. Circa nonam matutinam pauca vitellina vomit: prandium more conſueto, & cum appetitu ſumit. Circa quartam pomeridianam, quo tempore febrilis acceſſio fieri conſuevit, dolore colico, item ventriculi, hypochondriorumque corripitur. Circa ſeptimam veſpertinam ſomnus: ad mediam noctam evigilat. Dolor acerbus præcordiorum, & totius abdominis, ejusque tenſio, ejulatus, jactitatio per reliquum noctis; diem ſubſequentem, & noctem proximam. Alvus nulla: vomitus nullus.

Die 6ta Auguſti eadem ſymptomata. Veſperi vocatus, multas maculas petechiales in cruribus reperi: color earum diverſus, roſeus, intenſe ruber, profunde ruber, caſtaneus, liveſcens, nigreſcens, varia magnitudine, aliæ lenticulares, latæ aliæ. Una alterave tantum amplior macula, & liveſcens in trunco corporis & brachiis. Pulſuum frequentia ſtupenda,

penda, calor ad attactum mordax, jactitatio & ejulatus continuus.

Die 7ma Auguſti eadem omnia. Plures interea maculæ petechiales latæ & nigræ per copus viſebantur: in brachio ſiniſtro ſupra cubitum macula latiſſima livida. Circa meridiem frigent extrema. Nullus amplius ad carpum pulſus. Ejulatio & jactatio perſtant: a meridie frigus extremorum auctum: nulla mentis præſentia, jactatio, & circa ſeptimam veſpertinam mors.

Die 8va Auguſti cadaver ſecui. Aperto abdomine omentum leviter inflammatum deprehendebatur; inteſtina vero tenuia, ſi tractum duos circiter transverſos digitos longum excipias, partim profunde rubra, partim ex rubro livida. Inteſtina craſſa ſana.

Per totum inteſtinorum tenuium partim inflammatorum, partim gangrænoſorum tractum, crebræ petechiæ conſpiciebantur, parvæ, magnæque, & coloris varii, vec læte roſei, vel ex rubro nigricantis, vel atri penitus. Meſenterium, & peritonæum ſimillimis, ac tenuia inteſtina, petechiis large conſpergebantur. Glandulæ meſenterii majores multo, ac in ſanis ſolent. Ex rubro nigricabant, & totidem quaſi ſanguinis grumos referebant.

Macula petechialis, ſcalpello per medium ſecta, humorem fudit *extravaſatum*, ac ſi pars quædam ſugillata diſſecaretur, & ejuſdem coloris, quem macula ipſa petechialis, antequam ſecta eſſet, monſtravit.

Ventriculus exacte maculatam tigridis pellem referebat, albidam videlicet, & maculis nigris amplis, crebriſque interſtinctam. Pulmones ſani. In ipſa cordis externa ſuperficie petechiæ varia magnitudine, & colore diverſo viſebantur.

Petechias per brachia, & crura diſperſas cum examina-

minarem, eas per totam cutis ſubſtantiam, & quasdam non exiguam ſæpe numero ſubjectæ pinguedinis portionem penetrare, eodemque has partes colore afficere deprehendi, quem petechia viſui exhibuit non diſſecta.

Macula illa lata omnium in corpore maxima, ſupra cubitum in externa ſiniſtri brachii parte viſa, cum in eam ſcalpello inquirerem, ad muſculos usque per profundam ſatis pinguedinem penetrabat, eo modo, ut conum referret, cujus apex muſculos tangeret, baſis vero in externa brachii ſuperficie formaretur.

Lumbricos aliquot, paucos tamen, in inteſtino colo reperi.

Doleo me in tanta feſtinatione diſquirere non potuiſſe, an & in aliis, & quibus in partibus petechiæ reperiantur.

Nota, in tanta ventriculi inflammatione, quam dira necroſis excepit, vomitum non adfuiſſe, niſi levem, & ſemel tantum, cum ad initium hujus ultimi morbi pauca vitellina rejiceret. Etſi ægri, gaſtritide correpti, *vomitum dolentiſſimum ſtatim ab omni ingeſto, cum ſingultu dolorifico* docente Boerhaavio experiantur.

Graviſſima omnium fere tenuium inteſtinorum inflammatio *ileum* non excitavit.

SECTIO NONA.

Juvencula annum vigeſimum ſecundum agens ad Noſocomium venit, & ſequentia queritur:

A ſex annis ulcera crurum habet non ampla quidem, nec profunda, ſed cicatricem recuſantia. Ab aliquot annis in fabrica, ut appellant, conficiendis tæniis ſericis dicata, texendo ſibi victum comparat. Corpore ibi proclivi ſedent, & parte ſterni infima

ad-

ad machinam fortius adpreſſa laborem exercent. Tempus inter texendum cantando fallunt.

Sana cæterum fuit. Menſtrua ordinata. A quinque menſibus ſe catarrho laboraſſe ait. A ſex autem ſeptimanis ſpiritum fieri multo difficiliorem, tuſſim frequentiorem, adventante præprimis veſpera, noctúque: ſputa purulenta reddi, ſitire, levi per intervalla horrore perſtringi, & inſomnes noctes agere. Non multum emaciabatur, & laboribus ſuis ita fungebatur, ut per duos ſolum dies domi ſuæ decubuerit.

Die ſecunda Septembris 1776. nos accedit. Pulſus febrilis, non debilis, attamen nec durus: decubitus difficilis in latus ſiniſtrum: dolor ad infimam ſterni partem: rubor perfrequens genæ ſiniſtræ: ſudores nocturni & diarrhœa ægram exercent.

Cum usque ad diem ejus menſis 15tam præter ſudores, qui comprimebantur, nil emendaretur, alvusque ſex, octove vicibus intra nychthemeron, uti antea, moveretur, & nihil in pejus converſum arbitraremur, ecce, cum ſedens in lecto & cum infirmariis loquitur, plenoque decocti vaſculo epoto decumbit, & facillime in alterutrum latus ſe convertit, vegetis omnibus ſenſibus, nihilque præſentiens vix non inter loquendum moritur.

Cadaver pro juvenculæ habitu toroſum ſatis, & macie nequaquam confectum apparuit.

Aperto thorace pulmo dexter levioribus membranaceis nexibus cum pleura cohæſit. Pulmo ipſe pondere gravis hepaticam duritiem cultro oppoſuit. Sectus innumeris exiguis abſceſſibus, purulentam materiem plorantibus, ſcatebat, quorum plerique lentem vix caperent, piſum aliqui, pauci nucem avellanam. Bronchia, bronchiorumque ramos pus inundabat. Reliqua pulmonis ſubſtantia abſceſſibus interpoſita,

gravi

gravi crudaque inflammatione tenebratur. Pulmo ſiniſter ſanus fuit.

Pericardium ſeri uncias fere octo continebat: ſectum abdomen libras ſeri circiter duas, viſcera vero ſana monſtrabat, glandulas meſenterii ſi excipias, grandiores videlicet, ac in ſanis ſolent.

Cum collo ſtrumoſo eſſet, glandulam *thyroideam* ſecuimus, quæ ſubſtantia gelatinoſa, glutinoſaque hinc inde diſtendebatur.

Vix ullus morbus eſt, in quo tam varia remedia, ac in phthyſi ſananda celebrantur. Verum tamen ni quis exacte morbi cauſam inter tot alias dignoverit, infortunatam medicinam faciet. Ob neglectam hanc in phthyſi disquiſitionem accuratam, cum etiam ob ipſam mali, licet probe cogniti, gravitatem, quotidie fit, ut morbus hic tot hominibus exitium afferat.

Phthyſis purulenta, ex hæmopthyſi, vel peripneumonia, vel pleuritide ſuppurante orta, omnium peſſima eſt; &, ſi juncta febris hectica ſit, ſi ſudores colliquantes, & diarrhœa ſupervenerint, brevi pernicioſa.

Multæ rationes ſunt, quæ ulcera pulmonum coire, conſanarique prohibent.

In phthyſi pulmonali a fomite purulento aliud quoque vitium præter abſceſſum in pulmonibus plerumque reperitur, inflammatio videlicet partium abſceſſui vicinarum: hinc nova ſanandæ phthyſeos difficultas.

Qui hæmopthyſi aut laborarunt, aut adhuc laborant, purulenta ſputant, ſanguine ſubinde tincta: per intervalla auctum lateris dolorem queruntur, omniaque illa ſigna monſtrant, que *latentem*, & *chronicam pulmonum inflammationem* indicant ſuperius deſcriptam.

Phthyſeos ex hac hæmopthyſi natæ, vel cum eadem

dem junctæ ideam exactam habebit, qui *continuam & chronicam pulmonum inflammationem* concipiet, *vel chronicam quandam peripneumoniam cum ſputo cruento ob vaſa pulmonum debiliora ſolito largiori, ubi pars quædam inflammata in ſuppurationem tranſiit, reliqua reliqui pulmonis inflammatione cruda perſiſtente.* Sermo hic eſt de illa hæmopthyſis ſpecie, quam *inflammatoriam* appellare convenit, ab aliis alia ex origine natis probe diſtinguendam.

Abſceſſus pulmonum ex pleuritide, & peripneumonia acuta (nam & chronicam dari, ſupra oſtenſum eſt) comitatur æque partium ulceri vicinarum inflammatio, minor tamen ut plurimum, quam in *hæmopthyſi inflammatoria.*

His præmiſſis, facile patebit quid in phthyſi pulmonali ex hæmopthyſi, vel peripneumonia, aut pleuritide ſuppurante orta proſit, noceatve.

Balſamica, uti balſamum Locatelli, terebinthinam, myrrham, aliaque hujus generis à multis celebrata remedia Morgagnius, & ipſa toties repetita obſervatio reprobat: calorem augent, febrimque & peripneumoniam comitem, & ſuppurationem promovent.

Salina, aquæ ſelteranæ, aliæque conſimiles, uti in lentore, & infarctu pulmonum frigido, eorundem tuberculis, & ſcrophuloſa diatheſi eximie proſunt, ita certo hic nocent.

Cortex peruvianus phthyſin ab hæmopthyſi inflammatoria natam, ipſamque hanc hæmopthyſin adeo non ſanat, ut illam inſigniter promoveat, & ægros in perniciem præcipites agat. Inde etiam ratio habetur, quare adſtringentia in *hæmopthyſi phlogiſtica*, etſi vulgata praxis iiſdem toties utatur, morbum plerumque immedicabilem reddant.

Attamen cum magni viri corticem peruvianum in internis ſuppurationibus laudarint; alii vero haud in-

feriores reprobarint, diſpiciendum eſt, quibus ſub conditionibus remedium hoc exhiberi cum emolumento queat.

Si a ratione & experientia conſilium petatur, cortex proderit, ſi nulla in ſanguine phlogiſtica diatheſis fuerit, ſi liber puri exitus pateat, ſique penes abſceſſum nulla inſignis inflammatio ſit.

In ſuppurationibus externis, atque etiam in iis internis ubi libere profluere, atque extra corpus ferri purulenta materies poteſt, corticis vis ſanguinem à labe contrahenda præmunit, & tabem averruncat.

Pure alicubi intra corpus concluſo, aut præſente ſanguinis phlogiſtica diatheſi, aut pulmonibus, penes abſceſſum graviter inflammatis, hic cortex aut inutilis, aut perniciofus artem ludit.

Decantata ab omni ævo cura lactea fuit. Lac febricitantibus, ad quos noſtri quoque phthyſici pertinent, teſte Hippocrate, & experientia non convenit: in diatheſi phlogiſtica ob partem caſeoſam omnino prohibetur. Hinc mirum non eſt, curam lacteam, utut per multa ſæcula vel inter plebem deprædicatam, in *hac phthyſi* ſpem medicantium, & ægrorum ſemper fallere.

Lac quadrupla aquæ quantitate dilutum, vel ipſum lactis ſerum potiori jure præſcribitur. Lac aſininum humano magis analogum à veteribus celebratum exſpectationi noſtræ in *hac phthyſeos ſpecie* neutiquam ſatisfacit.

Hinc etiam patet, quid a lacte humano ex mammis ſugendo ſperandum, timendumve ſit.

Antihecticum Poterii eviluit.

Accubitus corporis juvenilis hoc in caſu ægro nihil prodeſt, & accumbenti nocet.

Sed quid de æquitatione ab Sydenhamo ſummis encomiis, celebrata, qua & ſudores, & diarrhœam

col-

colliquativam vir ſummus curaſſe ſe aſſerit, ſentiendum?

Doleo male intellectam à multis in ægrorum perniciem Sydenhami mentem eſſe; certe multiplex experientia docuit, hoc remedii genus, utut præſtantiſſimum in plurimis morbis chronicis, phthyſicis ex ulcere interno laborantibus æque parum convenire, ac pleuriticis & peripneumonicis; eosque equitatio, & vectio in curru

Ad ſtygias certo limite ducit aquas.

Aptius utique hoc exercitii genus adhibetur in iis, quibus dejecta vis ventriculi inteſtinorumque, ingeſta male aſſimilat, atque hinc atrophiam, & maciem inducit: aut ubi diu perdurans tuſſis ſtomachica eum corporis habitum effecit, qui phthyſin mentitur: in tuſſi *habituali* dicta, a congeſtione lenta, viſcidoque pulmonum infarctu orta: in hypochondriacis, ſedentariis: viſcerum abdominalium pituitoſo infarctu, indeque nata atrophia laborantibus: poſt febres bilioſas, intermittentes diuturnas, rebelles quartanas, lentas, meſentericas, colicam bilioſam, dyſenteriam: poſt quoſcunque morbos, qui atoniam ſolidorum, & humorum bonorum penuriam vel ſuapte, vel longa & difficili medicatione poſt ſe reliquerunt: poſt nimiam nobiliorum ſuccorum, ſanguinis, ſeminis, liquidi nervei deperditionem, natamque inde pravam, tabidamque corporis diatheſin.

Lichen islandicus laxo, imbecillique pulmoni pulchre medetur. Quibus udum corpus eſt, & pulmo ſeroſa colluvie frequenter inundatur, his catarrhoſam hanc diatheſin plaſtica, ſimulque tonica lichenis virtus corrigit.

Decoctum polygalæ iisdem ac lichen prodeſt, cui apte non raro jungitur. Hæmopthyſi & phthyſi inde

 na-

natæ ob rationes ſupra narratas æque parum, ac cortex peruvianus, aut alia roborantia, convenit.

Lichen islandicus, & polygala in ſpuria illa phthyſi, quam equitatione ſanari ſupra diximus, vires non contemnendas poſſidet: veram pleuritidem, aut peripneumoniam nunquam ſanat, ſæpius vero ſpuriam, ſeroſam, pituitoſam.

Quod ſi poſt veram pulmonum inflammationem fracta dudum phlogoſi, vis vitæ languens anacatharſi non ſufficiat, & materiæ expectorandæ copia pulmones gravet, virium imbecillitati lichen & polygala robur addent, & *ſpuriam hanc peripneumoniam* auferent. Verum etiam in alio caſu polygalæ decoctum admodum efficax obſervavimus, ubi ſcilicet ſputa inflammationem pulmonum judicantia *diutius*, ac par eſt, ac *copioſius* prodeunt, viresque ægri reſiduas convellunt, eundumque conſumunt.

Qui frequentes parvasque ſanguinis miſſiones inſtituerunt, ad curationem phthyſeos ex hæmopthyſi inflammatoria natæ notionem habuiſſe videntur, ac ipſorum, a quibus damnabantur, adverſarii. Venæ ſectiones morbo, & viribus ægri reſpondentes, decocta herbarum & radicum emollientium, emulſa, & victus mere vegetabilis in ſananda phthyſi purulenta inſigniori reliqui pulmonis inflammationi juncta, omnibus aliis remediis palmam præripiunt.

SECTIO DECIMA.

Vetula habitu corporis ſtrigoſo & icterico, circa finem menſis Junii ad nos venit, dolorem ad hepatis regionem verſus ventriculum, & ardorem inſignem inde a coſtis infimis ad criſtam oſſis ilei ab aliquot diebus queſta. Se ante tres ſeptimanas e Noſocomio Pazmaniano diſceſſiſſe ex ictero ſanam, vegetamque ajebat, quo ibidem ſeptem fere ſeptimanis decu-

cubuerat. Plura, utut aliquoties interrogata, non retulit.

Adplicatis tum externe, cum interne iis omnibus, quæ ex uſu eſſe arbitrabamur, en repente poſt paucos dies ſanguinem copioſum, nigrum, leviterque grumoſum vomit. Cum aqua ſimplex multo ſpiritu vitrioli alterata pro potu, omniaque alimenta frigide darentur, ligaturis artuum adhibitis, cruentus hic vomitus brevi quievit, quo compreſſo exiguæ portiones rhei cum tartari cremore præſcriptæ fuere, eductæque fæces multæ, multo ſanguini grumoſo mixtæ.

At quotidie circa meridiem febris quotidianæ acceſſio non diuturna, nec vehemens, & paucis diebus elapſis iterum evanida obſervabatur. Dolor in abdomine inde ab illo ſanguinis vomitu pedetentim mitior factus, tandem in delicatiorem tantummodo, & rudioris attactus non omnino patientem ſenſationem convertebatur, quin tamen reapſe contrectata abdominis plaga vere doleret. Pulſus nihilominus exiles, obſcurique, & frequentiores, quam tunc fuerant, cum ad nos veniret, continuo obſervabantur.

Octo fere ab ultima febris quotidianæ acceſſione elapſis diebus, cum jam abitum e Noſocomio meditaretur, ſubito moritur.

Cadaver ſectum exhibuit in cavo thoracis ſingulo ſeri uncias fere octo. Pulmones ſani cæteroquin, ſed flaccidiores multo ac alias eſſe ſolent, diſſecti ſerum ſtillabant.

In abdomine ventriculus diſſectus in medio inter utrumque orificium arcui ejusdem majori inſidentem tumorem cancroſum, inæquali ſuperficie, ac tuberis ſolani forma præditum continebat. Tumorem hunc vaſa varicoſa, cæruleaque perreptabant, & preſſus ichorem fudit. Inde a tumore ad pylorum

usque ventriculus anguſtus inteſtini potius duodeni, quam ventriculi figuram referebat.

Duodenum longo tractu arctis ſupramodum validisque nexibus, quos cultro ſolvere, quin nexa viſcera læderentur, non licuit; cum hepatis cavo cohæſerat ita, ut veſicula fellea ab utroque viſcere intercepta elideretur penitus, ejusque loco abſceſſus nucem juglandem æquans, ac fœtidiſſima, amurcoſaque materie plenus reperiretur.

Ductum communem choledochum, quo loco is inteſtino duodeno inſeritur, calculus triplici obtuſo angulo præditus, obturabat, ita ut ibi natus videretur, cum receptaculum, quo continebatur, exacte repleret, & quodam ſuo angulo ductum, quo is in inteſtinum aperitur, perfecte clauderet.

Calculus minorem nucem muſchatam magnitudine referebat, & circumcirca materia tenaci, flavaque obliniebatur, quæ paulo poſt exſiccata firmior ac fere lapidea evaſit. Cum fruſtulum ejus calculi vi avelleretur, diverſa, ſtrata apparebant, quæ calculum effecere. Quousque ductus ſupra calculum hepar verſus pertingeret, an cum abſceſſu amurcam continente, an vera recta cum hepate communicarit, non conſtat.

Subſtantia hepatis ſana, ſed tunicæ vaſorum ſanguiferorum, per hepar diſperſorum, prætermodum craſſæ, vaſaque ipſa ſolito ampliora. Totum ileum, & jejuni major portio profundo, ac obſolete rubro colore tingebantur, quem non a ſanguine grumoſo tranſparente, multoque per omnem inteſtinalem tubum collecto fieri, portio ablati elotique inteſtini demonſtravit. In ileo lumbricorum viventium adhuc, glomeres reperit ſunt.

Robur muſculorum, doloris abſentia, & animus præſens, ſalutem promittebant: at vero ευφοριαν

hanc

hanc infidam eſſe, ictus arteriarum per ultimos octo vitæ dies obſcuri, fractique indicabant.

Icterus chronicus in ſeniculis, diuturna cardialgia, dolor vel tumor præcordiorum continuus vitium grave, & *organicum* ſyſtematis vel gaſtrici, vel biliferi plerumque notat. Aliarum quoque ſectionum recordor, quæ hoc aſſertum comprobant.

Medicus medicinam his faciens & famæ ſuæ, & ægris conſulet, ſi a *potentiori ſolvente* remedio caverit; id enim incautius datum noxios, brevique funeſtos motus concitat, mortemque, ſerius alias occupantem, ni intempeſtive ſedula medicatio acceſſiſſet, accelerat. Victus blandus, & decocta radicis graminis, ac taraxaci tutius præſcribuntur.

SECTIO UNDECIMA.

Vidua 74 annorum militis officialis quondam uxor, a multis jam annis ſaniſſima, corpore ευσαρκω, ευκρȣς, cum more conſueto alacris eſſet, & veſperi paulo lautius cœnaret, hauſto inter cœnandum meraciori, & generoſiori vino, ac alias conſueverat, die 12ma Auguſti cubitum ſaniſſima conceſſit. Mane cum conſueto tempore ad jentaculum ſumendum non compareret, a domeſticis in lecto aphonos, & toto latere dextro paralytica reperitur. Heſternæ cœnæ reliquiæ vomitu per noctem procul dubio rejectæ, & lectum, & penes eundem pavimentum conſpurcabant.

Medicus accerſitus venam ſecuit in pede ſiniſtro, & tria veſicantia adplicuit.

Die 14ta circa noctem ad Noſocomium defertur, cum non haberet, qui ſumptus ferret, atque ipſa penuria preſſa iisdem ferendis impar eſſet. Adplicatis iis, quæ convenire viſa ſunt, cum nec domi, nec in Noſocomio ulla mentis præſentis indicia daret,

aut ſaltem pauca, & per intervalla ſolummodo, nocte diem 16tam excipiente moritur.

Cadaver aliquot à morte horis ſectum exhibuit intra meninges in utroque latere ſerum multum. Meninx pia ſolito durior, craſſiorque membranam aponevroticam æmulabatur. Vaſa ejusdem meninginis in latere ſiniſtro multo ampliora, ac in altero latere, & admodum infarcta plurimo ſanguine turgebant. In ventriculis pauxillum ſeri continebatur.

Cerebri ſubſtantia mollior ſolito apparebat: arteriæ carotides, ubi cranium ſubeunt, oſſeæ ex toto reperiebantur, talesque fuere, quousque illas intra canalem oſſeum perſequi ob penuriam temporis licuit. Rami carotidum magnam partem oſſei, ita tamen, ut portionem oſſeam alternatim exciperet alia naturalis. Artetiæ in latere cerebri ſiniſtro longiori tractu oſſeæ erant, quam eæ lateris oppoſiti. Quidam ramuli ſolum lamellas oſſeas exhibebant.

Sinus falciformis, qua is vertici capitis opponitur, oſſiculum tribus lineis craſſum, quatuor latum, & fere pollicem longum, eà parte continebat, qua falx proxime corpus calloſum reſpicit.

Siniſtra carotis in ſuo intra cranium introitu amplior multo, pluribus, ac amplioribus donata ramis erat, quam ſocia lateris dextri.

Vertebrales arteriæ idem omnino vitium exhibuere, atque ita primitus comparatæ videbantur, ut ſiniſtra vertebralis capacior multo eſſet, & in plures ramulos æque latiores diſpeſceretur, quam vertebralis dextra.

Cor, & ejus valvulæ juxta morem conſuetum fuere. Arcus aortæ ſolito amplior, & arteria pulmonalis in ſuperficie ſua interna granulis aſperis, oſſeisque hinc inde obſidebantur. Aorta deſcendens usque ad locum, ubi in iliacas dividitur, lamellas oſſeas exhibuit ſat magnas, & quibus hinc inde vix una ter-

tia

tia pars defuit, quin integrum circulum complerent. Iliacæ utriusque initium tubulum oſſeum longitudine fere dimidii pollicis referebat.

Alia aut non fuere quæſita, aut juxta naturam ſe habuere.

En cauſam apoplexiæ in latere cerebri ſiniſtro maxime repertam, & latus oppoſitum corporis paralyticum.

Originaria prædiſpoſitio aderat in inæquali arteriarum utriusque lateris capacitate. Id etiam præter conſuetum morem fuit, quod vaſa ſiniſtri lateris præ vaſis lateris alterius ampliora fuerint, cum alias plerumque contrarium obtineat.

Apoplexiæ cauſa prædiſponens vaſorum videlicet & major capacitas, & oſſeſcentia emendari non poterat.

Ex vomitu ab heſterna ingurgitatione orto, & cerebro dicta ratione prædiſpoſito apoplexia facile explicatur.

Periculoſus plane vomitus in ſenibus eſt, & quidquid ſanguinem validius verſus caput urget, prandium lautum, vinum meracius, fæx dura, ſternutatio, opium, &c.

Neque id ordinarium eſt, cerebrum fuiſſe *ſolito flaccidius*, etſi vetula fuerit, & arteriæ oſſeſcerent.

Ad ſeroſas apoplexias hanc, de qua loquimur, pertinere non rebamur, etſi multum ſeri intra meninges in utroque latere contineretur. Reſtitante enim congeſtoque intra calvariam ſanguine, tenuiorem partem, ſerum nempe, per lateralia vaſcula vi transprimi, percolarique neceſſum fuerat. Attamen productam *a ſanguine* apoplexiam *ſerum extravaſatum* auxerat.

In apoplecticorum ſecto cerebro frequenter leguntur *vaſa cerebri ſanguine turgida & ſerum multum effuſum*. Hujus generis apoplexiæ plerumque *ſeroſæ*

audiunt: verius *ſanguineæ* appellarentur; accumulatus enim intra caput ſanguis, & ſeri effuſi, & apoplexiæ cauſa eſt: ſerum ipſum effuſum *ad concauſas pertinet ſerius accedentes, quæve morbum ipſum non produxere, attamen productum augent.*

Diſcrimen non intra ſola vocabula conſiſtit: medendi enim methodus alia eſt, ſi *ſeroſa* apoplexia fuerit, atque alia, ſi *ſanguinea.* Porro diverſitas utriusque methodi tanta eſt, ut, ſi alteram pro altera adhibeas, nil agas indifferens, quodve ſi non proſit, non noceat, ſed ægrum data opera jugules.

Morgagnius apoplexiam, *ubi vaſa encephali ſanguine turgentia, & ſerum intra meninges effuſum deprehenderat*, inter *ſeroſas* retulit. Veruntamen errorem practicum prudens cavit, dum *in quibusdam apoplexiis ſeroſis* neceſſitatem venæ ſectionis ſtabilivit, ibi videlicet, *ubi ſanguis vaſa diſtendit, & turgentia vaſorum cum aqua conjicitur.*

Refert idem cl. Auctor, eſſe quosdam, qui aquam nunquam apoplexiæ *cauſam* arbitrentur, ſed *effectum* cauſæ apoplecticæ, ſanguinis nempe in cerebro, & vaſis circa cerebrum reſtitantis: ſed addit, id quidem plerumque ſe ita habere, tamen non ſemper.

Vere & originarie ſeroſas apoplexias dari certo conſtat, ibi venæ ſectio occidit. Succi pravi & diuturna cacochyma diatheſis præcedens: ſenectus, non cruda illa, vegetaque, quæ actionum integritate ipſam perſæpe juventutem ſuperat, ſed fracta, & imbecilla: acidulæ a debilibus, ſeniculis largius, & inconſulto potæ: ſanata crurum antiqua ulcera, quæ ſerum copioſum fundere diu conſueverant: humida, frigidaque tempeſtas: corpus catarrhoſum longo ante apoplexiam tempore ſigna ſuppeditant, quibus adjutus ſeroſam apoplexiam a ſanguinea non difficulter dignoſcas.

SEC-

SECTIO DUODECIMA.

Juvencula 26 annorum die 28va Auguſti ad Noſocomium deferebatur. A multo jam tempore ſana fuit, & menſtruis ſtata periodo redeuntibus uſa, quorum reditum proxime exſpectabat. Die 21ma Auguſti prægreſſa artuum laſſitudine friguit, caluitque per intervalla, & capite doluit. Eadem die facta venæ ſectio eſt: die altera purgans a chirurgo datum alvum diutius fluentem reddidit. Die ſequenti denuo vena ſecta eſt, & emeticum exhibitum, unde multa mucoſa bilioſaque vomuit, continuata diarrhœa.

Cum ad nos veniret, querebatur alternos horrores, caloresque: os amarum, mucoſumque fuit lingua glabra, prærubra, præcalida: pulſus debilis, admodum celer: petechiæ lenticulares, coloris obſolete rubri, proſtabant.

Indicatio a vacillantibus vitæ viribus deſumpta eſt, dataque ea ſunt, quæ imminentem compagis diſſolutionem præpedirent, cortex peruvianus, camphora &c. aliaque, quæ morbo convenire arbitrabamur. Verum indocilem prorſus, immorigeramque nacti ægram, & operam, & medicamenta perdidimus. Remedia enim aut non aſſumpſit, aut ſumpta in faciem cuſtodum exſpuit, mentis ſemper compos, & eorum, quæ faceret, probe conſcia hinc factum eſt, ut toto morbi tempore potior medicamentorum pars periret.

Interea pulſus frequentiores, debilioresque fieri, lingua aſperari, ſiccari, ut aſſæ potius carnis fruſtum referret: ardor circa præcordia, & in abdomine, qui attactum non ferebat, ſentiri, tandem tuſſi validiſſima, ſicca, veſperi: præcipue vexari, noctu demum ſubdelirare, etſi morbo multum jam progreſſo,

ſo, & ſubinde tantum id fieret, ac adſtantes, ſi quis ipſam alloqueretur, probe noſceret. Fæces nunquam in lectum miſit, ſui, ſuarumque neceſſitatum nunquam penitus oblita. Cæterum robur muſculorum ita viguit ad mortem usque, ut ad alvum ponendam ad ultimum usque vitæ tempus vel ſola vel unica cuſtode adjuta facile ſurgeret.

Die 23tia Septembris, cum per tres ultimos dies ſtupenda pulſuum frequentia, & exilitas eſſet moritur.

Cadaver apertum exhibuit omentum corruptum, ſphacelatumque magna ex parte: inteſtina vero hinc inde partim inflammata, partim vero gangrænoſa. Ventriculi interior membrana, præcipue verſus pylorum, maculis rubris, lenticularibus, totidem petechias referentibus, diſtinguebatur, & hinc inde leviter livebat. Veſicula fellea bile multa, quam ex aſpectu laudabilem diceres, turgebat. Glandulæ meſenterii ſolito majores erant, & grumos ſanguinis referebant. Uterus antrorſum verſus oſſa pubis, & ſiniſtrorſum ita inclinabatur, ut cervix ejusdem cum vagina in angulum acutum coiret, & uteri oſculum latus dextrum ac retrorſum reſpiceret, ligamentum latum lateris ſiniſtri multo brevius dextro fuit: interna uteri facies lineolas rubras, punctulaque rubra non exſtantia referebat.

Pulmones ſaniſſimos, nullaque in iisdem tuſſis validiſſimæ, morbo multum jam provecto, vexantis, veſtigia reperimus.

Febrim vel continuam, vel remittentem, quam cruda, & *biliformis* materies præcordiis inſidens producit, *bilioſas* alii, alii *putridas* appellitant. *Eandem hanc febrim*, ſi morbi materies altius infixa, & tenacior ſit, ac magna ex parte in ſanguinem traducta, ad nobiliora viſcera deponatur, & gravia hoc ipſo ſymptomata producat, *malignam* nominabimus,

bimus, quæ varias alias febres *petechialem*, *petechizantem*, *miliarem*, *ſcarlatinam*, *febrim carcerum*, *noſocomiorum*, *caſtrenſem* &c. ſub ſe quaſi totidem ejusdem febris differentias accidentales continet.

Alia nominum vis, & poteſtas in denominandis febribus apud veteres fuit. Quas non modo *inflammatorias* dicimus, illi *bilioſas* appellant ob cruſtam ſanguinis phlogiſticam, & flaveſcentem, quam ii *bilem ſanguinem bilioſum*, *pituitoſum*, ωμον αιμα nominarunt. Ballonius omnes ferme pleuritides *bilioſas* vocat, eas videlicet, quæ nobis *inflammatoriæ* ſunt. Ipſe Hippocrates L. de locis in homine, nomine *bilis* pleuritidem notat. *Pleuritis bilioſa* nobis toto genere diverſus morbus eſt.

Qui veterum libris uti cupit, eorum phraſeologiam, & vigentes quavis ætate opiniones, modosque loquendi, quin peculiarem cujuslibet ſcriptoris medici philoſophandi rationem noſſe debet, ni in graves errores abduci velit. Iisdem enim perſæpe vocabulis cum veteribus utimur, ſed quæ alias nobis ideas quam illi exprimunt. Sic cum Galenus in Comment. ad aphor. 23. L. 1. in febribus *bilioſis* venæ ſectionem etiam ad Lipothymiam usque præcipit, e contrario vero Arabes ſanguinis miſſionem in morbis iisdem reformidant, manifeſto conſtat, non eandem & Arabibus & Galeno bilioſi morbi notionem fuiſſe: & hunc, & illos verum dixiſſe, ſi Galenum de *inflammatoriis* loquentem, quas is *bilioſas* dixit, Arabes vero de *bilioſis* nobiſcum ſentientes accipiamus.

Venæ ſectionem in morbis putridis, gaſtricisque intempeſtive vel ab ipſomet ægro, vel ab aliis male conſulentibus, antequam ad nos venirent, inſtitutam ſæpius lugebamus. Dolenda plebeculæ ſors eſt, quæ, ut primum morbo corripitur, plerumque a medicaſtris, cum pecuniarum, & ipſius nonnunquam caris-

cariſſimæ vitæ diſpendio, opem petit, etſi tot aſyla pauperibus pateant, ubi omne auxiliorum genus gratis porrigitur.

Neſcio, an morbi ipſi, qui in populum ſæviunt, an vero ii, qui artem, quam non addidicere, illotis manibus tractant, numeroſiores ſtrages edant.

Præpoſitorum noſtrorum ſagaci providentiæ debemus, quod hæc populi peſtis indies mitius affligat, & a ſacris Æſculapii profani, quantum fieri poteſt, arceantur.

Emeſin cum emolumento in ejusmodi febribus moveri, per innumeras obſervationes conſtat. Id auxilii medicaſtri raro negligunt, at nullo ſano conſilio, nullis obſervationibus ducti, quadratis rotunda miſcent, ac purgationes, emeſes, venæ ſectiones, intra quæ ipſorum tota ſcientia conſiſtit, nulla habita temporis, ſexus, morbive ratione, inſtituunt, repetunt, quemadmodum cœco impetui, & vanæ ipſorum empiriæ libuerit.

Lingua *glabra*, *prærubra*, *prœcalida*, aut *inæqualis* ob papillas ejusdem magis elevatas, tumefactasque, etſi cæteroquin humida ſit; aut in medio *ſicca*, *aſperaque*, quaſi lingua bovilla; vel vero *ſicca*, *non aſpera*, *ſed lævis*, multiplici noſtra obſervatione febrim gaſtricam putridam, eamque difficiliorem curatu, longioremque portendit. Quosve hac linguæ diatheſi affectos accipimus, præmiſſis ſolventibus, emetico vacuamus, ac dein ſolventibus, ſale ammoniaco, juncto perſæpe cortice, conſanamus.

Exhibito primis 24. horis decocto ſolvente, ſolutionem tartari emetici propinamus. Poſtea ubi major virium jactura fuerit, vel ſolum corticem, vel camphoræ maritatum, vel in decocto, vel vero in ſubſtantia, ut ajunt, prout ex aliis circumſtantiis magis convenire arbitramur, exhibemus. Ipecacuanha apud

apud ejusmodi ægros impar, ut plurimum, tanti mali vindex eſt.

Linguas albas humidasque, aut vireſcente materia obductas, minus timebamus: his etſi vomitorium antimoniale cum utilitate dabatur, nihilominus ipecacuanha per epicraſin data ſatisfecit.

Purgans vices emetici rariſſime ſubit. Febrim purgans frequentiſſime incendit, quam emeticum uno quaſi ictu jugulat.

Inanis plerumque metus emeſin prohibet, eique alvinam purgationem ſubſtituit.

Etſi alvus minori in præſentiarum cum moleſtia moveatur, quam emeſis, peracta tamen operatione, citius motæ ab emetico turbæ componuntur, quam quas purgans pharmacum concitavit.

In febribus putridis, ſive bilioſis obſervatum frequenter eſt, datis ſolventibus, motaque emeſi, alterutrum ex duobus ſtatum obtinere; vel enim eliminata morbi materie æger inſigne omnium ſymptomatum, cephalalgiæ, tumulentiæque præcipue, ac cardialgiæ levamen experitur, ac ferme apyretos eſt; vel vero rejectis licet copioſis ſordibus, caput æque propemodum, ac antea, gravatur: pulſus debiles, exigui, frequentesque perſeverant. Quod ſi prior ægroti conditio obtineat, ſufficiet continuatus ſolventium, ſalis præcipue ammoniaci uſus.

Salem hunc aliis remediis ſalinis anteferendum ex eo exiſtimo, quod glutinoſa, tenaciaque potenter inſidat, & torpeſcentes ſimul fibras ſtimulet, quo reſtitantes ſaburræ reliquias excutiant.

Verum ſi alter ægroti ſtatus ſit, ubi eliminata licet ingenti materiæ mole, quæ præcordia citra noxam occupare non poterat, levamen evacuationi conveniens reſpondet, & pulſus molles, humiles, frequentesque ſunt, illico ad corticem peruvianum, camphoram, ſerpentariam virginianam confugere

gere oportet. Hoc rerum ſtatu radicem arnicæ vel ſolam, vel camphoræ junctam una alterave vice perutilem obſervavi.

Fœminæ laxæ imbecilli ventriculo præditæ, chloroticæ: viri debiles, ſanguinis miſſionibus intempeſtive inſtitutis exhauſti, ſi morbo bilioſo teneantur, utut emeſi indigeant, nihilominus raro ſolis ſolventibus, & emetico perſanantur, ſed plerumque in cortice peruviano, & antiſepticis ex claſſe roborantium deſumptis ſalutem inveniunt.

Omnes, qui graviori morbo putrido, ſive maligno laborant, ſi diutius decubuerint, moleſta tuſſi veſpera, noctuque præprimis infeſtante corripiuntur. Hi ſputa aut nulla, aut ſpumoſa reddunt, aut, ut in non paucis eſt obſervare, *puriformia.* Dolorem in thorace nullum, niſi ſi diutius, & validius tuſſitent, nullam inter ſpirandum difficultatem queruntur: at ſcrobiculum dolet, indeque, ſi attentius obſerves, irritamentum ad fauces, gutturve, & demum ad thoracem prodit. Hinc tuſſis hæc, ſi geneſin ſpectes, a gaſtrico ſyſtemate orditur, & illæſis pulmonibus fit, niſi forte & hi a ſæpius repetita ac validiori ſucceſſione, tuſſique diuturna proprium quoque vitium traxerint, & humores ſpiſſi illuc allecti decubuerint.

Tuſſis hæc *ſtomachica* reconvaleſcentibus diu non raro moleſta roborantibus, ſtomachicis, polygala, & lichene islandico tollitur.

De hac tuſſi illa Ballonii valent, dum ait: *in validis tuſſibus, præſertim cum inanes ſunt, dolorem audivimus tantum in ventriculo natum, ut neceſſario opitulandum ipſi ventriculo fuerit. Quemadmodum difficultas reſpirationis facit, ut vi ſympathiæ dolores in partibus ventris inferioribus oriantur, ſic difficultas aliqua ſpirandi oritur ob læſionem, doloremque partium interne contentarum, & tunc eſt opitulandum partibus ven-*

ventris inferioris, relicto thorace; & partibus ejus. Cauſa ſæpe latet in hypochondriis.

Tuſſis ſtomachica apud alios ægros nullo alio morbo laborantes frequenter occurrit. Res eſt ſubinde difficilioris indaginis, ut *oppreſſionem pectoris, ardorem in thorace, tuſſim a paſtu præcipue affligentem, ſputaque puriformia*, quod horum cauſam, geneſinque concernit, probe dignoſcas. Uti enim hæcce ſymptomata pectoris originarie affecti eſſe poſſunt, ſic in hominibus laxis, debili ventriculo donatis, & male digerentibus, in ſedentariis, fœminis, pueris &c. frequentius a præcordiis, & relaxato ſyſtematis gaſtrici tono naſcuntur.

Profuere aliquoties purgantia lenia, rhabarbarina, ſalina, & continuatus poſtmodum amaricantium, polygalæ, lichenis islandici &c. uſus.

Quod ſi crudus apparatus ventriculum gravet, & irritationem ad pulmones propagando, eosdem continuata, validaque tuſſi concutiat, ut ſputa cruenta ruptis pulmonum vaſculis appareant, ipecacuanha inſtar miraculi aliquoties profuit. Sed ea de re alibi erit diſtinctius differendi opportuna occaſio.

Uteri obliquus in hac fœmina ſitus ea nobis in memoriam reduxit, quæ apud Hippocratem de *uteris transmotis, de utero in lumbis incumbente, ore uteri complicato, uteris ſurſum progreſſis, ad veſicæ ſtomachum, ad lumbos, ad coxas converſis, in inguina, & urinæ meatus incumbentibus, ad ſiniſtram partem & coxam inclinatis, uteris commotis, & aliquo allapſis, ad ſedem converſis, & ſeceſſum ſecedere prohibentibus, uteris circumverſis ad dextram partem, puerperii purgamentis non fientibus, uteris obtortis, foras egreſſis, dependentibus* &c. diverſis in locis conſignata leguntur.

Hæc de vera uteri aliter, ac in ſtatu naturali ſolet, locati poſitione accipienda omnino eſſe, & hæc-

ce noſtra diſſectio, & aliorum, atque haud infrequens Morgagnii obſervatio probat. Etſi, quæ divus medicinæ parens de uteris ad cor, atque ad caput progreſſis, & ſtrangulantibus &c. habet, ad ſpasmos ex hypogaſtrio oriundos, aut ibi loci ſe primum exerentes, qui & alias corporis partes in conſenſum trahunt, & mutatum uteri ſitum mentiuntur, pertinere, clarum ſit.

In Morgagnii epiſtola anatomico-medica XLVIII. latorum uteri vinculorum laxitati tribuitur, quod is antrorſum concidat: eorundem vero, vel & utrorumque nimia ex alterutro latere aut brevitas, aut laxitas uterorum obliquitatem facit, undecunque hanc vinculorum inæqualitatem ſive a nativa conſtitutione, ſive ab adventitio primum alicujus ligamenti vitio, ſive etiam a gibbo, qui ſpinam dorſi, cum eaque partes nexas, vicinasque ad obliquum detorquet ſitum, derivare libuerit.

Ne vero has de obliquo utero obſervationes uſu carere practico, atque inanes quis arbitretur, idem cl. Vir, & frequenter in partu perrumpi uterum ob obliquum infantis poſitum, & hunc ipſum ob ipſius uteri ſæpius, ac vulgo creditur, evenientem obliquitatem fieri, ex aliorum quoque, præter ſuam, experientia docet.

SECTIO DECIMA TERTIA.

Piſtor annos viginti tres natus initio Auguſti cereviſiam, vinumque promiſcue, ac affatim hauſit, cum die feſto, ut hominum genus ſolet, genio una cum ſodalibus liberius indulgeret. Altera mox die alvo cita, torminibus, ac tenesmo corripitur. Primis morbi diebus vigeſies per diem dejecit; at exactis duabus ſeptimanis, cum circa medium Auguſti nos accederet, ſexies intra nychthemeron aquoſa purga-

ba-

batur, quibus quædam quaſi albæ laciniæ, aut minutula quaſi paſtæ farinaceæ fruſtula innatabant: nullus amplius in abdomine dolor, teneſmus nullus. Os amarum, lingua albeſcens, pulſus humilis, non febrilis. Data eſt radix ipecacuanhæ per epicraſin: non vomuit, verum alvus frequentiſſima facta eſt, & vires minuebantur. Exhibebatur pulvis ex myrobalanis, ſucco cathecu, & opio, unde alvus compreſſa quidem eſt, at circa 24tam Auguſti ſine voce, facie Hippocratica, & artubus frigidis, pulſu frequentiſſimo, debiliſſimo, tremuloque quaſi jamjam moriturus jacet. Veſicantia, acres ſinapiſmi, camphora radici arnicæ mixta tenuem vitam reſuſcitarunt.

7ma. Septembris deglutitio difficilis, vox rauca, tuſſis dein major indies ægrum exercere incœperant. Nil vitioſi in faucibus conſpiciebatur præterquam leves hinc inde rubores absque tumore.

Hiſce remediis etſi morti præſenti ereptus videretur, nihilominus circa nonum Septembris, cum reliquam ſanationem iisdem perfici poſſe deſperabamus, ad corticem juncta ſimul camphora acceſſimus.

Excoriari ad os ſacrum, & trochanterem utrumque ſumma licet adhibita diligentia, cœpit. Tuſſi primum ſicca, clamoſa, ſonora, quaſi ex cavo tuſſitaret, ad veſperam, noctuve vexari; demum & ſputa copioſa *puriformia* rejici. Macies indies major. Pulſus repentes, obſcuri, naturalibus celeriores: decubitus in latus dextrum impoſſibilis: hypochondrii ſiniſtri dolores punctorii crebri: noctu nonnunquam copioſus, & fœtidus ſudor, horror validus, & oſſa concutiens aliquoties acceſſit. Alvus naturalis.

Die 28va Septembris in auxilium præter corticem & camphoram, polygalam, & lichenem islandicum vocabamus. Sputa ſubſequentibus diebus minuebantur:

tur: vox paulo melior: at ab aliquot jam diebus fœtor peculiaris, qui absque ſenſu incipientis deliquii ab adſtantibus ferri diutius non poterat. Reliqua ſymptomata perſtitere.

Die 25ta Septembris a meridie pulſus magis humilis, admodum exigui, & frequentiſſimi: dolor per aliquot momenta immanis in hypocondrio ſiniſtro: ejulatus: animus præſens, & die ſequenti mors.

Latus thoracis ſiniſtrum lividum in cadavere, lividi, nigreſcentesque illius lateris muſculi fuere. Apertum ſiniſtri thoracis cavum duodecim propemodum libras ſeri turbidi, vireſcentis, fœtidiſſimique continebat. Pulmonis externam faciem, pleuram, pericardium, diaphragma, qua parte ſero hoc contegebantur, membrana albeſcens quaſi ex paſta farinacea confecta obveſtiit. In pericardio libra ejuſdem ſeri, minus tamen turbidi, & absque ejusmodi pſeudo-membrana inveniebatur.

Pulmo illius cavi ita compreſſus, & in exiguum ſpatium redactus erat, ut a ſua functione diutius jam vacaſſe viſus fuerit, etſi diſſectus nil vitioſi monſtraret. Cavum thoracis dextrum pulmo ſaniſſimus replevit.

Secto abdomine omentum convolutum, ut inteſtina non obduceret, exiguum, & putridum reperiebatur. Inteſtina levidiſſima, ac ferme nigra fuere, excepto inteſtino recto, ſi colorem ſpectes, ſano. Ad initium inteſtini ilei præternaturalis coarctatio, futuri fors morbi ilei rudimentum. Fæces conſiſtentes per totum inteſtinum ileum, & vera ſtercora. Colon, per plures prius anfarctus in plevi ſitos circumductum, tandem inde aſcendens in rectum abiverat. Ventriculus externa facie ſanus, interna lividus.

Reſecto cranio, aqua ſub arachnoidea contenta gelatinam mentiebatur: reliqua ſanorum inſtar ſe habuere.

Piſto-

Piſtores morbis acutis correpti præ aliis multo facilius ſæpiusque perire, tum meis, & aliorum, qui per aliquot jam annos ægris in Noſocomio adſtitere, obſervationibus comprobatur. Moroſi ut plurimum ſunt, tardi, ſtupidi, ſermonis pauci, aſpectu torvo, facie pallida, ejusque coloris, quem græci χλωρον dixere. Morbis malignis maxime ſubjacent, ex quibus raro convaleſcunt.

Horum ratio a vivendi genere, & opificio repetenda eſt. Frequenter, & valide incaleſcunt, æſtuantque. Igne, motuque corporis percalefacti ſubito refrigerantur potu largo, & frigido, atque inſuper ob id, quod rigente etiam gelu ex hypocauſtis ſe foras proripiunt nudi, & non niſi linteo pudenda tecti.

Tuſſis valida, ſonora, ad veſperas, & noctu aucta facile explicatur. Sed unde ſputa copioſa, *puriformia*, pulmonibus integris? unde ſeri tanta collectio? an ea ante præſentem morbum adfuerat, an eodem inchoante, cum pridie vino, & cereviſia, corpore fors æſtuante, ſe ingurgitaſſet, primum nata? an, cum circa 24tam Auguſti evacuationibus prægreſſis exhauſtus, micante pulſu tenuiſſimo, & extremis frigidis jamjam moriturus videtur, extrema vaſcula relaxata ſerum dimiſere, poſthac non amplius reſorbendum, idque in ſiniſtro thoracis cavo potius, quam alibi, ob præexiſtentem fortaſſe pulmonis illius lateris quandam debilitatem?

Colon ſolito longius, & per gyros, antequam in rectum terminetur, circumductum, fæcum in anfractibus coacervatarum exitum morari neceſſum eſt. Hinc naſci aliquando fors hernia, ad quam inteſtino ita ſe habente prædiſponebatur, a *prolabente colo* potuiſſet, quam *raram* auctores dicunt.

Vomitus ſtercoreus etiam illæſa Tulpii valvula,

 uti

uti per aliorum quoque obſervationes conſtat, fieri poteſt.

SECTIO DECIMA QUARTA.

Sartor 34 annos natus a duodecim propemodum annis ad ſcrobiculum per intervalla dolet, ſanus cæteroquin. Veſperi cubitum concedens horruit, æſtuavitque: mane ſequentis diei dedolatus, æſtuans, difficili reſpiratione, tuſſi, & dolore punctorio utriusque lateris in thorace correptus jacet. Difficilis in utrumque latus decubitus.

Terna venæ ſectio dolorem pungentem minuit: at major poſtmodum pectoris oppreſſio orta.

Die morbi octava ad nos delatus pulſum frequentem, non durum exhibuit. Calor ad attactum magnus: reſpiratio laborioſa, frequens, tuſſis moderata: ſputa pauca, aquoſa, mucoſa: lingua humida, modice albeſcens, mens conſtans, alvus liquida, ſepties octiesve per 24 horas ſponte mota. Factis compluribus per intervalla venæ ſectionibus, ſanguis ſemper cruſta phlogiſtica, contracta, margine fimbriato contectus. Levamen a venæ ſectionibus nullum omnino, ſi reſpirationem ſpectes, minor tamen utrinque punctorius dolor.

Die totius morbi 17ma ad finem vergente, cum ſe veſperi mox ſuffocandum ob breviſſimum, difficillimumque ſpiritum diceret, denuo ſanguis, isque ultima vice detractus eſt æque phlogiſticus ac antea. Inde levamen exiguum, donec malorum omnium ſolamen poſt mediam noctem mors afferret.

Secto cadavere pulmo uterque ita inflammatus deprehendebatur, ut exiguæ ſolum ejusdem portiones ſternum verſus à phlogoſi immunes eſſent: ſiniſter, qua is claviculam reſpicit, exiguis tuberculis ciceris magnitudine, intra ſpatium exiguum interſtingueba-

guebatur, duris, & nigricantibus. Pulmones ambo arctis nexibus ad pleuram ligabantur, excepta ea eorundem portione, quæ anteriora thoracis ſpectat, quamve ab inflammatione liberam eſſe diximus. Firmiſſima adhæſio, & cultro, niſi alterutrum lædatur, haud dividenda, pulmones diaphragmati utrinque junxit.

Pleura inflammatione caruit. Omentum, convolutum in funis ſpeciem, inteſtina non obtegebat, & explicatum perexiguum fuit. Colon ex latere dextro adſcendens ſub hepate contra ſe ipſum replicabatur, & flexum fecerat mirum quantum expanſum, ac *tympaniticum*; at tranſverſa coli pars, cum portione ejus per latus ſiniſtrum deſcendente, angulum rectum quin tamen contra ſe ipſum retorqueretur, in regione lineis formabat: utraque inteſtini coli portio, & quæ ventriculo ſubtendebatur, quæve per ſiniſtrum decurrebat latus, anguſta, contractaque funiculi non craſſi ſpeciem referebant. Curvatura *ſigmoidea* nuncupata denuo juſto amplior, & tractu ſemi-alterum pedem æquante, vere *tympanitica* fuit. Ventriculi interna ſuperficies colore plumbeo fœdabatur, verſus pylorum maculis, & punctis rubris diſtincta. Vaſa vero ventriculi multo ampliora ſolito, &, ubi in ramos diſpeſcebantur, varicoſa ſanguinem multum nigrumque continebant.

Graviſſima ea thoracis inflammatio eſt, quæ utrumque pulmonem, eumque ferme integrum corripit; priusquam enim noto quodam, atque omnibus aliis inflammationibus conſueto exitu terminetur, *ſuffocando* occidit, cum auctum viſceris volumen intra anguſtiorem thoracem concluſum ſpiritum elidat. Sed & totius oceani ſanguinei fluxum, & refluxum *ſiſtendo* vitam adimit, cum e contrario, ubi alteruter ſolum pulmo laborat, ſanus alter ægrotantis vices ſubit.

Quod ſi quid auxilii contra diram hancce totius pulmonis inflammationem ſuppeditare ars poſſit, id erit ſolummodo ſub exordium morbi graviſſimi, ſi ſanguinis ſubita, largave evacuatio ex vena lato vulnere pertuſa inſtituatur, antequam fixa penitus phlogoſeos ſedes ſit. Alterum poſt hæc ſubſidium cruenta ſcarificatio habet, non ubique inſtituta, ſed in dorſo, inter ſcapulas facta, cujus rei ratio ex nexu vicino affecti viſceris patet. Sed & hic meminiſſe oportet, quod, morbo jam adulto vigenteque, omnis medicina plerumque ſera ſit.

Sartores quam plurimos vidimus pulmonum morbis præ aliis laborantes. Cum enim corpore introrſum incurvato, inclinatoque capite continuo ferme ſedeant, neceſſe eſt, ſanguinem per corpus inæqualiter diſpenſari, eumque in pulmonibus plus æquo accumulari, tum quod compreſſa ob ſitum corporis abdominis viſcera minus ſanguinis admittant, hinc ad ſuperiora major humorum copia urgeatur; cum etiam, quod ob exiguas, quas ſedentarii hi homines faciunt, inſpirationes aggeſtus in pulmonibus ſanguis non æque prompte, ac opportet, promoveatur. Plethora hinc *topica* naſcitur, pulmonum videlicet, multaque alia incommoda ab hac origine fieri conſueta. Præterea cum hocce hominum genus præterquam quod ſedentariam agant vitam, nullos inter ſedendum labores peragant, qui exercendis muſculis, firmandoque corpori pares ſint, eos laxos, molles, & carnium eſſe effœminatarum oportet.

At vero pulmo & imbecillus, laxusque, & multo ſanguine turgidus, ſi aërem frigidum forte incautius admiſerit, univerſalem, lethalemque ut plurimum inflammationem ſuſpicit. Sed etiam ſanguis ſputum, tum in Sartoribus, cum aliis quoque, qui veſtibus ſupra abdomen arctius conſtrictis preſſoque idcirco abdomine multum ſedent, & ſcriptitando occupan-

cupantur, frequenter occurrit, chronicum plerumque, & ἄπυρετον, quove ad ſeram usque ſenectutem nonnunquam confli̇ctantur. Huc pertinere illa hæmoptoes ſpecies videtur, quam Hippocrates L. 2. prorrh. *periculi expertem* dicit.

Hanc hæmoptoes ſpeciem haud ſatis exacte a recentioribus deſcriptam, utut frequentiorem, ac vulgo æſtimatur, Hipocrati nihilominus cognitam fuisſe, depictamque ab eo, ex L. 1. de morbis videmus, ubi venarum *varicoſam dilatationem* in pulmonibus adſtruit, quam is σπάδωνα appellat, quod venæ pulmonum ob copiam inundantis ſanguinis diſtrahantur, & varices, κιρσοὶ, producantur.

En ipſa Hippocratis verba, rem egregie, ut ubique ſolet, & paucis exprimentia: *ſi vena quidem non omnino rupta fuerit, ſed ea præcipue velut varix diſtenditur, quod etiam confeſtim quidem, ubi factum fuerit, dolorem quemdam tenuem, & tuſſim ſiccam exhibet, ſi vero diutius traxerit, & neglecta fuerit, primum quidem paucum, & ſubatrum ſanguinem transmittit, mox etiam copioſiorem, & maxime ſincerum, deinde pus. His confert, ſi circa exordia curandos ſuſceperis, ut manuum venæ relaxentur, & victus ratione utatur, ex qua ſicciſſimus, & maxime exſanguis evadat.*

Pulſus arteriarum in noſtro homine *non duros*, & progrediente morbo molliores continuo deprehendimus.

Flexus coli hepaticus, quem tympaniticum vidimus multarum in ſedentariis moleſtiarum fons, & origo eſt, apud illos maxime, qui gulæ liberius, ſimulque otio indulgent. Flatus ibi loci concluſi, a paſtu præcipue, & turgente ventriculo, a longa ſeſſione, anxios, moroſos, capite gravatos, præcordiis dolentes faciunt, quos medici viſceribus infarctis, hepatæ præprimis obſtructo laborare perperam ſubinde arbitrantur, & ob eam rationem diutur-

næ medicationi ſubjiciunt, donec, quam reſtituere ſatagunt, ſanitatem, penitus labefactent. Frugale prandium, matutina abdominis frictio, motus, & uſus frigidæ hypochondriacos noſtros epulones felicius ſanaret, quam quæcumque ſolvente, roborante, nervinoque, ac carminante ſcopo pharmacopœa ſuppeditat.

Vaſa ventriculi dilatata, & ferme varicoſa ea nobis in memoriam revocant, quæ cl. Joan. Kœmpf de infarctu vaſorum ventriculi peculiari, & lectu digniſſima diſſertatione, & poſt eum vere egregius Tiſſotus in ea, quam cl. Zimmermano inſcripſit, epiſtolo de *morbo nigro* ſcripſere. Multa ſeſſio, corporis inclinati ſitus, impeditior idcirco per gaſtricum ſyſtema ſanguinis circuitu facilem cardialgiæ illius, quam æger a duodecim fere annis querebatur, explicationem ſubminiſtrat.

Ruptus ſucceſſu temporis fortaſſe varix *morbum nigrum* Hippocratis, ſeu *atram bilem* exhibuiſſet.

SECTIO DECIMA QUINTA.

Muſicus annorum 32 die 8va Octobris ad nos defertur, delirus, pulſibus celerrimis, & exiguis, &, digito vel leviſſime appreſſo, evaneſcentibus. Per eos, qui ægrum huc detulere, id ſolummodo reſcitum eſt, hominem ab integro menſe domi decumbere, uſumque eſſe chirurgi cujusdam opera, qui dolenti teſticulo medebatur. Cum genitalia examinarentur, deprehenſum eſt præputium calloſum, & glandi firmiter ita circum circa nexum, ut nec retro glandem penitus, neque ex integro antrorſum trahi potuerit & glans ſemidenudata proſpiceret. Nulla cæteroquin ullibi exulceratio viſa eſt. Siniſter teſticulus aliquantum major dextro apparebat. Orificium ure-

urethræ ita arctum, ut cereis noſtris aditus præcluderetur.

Indicatio vitalis urgebat, &, quidquid cauſarum, vitiique ſubeſſe poterat, quod nos latebat, id nihilominus in propatulo erat, tenuiſſime micantem vitæ ſcintillam omni ſtimulantium, cardiacorumque apparatu, quaſi affuſo oleo animandam eſſe, priusquam ex toto extinguatur. Veſicantia, ſinapismi, infuſum radicum ſerpentariæ virginianæ, & contrayervæ cum larga camphoræ doſi, pleniores magisque vividos arteriarum ictus effecere, mensque poſt biduum ad exiguum tempus rediit, ut diceret, ſe ob plures gonorrhœas ab octennio difficulter, & filo tenuiſſimo lotium miſiſſe. Plura narrare volentem delirium denuo ſuperveniens prohibuit.

Hoc tempore, quo apud nos fuerat, urinam perpaucam miſit, & difficillime. Tandem tenuiori cathetere impoſito lotium prærubrum, & ſanguine tinctum evocabatur. Die 12ma Octobris ad finem vergente moritur.

Diſſecta urethra inſignem circa frænulum coarctationem monſtravit, quæ difficilem in vivente catheteris adplicationem fecerat, cum, ſuperato hoc anguſtiori urethræ principio, nullum amplius nec cereus immiſſus, nec catheter obſtaculum in reliquo ad veſicam itinere offenderet. Sana per reliquum urethræ tractum omnia: nulla cicatrix, nullæque excreſcentiæ, aut alia læſarum quondam partium veſtigia. Sana ſeminalis caruncula, niſi quod utrumque ductuum ejaculatoriorum orificium ſolito magis ampliatum hiaret, & ſiniſtrum, compreſſa proſtata, pus funderet. Ex eadem gandula digitis leviter compreſſa, per omnes ejus excretorios ductus, ſanos quidem ipſos pus proliciebatur, ſectaque exiguos abſceſſus, lentis quosdam, ciceris alios, magnitudine continuit.

Ve-

Veſicula ſeminalis ſiniſtra, pure plena fuit, ipſa ex membranis duris, craſſisque, & hinc inde inflammatis compoſita. Sana dextra, & liquore ſeminali turgens. Cum teſte ſiniſtro, quem dextró majorem diximus, tunica vaginalis arctiſſime cohæſit, isque diſſectus abſceſſum, qui nucem juglandem æquans pure bono, craſſoque replebatur, in parte a teſticulo acceſſorio averſa exhibuit.

Sanus uterque funiculus ſpermaticus. Veſica urinaria urinæ ſanguinolentæ paucam quantitatem continebat, & maculas amplas profunde rubras, quaſi totidem ſugillationes, per omnem ferme internam ſuperficiem monſtrabat. Renes ſolito intenſius rubebant: inteſtina tenuia erant inflammata.

Pulmo dexter labis expers, at ſiniſter tuberculis, lentis cicerisque magnitudine, per omnem ferme ſubſtantiam obſidebatur, duris, albis, ſolidis, quaſi ex molliori cartilagine factis: reliqua his interjecta pulmonis ſubſtantia admodum friabilis fuit, digitoque contrectanti, & ipſi oculo minus ſana apparebat: pleuræ præterea ubique firmiſſime nectebatur.

Pleura ipſa tota quanta in latere ſiniſtro admodum craſſa fuit, ita, ut maxima ejus craſſities latum pollicem æquaret: ſubſtantia ejus in quibusdam locis molliorem cartilaginem & ſectione, & ipſo aſpectu, tactuve referebat. Aliæ ejusdem pleuræ plagæ albidæ, tenaces, ac tendineæ erant, & variis ſibi invicem impoſitis ſtratis cultri, aut etiam manuum ope ab ſe invicem dividendis, comparatæ. Transverſim ſecta pleuræ fruſtula, digitisque compreſſa ſanguinem per minutula vaſcula, ipſam ejusdem ſubſtantiam frequentiſſime percurrentia, ubique plorabant.

Reſecto cranio laterales ventriculi ſero flaveſcente turgidi inventi ſunt.

SECTIO

SECTIO DECIMA SEXTA.

Fœmina 30 annorum mane inter pauperes ad nos venit, atque, ut in Noſocomium ſuſcipiabatur, petiit. Interrogata, quamdiu, & quo morbo laboraret, reſpondit, ſe per octo dies alvo cruenta, torminoſa, citaque, non tamen ſupramodum exercitatam fuiſſe, at fluxu hoc ſubſiſtente in quartanam inſidiſſe, cujus binos univerſim paroxysmos pertuliſſet. Ab aliquot diebus, ex quo alvus quieſceret, abdomen intumeſcere querebatur. Cum bajuli ſuſceptam ad cubilia ægrorum deportare juberentur, ipſa ſuis confiſa viribus ſola per gradus aſcendit, ſeque exuit: cum in lectum ſe reclinat, repente moritur.

Caput diſſectum & ſedulo perquiſitum, nil vitioſi obtulit.

In cavo thoracis ſingulo libra ſeri flaveſcentis, & pauxillum aquæ ejusdem intra pericardium inventum. Pulmones ſani. Cor ſolito multo majus: par magnitudini parietum craſſities, & proportionatum utriusque ventriculi cavum. Aortæ principium, ut primum ex corde emergit, paucarum linearum tractu oſſeum fere totum fuit. Valvulæ ejusdem craſſæ, partim cartilagineæ fuere, partim vero ejus naturæ, quæ inter os, & cartilaginem ambigit: parum mobiles, claudere, ſive aperire aortam oporteret, & *ſemihiantes* fuere.

In abdomine hepar mole ingens, & ſanum per omnia, omnem præcordiorum regionem, hypochondrium ſcilicet utrumque, & quod utrique interjacet, occupabat. Siniſter ejus lobus in hypochondrium ſiniſtrum protenſus lienem & ipſum ſolito triplo majorem, triangularemque loco movit, detruſitque. Ventriculus exiguus prægrandi hepati ſubſterne-

nebatur ; ipſe vero inteſtinum craſſum mediocriter amplum potius referebat, ita tamen, ut in medio per dimidii fere pollicis tractum conſtringeretur, & duos exiguos ventriculos exhiberet, quorum alter in alterum orificio vix digitum capiente aperiebatur. Color inteſtinorum non ſaniſſimus, ſed qui aut prægreſſam phlogoſin, aut incipientem indicare videbatur : hinc inde inchoans livor notabatur.

Uterus, uti in nubili puella, exiguus, etſi præterito anno idque prima vice peperiſſet. Ovaria ovulis maximam partem non bonis fœta.

Mortem repentinam ab aucto, dum primo ſcalas, & depoſitis dein veſtibus lectum conſcenderet, humorum ad cor allapſu deduximus, qui ab oſſeo aortæ capite, valvulisque ferme ex toto rigidis expediri, promoverique ulterius nequiverant.

Quibus vaſa ſanguifera obrigeſcere incipiunt, ſeniculis, aut quos gravis duravit labor, aut quibus hoc vaſorum vitium peculiare eſt, ictus arteriarum tardi, durique ſunt, non a ſanguinis phlogiſtica denſitate, copiave, ſed ab aucta tuborum ſanguiferorum rigiditate repetundi. Sanguis imprudentius miſſus vires convellit, & funeſtam brevi debilitatem accerſit. Minuta enim humorum moles in vaſa rigidiora impotentius agit, & ſanguis, poſt venæ ſectionem celerius circumducendus, fibras artetiarum frequentioribus contractionibus impares offendit. Hinc læſam, quæ inter fluida, ſolidaque intercedit, rationem ars nulla in integrum reſtituit.

At vero, ut ſanguinis detractionem hi difficilius ferunt, ita auctior ejusdem motus, aut copia ſubito nonnunquam letalis fit : hinc proportio vim motricem inter & pondus apud eos, quorum arteriæ rigidiores evadunt, intra multo arctiores terminos, ac apud alios hujus vitii expertes ſita eſt.

Hæc eo dicta ſunt, ut, ubi prudens oſſenſcentium va-

vaſorum ſuſpicio eſt, quid agendum, omittendumque ſit, & quæ imponere medico nonnunquam poſſint, eumque ad inſtituendam ſanguinis miſſionem hujusmodi ægro funeſtam perducere, clarius elucefcat.

SECTIO DECIMA SEPTIMA.

Quadraginta annorum vir ex piſtore, quod opificium admodum juvenis addidicit, per 23 annos miles, atque olim inter Boruſſos levis armaturæ equites ſtipendia meritus: die 3tia Octobris ad Noſocomium venit, ex quo ſequentia audivimus:

A 20 annis, quo tempore, cum acute laboraret, largis venæ ſectionibus inſtitutis intra tres fere ſeptimanas convaluerat, quotannis quater, ut plurimum, ob frequentes narium hæmorragias venam ſibi tundi curavit.

Ante ſex annos cum prætermodum palleret, multumque ſalivæ in fauces confluеret, purgans, neſcio cujus ſuaſu, ſumpſit, quo tæniæ portionem longitudine viginti ulnas æquantem abegit. Ternis vicibus eodem medicamento purgante uſus eſt, ita tamen, ut octo ſemper dies ſingulis purgationibus interponeret. Singula vice portio tæniæ expellebatur, ut, ſi totum accipias, quod excrevit, quadraginta ulnas æquet.

Toto militiæ tempore multoties æſtuante corpore, ut fit, frigidam hauſit, & ad hanc usque diem largiori ſpirituum ardentium potu delectabatur; inde a multis jam annis doloribus laterum, pleuriticorum in morem, tentabatur, quos aut neglexit, cum ipſum nunquam lecto affigerent, aut celebrata ſubinde ſanguinis miſſione mitigavit.

Ab octo annis phthiſicum ſe dicebat. Sputabat pauca, mucoſa, difficilia, ſubinde puriformia. Reſpira-

ſpirabat anxie, cum ſibilo, tuſſi crebra, diu noctuque moleſta. A binis menſibus reſpiratio magis laborioſa, ſibiloſa magis: ſputa viridia, fœtida, perpauca: carnes evanidæ: tuſſis frequentior: defluvium capillorum: virium jactura manifeſtior: vomitus per intervalla, mane præcipue, ac jejuno ventriculo, isque inanis, ut plurimum: diarrhœa: dolor ad ſcrobiculum. Ab aliquot diebus veſperi crura tument.

Cum, quæ uſui eſſe videbantur, adplicarentur, increvere nihilominus enarrata ſymptomata: deglutitio fieri tandem difficilis: vox rauca vix percipienda. Die octava Novembris moritur.

Aperto thorace pulmo dexter ex toto graviſſime inflammatus, ſi partem non magnam, quæ diaphragma reſpicit, excipias, deprehendatur. Suprema ejusdem pulmonis pars concluſum abſceſſum pure tenui repletum continuit. Cavitas vomicæ tota, quæ ovum anſerinum facile cepiſſet, particulis albidioribus, & quaſi membranam mentientibus intus obducebatur. Circa abſceſſum inflammatio gravior erat, quam locis a vomica magis remotis. Haud procul ab hocce abſceſſu aliam exiguam, quæve nucem muſchatam vix caperet, vomicam pure minus tenui, & ex albo vireſcente turgidam vidimus.

Siniſter pulmo diaphragmati per quandam pſeudomembranam circum circa ita nectebatur, ut in medio inter diaphragma ſcilicet, & pulmonis infimam ſuperficiem aliquid ſeri, quod elabi ob nexum pulmonis cum diaphragmate non poterat, concluderetur.

Idem pulmo arctius hinc inde ad pleuram religabatur, cæterum & ipſe dire inflammatus, præterquam qua parte ſeptum transverſum contigit: is diſſectus unicam, eamque parvam, ut quæ vix nucem avellanam æquaret, vomicam continuit pure

non

non illaudabili plenam. Cæterum tota pulmonis utriusque ſubſtantia tuberculis obſidebatur, quorum ſingula ex granulis compluribus albis, durisque, & lentem æquantibus componebantur. Rami bronchiorum oſſei. Cartilagines aſperam arteriam, ejusque caput conſtituentes ita induruere, ut potius oſſeæ eſſent. Superficies interna trachææ aſpera absque ulcuſculis: rima glottidis ampliſſima.

In pericardio aquæ libra inventa eſt.

Diſſecto abdomine hepar magnum flavo colore, totam ejus ſubſtantiam penetrante, reperiebatur: veſicula fellea tenaci, multa, nigricante bile turgebat, &, licet fortiter compreſſa, liquorem tamen contentum in inteſtina, ob deletam ductus choledochi cavitatem, non effudit. Ventriculus exiguus, & inteſtinum referens, tunicas ſolito multum craſſiores habuit. Glandulæ meſentirii confertiſſimæ, conſueto multum majores, duræ, & quæ inter eos maximæ erant, materia ſebacea replebantur. Craſſorum inteſtinorum glandulæ ſolito evidentiores apparebant, duræ pariter, quarum non paucæ, quemadmodum multæ quoque in meſenterio, cartilagineam fere duritiem diſſecanti cultro oppoſuere.

Remedia in ulcere pulmonum, nataque inde conſumptione uſitata cum iis comparari merentur, quæ cadaveris hujus ſectio exhibuit.

Sed cum non abſimilem ſectionis hiſtoriam, & quædam ad curam phthyſeos pertinentia ſupra retulerim, curta eorum, quæ hic obſervavimus, narratio ad ſtabilienda ſuperius prolata ſufficiet.

SECTIO DECIMA OCTAVA.

Vidua 37 annorum 25ta Junii ad nos venit. Per quinque menſes menſtruis caruit, quæ ante octo dies redierunt. Ante 11 dies prægreſſa ira frigidam hau-

ſit, unde dedolatio, & gravitas corporis, & præcipue capitis ſtupor, horripilationes, calores, appetitus dejectus. Per plures dies horrores caloribus mixti continuabant.

Pridie quam ad nos veniret, ſumpſit ſal amarum, a quo per hos dies alvus trigeſies ſepties movebatur. Vena ſecta fuit cum levamine quoad corporis gravitatem. Hucusque ſemper erecto corpore laboravit, & morbum facile tulit. Cephalalgia: ſomnolentia continua: lingua bilioſa: os mucoſum, amarum: ſpasmodica faucium conſtrictio præcedentibus vomendi conatibus, & tuſſi: ſitis multa: calor jam nullus: petechiæ purpureæ hac nocte eruperunt. Pulſus celerior naturali, mollis: reſpiratio non læſa.

Retulit ægra, ſe cuſtodem adſtitiſſe infanti ex petechiis decumbenti, qui modo denuo convaluerit.

Hæc fœmina, cum poſt paucos dies, ex quo ſuſcepta in Noſocomium eſt, petechiæ ſucceſſive evaneſcerent, manſit tamen ſomnolenta, tarda, de ſanitate ſua plurimum anxia, querula, immorigera, ſæpius ſecum ipſa interdiu, noctuque muſſitans, varia obſtinate appetens, ſano tamen judicio, & memoria firma.

Pulſus aut naturalis, aut naturali paulo celerior, debilisque: calor præter naturam nullus. Gravitas perpetua capitis ad tempora, auresque præcipue cum tinnitu valido, continuo. Somnus noctu bonus videbatur: interdiu, cum dormire videretur, ſomnum tamen ſe capere negavit. Vires non valde dejectæ, cum & facile ſe converteret, corpusque erigeret, & in lecto ſederet: quin & extra lectum eſſe poterat. Continuam inappetentiam; oris guſtum non amarum, attamen pravum ſemper queſta eſt. Cæterum de nullo aut pectoris incommodo, aut ventriculi, abdominisque dolore unquam querebatur.

Diarrhœam toto fere tempore, quo apud nos decu-

cubuit, patiebatur, quam inde ab aſſumpto extra Noſocomium purgante ortam continuo perſtare ajebat. Alvus quacunque ratione comprimeretur, nihilominus denuo fluere cœpit.

Die 13 Junii, cum & præcedentibus diebus, eoque ipſo die paulo melius valere exiſtimaretur, etſi toto tempore, quo apud nos fuit, nil detractum ex viribus; quin potius quædam earum acceſſio facta videretur; cumque ejus diei hora tertia pomeridiana & medicamentum propinatum alacriter hauriret, & apte prompteque reſponderet, ac erecto ſederet corpore, elapſo horæ quadrante, dum in latus ſe convertit, repente moritur.

Cum ipſemet eo die ob adverſam valetudinem domi detinerer, atque idcirco ſectioni, uti alias ſolebam, intereſſe non poſſem, cl. D. Joannes Philippus Ritter Bambergenſis Franco, dignus præclaro genitore filius, qui ſuperato multiplici tædio tempus fere omne penes lectos ægrorum in perdiſcendo morborum diverſiſſimorum genio, modoque medendi exegerat, cadaver cum aſſiſtente chirurgo ſecuit, & ſectionis hiſtoriam, ut ſequitur, mihi tradidit.

Collum, dorſum, & humeri livebant: abdomen tactu molle. Margines locorum veſicantibus tentatorum gangrænoſi. Dura mater cranio ſolito firmius adhæſit: vaſa piæ matris multo ſanguine infarcta: ſubſtantia cerebri valde compacta, ejusque medulla pluribus, quam alias, punctis ſanguineis diſtincta. Plexus choroidei ſanguine turgebant. In dextro ventriculo ſuperiori ſolito plus aquæ continebatur. Apophyſis clinoidea poſterior ſiniſtra erat ſcabra. Pulmo ſiniſter ſolito flaccidior per membranas cum pleura, & diaphragmata undique cohæſit. Hepar, lien, pancreas in ſtatu naturali inveniebantur. Vaſa coronaria ventriculi ſanguine multo re-

pleta; inteſtinum cœcum, colon incipiens, & meſenterium inflammata deprehendebantur. In meſenterio repertum fuit *ulcus cancroſum* cum initio inteſtini coli communicans, & in illud materiem amurcoſam, pultaceam, fœtidam effundens. Margines concavi renum erant ſolito ampliores, profundiores, & laxiores: reliqua ſecundum naturam fuere.

Quod ad cohæſiones pulmonum ad partes vicinas attinet, quæ nullum in reſpirando impedimentum fecere, non eſt, quod noſtram admirationem mereatur, cum id & aliquoties a nobis, & aliis quam frequentiſſime fuerit obſervatum. Notatu dignius eſt, quod inteſtinorum pars quædam inflammata fuerit reperta, quin de dolore abdominis, de febri, caloreque unquam quereretur. Ulcus menſenterii in colon apertum, quodve, qui diſſecuit, *cancroſum* dixit, an morbi petechialis affectus, an ex tumore diu antea ibi latente natum fuerit, minus conſtat. Colluvies putrida in inteſtinis diu collecta, ni & tempeſtive, & apta via eliminetur, febris petechialis & communiſſima cauſa eſt; & inflammatione, abſceſſu, gangræna inteſtinorum præcipue, ſed etiam vicini meſenterii, cerebri, & pulmonum &c. occidit, ſi ea in ſanguinem recepta ad haſce partes decubuerit.

SECTIO DECIMA NONA.

Vidua 41 annos nata, duodecim prolium mater a ſexennio menſtruis caret. Ab anni quadrante abdomen intumeſcere, atque frequentibus infeſtari flatibus queritur.

Ante decem ſeptimanas prægreſſa per aliquot dies oris mucoſitate, dejectove appetitu, cholera corripitur: quæ vomitu rejiciebantur, bilioſa fuere. Dolor eo toto die in abdomine ingens. Die altero cholera nulla, at idem abdominis, qui pridie dolor,

minus

minus tamen tumeſcentis, ac nunquam alias. Dolor hic ſenſim minutus per aliquod tempus evanuit. Exactis quatuor ſeptimanis bene valere videbatur, niſi quod abdomen per intervalla tumeret, tenſumque adpareret. Elapſo hoc tempore denuo cholera recruduit, qua poſt tres demum dies ceſſante ſanitas rediit, etſi minus integra, quam antea.

Cum die quarta Septembris ad nos deferretur, præcedentibus ſequentia adhuc addidit: a decem diebus alvum non reddidiſſe: per octo dies ultimos quotidie ter, quaterve biliofa, mucoſaque cum dolore totius abdominis vomuiſſe. Hunc abdominis dolorem per intervalla graviſſimum fuiſſe, exortumque a ſiniſtra regione lumbari extendi ad umbilicum usque.

Cum ad Noſocomium in ſella portatili deferretur, alvus moveri cœpit, jamque ſepties intra paucas horas dejecit. Abdomen tumet, doletque cum ſenſu exulcerationis ad attactum aucto. Nulla in abdomine durities, nulla ejus tenſio. Inappetentia: calor nullus præter naturam: ſitis nulla, aut vix ulla. Pulſus molles, naturales, aut naturalibus paulo citatiores.

Dato emulſo eccoprotico, cui pauxilium camphoræ jungebatur, denuo aliquoties dejecit: dolores abdominis aliquantum minuebantur, & per intervalla exacerbabantur, ſic tamen, ut, niſi contrectata, eos faciliime perferret. Borborygmi fere continui, & flatus permoleſti ſurſum, deorſumque erumpentes. Uſa eſt deinceps emulſis, oleoſisque, additis lenioribus carminantibus, quibus exiguum levamen obtinebatur. Calor nullus: pulſus frequentes, exigui. Inappetentia, & os inſipidum cum levi amarore: facies diluta flavedine tincta. Somnus parcus. Alvus facilis. Fœtidiſſimæ, & coloris caſtanei, & aquoſæ fæces. Dolor ad attactum

ctum auctus in toto abdomine, urinæ difficiles; ſtranguriosæ, colore laudabiles.

Die 12ma Septembris circa veſperam repente ejulat, de acerbo totius abdominis dolore, & ſuffocante reſpiratione queritur: pulſus frequentiſſimi, valde exigui: mentis præſentia. Elapſo unius horæ ſpatio quietior facta eſt, & circa mediam noctem mente conſtans moritur.

Cutis in hypogaſtrio pendula, rugoſaque fuit, qualis in iis ſolet, quæ frequenter peperere. Abdomen tumidulum, & prominens. Pinguedo multa ſed cute pectoris, & abdominis muſculos obſedit.

Diſſecto abdomine fœtidiſſima materies profluxit, coloris, & conſiſtentia ejusdem, quam alvo reddidit. Omnia inteſtina, & meſenterium inflammata erant. Peritonæum ubique fere inflammatum vaſa ſanguifera copioſiſſima exhibuit. Omentum inflammatum, & hinc inde gangrænoſum. Inteſtinum ileum, quo loco in cœcum inſeritur, tractu quatuor digitos transverſos longo anguſtum, ſphacelatum, & foramine tres fere lineas amplo pertuſum. Inteſtini anguſtati cavitas perexigua. Parietes craſſiores ſolito, & hinc inde arroſi.

Veſiculam felleam calculi tres penitus repleverunt, nullaque ibi bilis, niſi perpauca, eaque glutinoſiſſima calculos obliniens reperiebatur.

Hepatis ſubſtantia magis, ac naturaliter ſolet, friabilis, dilutum colorem flavum diſſecta monſtravit. Reliqua juxta naturam ſe habuerunt.

Sectio hæc complurium obſervationum ferax demonſtrat denuo, inflammationem inteſtinorum adeſſe poſſe cum *febre vix ulla*, *& dolore exiguo*, idque frequentius fieri, ac communis opinio ferat.

Quod ſi doloris acerbitatem ex querelis, ejulatu, jactatione metiamur, conſtabit, hanc, de qua

agi-

agimus, fœminam abdomine gravius non doluiſſe, etſi attactum paulo rudiorem non tulerit.

Confirmatur & hac, & aliis a cl. Morgagnio recenſitis hiſtoriis, dolorem colicum, pulſibus & urina bonis, per aliquod dies valde tolerabilem, ſubito letalem fieri poſſe. Ultimis enim diebus ægra apud nos decubuit, morbum haud gravare pertulit.

Quin & ex eodem cl. Auctore, noſtriſque nonnullis ſectionibus conſtat, inflammationem inteſtinis alte inſidere poſſe, etiam *nulla preſente febre*, dummodo eam non ex pulſu ſolum frequentiori, ſed ex auctiori ſimul carnium colore definiamus, quem noſtræ huic ægræ abfuiſſe anteà dixi.

Hinc moniti ab hoc Auctore prolati (L. III. epiſt. anat. med. art. 21.) veritas novo denuo argumento ſtabilitur, ita enim is ait: *quando cum alii inflammatorum inteſtinorum ſignis vehementem dolorem & acutam febrim in ægrotantibus deprehendes, jure quidem, meritoque credes rei medicæ auctoribus hæc duo inter præcipuas notas magnæ inteſtinorum inflammationis ponentibus; nec tamen, ſi quando alterum, vel utrumque horum aut abeſſe, aut vix eſſe invenies, continuo putabis, aut nullam eſſe inflammationem, aut levem, neque gangrænam, & ſphacelum in eorum eſſe inteſtinis non poſſe, in quibus duo illa præceſſiſſe non videris.*

Signa ergo diagnoſtica inflammationis inteſtinorum a Boerhavio recenſita, videlicet: *febris acuta continua, ſitis ingens, calor magnus, pulſus durus, dolor igneus, urina flammea, debilitas ſubitanea* ad dignoſcendam inteſtinorum inflammationem non raro parum conferunt, neque in ægra noſtra multum conferebant.

Cl. Sennertus inter ſigna inteſtinorum inflammatorum urinæ ſuppreſſionem poſuit; ægra noſtra eandem parce, ſtranguriofeque miſit.

Inter innumeras ilei, & colici doloris cauſas æque frequens inteſtinorum inflammatio eſt, eaque, ut vidimus, non ſemper ſævis ſymptomatibus ſtipata, ſed ſubdola, diu nonnumquam, attamen tolerabiliter affligens, ſed quæ nihilominus ægros non opinantes occidit, dum gangrænam & ſphacelum inteſtinis inducit.

Hanc in rem præclara quædam ſæpius laudatus Morgagnius ſcripſit, & quid Albertinus, & Valſalva hoc in caſu factitarint, diligenter expoſuit. Uterque, uti in initio venæ ſectionem non reprobabant, ita morbo vigente, & jam progreſſo ab eadem abſtinebant. Rationem non addidere, ſeb obſervationem, citius videlicet ægros mori detracto ſanguine, ſed & mori non detracto, ſerius tamen. Hoc in caſu ab omni eo ſollicite abſtinebant, quod inter *magna remedia* numeratur. His ſtantibus, uti vanum auxilium in exiguis juſculorum oleoſorumque doſibus quæreretur, ita inutilia fore quæcumque alia medicamina arbitror, & ignominiam præſtantiſſimis alias remediis affricari.

Dum caute agendum exiſtimo, ubicumque alvus pertinacior, nec enematibus, nec mitioribus, & forma liquida exhibitis purgantibus auſcultat, dumque rebus ita ſe habentibus ad oleoſos hauſtus, ad juſcula tenuia, ac plenam ab omnibus tum alimentis, cum remediis abſtinentiam potius confugiendum reor, quam ad quadruplicatas purgantium, etiam validiorum, doſes; neutiquam improbo, quæ a claris in arte viris & obſervata, & uſu comprobata, leguntur, etſi ab hac nobis laudata methodo aliena ſint.

In curando ileo plurimum intereſt, ut mali cauſa detegatur, qua ignorata empiricum eſt, quidquid tentaveris.

Methodus huic morbo medendi vaga plerumque eſt, eaque, quæ variis, iisque perſæpe oppoſitis remediis utitur. Verum ſi in ullo unquam morbo obſer-

ſervandus is canon eſt, *non eſſe ab medico nocendum, ubi is prodeſſe nequeat*, id profecto in ileo ſanando obtinet, ubi obſcuræ mali cauſæ nullam medico agendorum notitiam ſuppeditant. Malim ego cum egregio Valſalvæ præter exiguam olei e dulcibus amygdalis preſſi quantitatem ægro nil quidquam propinare, ubicumque me morbi cauſa fugerit, aut ea talis ſit, quam validius aggredi ſine gravi noxa nequeamus. Imo malim potius in ejusmodi caſu otioſus ſpectator eſſe, quam cauſæ ignarus ea moliri, quorum me poſtea ſecto cadavere pœniteat. Juſculum tenue pulli vel ſolum, vel cum oleo amygdalino exiguis doſibus, atque ita exhibitum, ut æger nil vel ciborum, potulentorum vigente ileo accipiat, in plerisque ilei cauſis directe prodeſt, &, ubi nec hoc, nec aliud quidpiam prodeſſe poteſt, non nocet. Aſſerti veritas ex perpenſis frequentoribus ilei cauſis patebit.

Hauſtus oleoſos præ aliis remediis in ileo imminente perefficaces experti ſumus. Binis hoc anno vicibus alvus pertinaciter clauſa nobis obvenerat, non a vitio quodam organico, & incurabili, ſed a materie, ut videbatur, acri, vellicante, & ſpasmo pertinaci inteſtina alicubi locorum ſtringente. Purgantia varia, acutaque, enemata primo emollientia, dein acria, accerrima nil profecere. Imminebat in una (utraque enim ægra juvencula fuit irritabili ſupra modum nervorum ſyſtemate donata) vomitus ſtercoreus, cum aſſumpta pertinaciter vomeret. Carminantia, opiata ne hilum profecere. Soli hauſtus oleoſi cito alvum reſerabant.

Ægra noſtra ſtercorea vomuit, etſi materies vomitu rejecta e tenuibus ſolummodo inteſtinis eſſet. Verum aliunde jam conſtat, vomitum ſtercoreum, ligato etiam ileo inteſtino, in felibus & canibus, itemque ob herniam incarceratam conſtricto, non raro fieri.

SECTIO VIGESIMA.

Scriniarius 27 annorum a longo tempore ſanus, mane per duas fere horas valide riguit, ſubſequente calore intenſo. Circa meridiem dolor pungens partem poſteriorem lateris dextri infra ſcapulam invaſit. Reſpiratio difficilis : oppreſſio circa ſternum. Poſt meridiem hora tertia pungens magis ad anteriora ejusdem lateris proceſſit, ibidemque fixus manſit, inter tuſſitandum auctus. Sitis multa. Ad noctem venæ ſectio ipſi facta cum levamine doloris, & oppreſſionis. Nox inſomnis.

Die altero dolor punctorius ut pridie : oppreſſio pectoris magna: reſpiratio difficilior : lingua alba, atque in ejus latere dextro ulcuſculum aphtam referens. Hoc die in Noſocomium a medico, ut vocant, aſſiſtente, meas, tunc graviter ægrotantis, vices obeunte, ſuſceptus eſt. Pulſus plenus, celer, durus. Facta venæ ſectio lib. j. cum levamine aliquo.

Die morbi tertio dolor pungens nullus fere amplius : oppreſſio minor: pulſus fortis, plenus, valde durus : reſpiratio difficilis : facta iterum venæ ſectio unc. X. cruſta phlogiſtica admodum craſſa, tenax: levamen nullum.

Die quarto nulla emendatio: facta venæ ſectio unc. VI. ſanguis ſemper idem.

Die quinto nulla emendatio : venæ ſectio unc. X. A meridie alvus quinquies ſponte mota eſt.

Die ſexto ſupervenit mane dolor pungens lateris ſiniſtri, totam occupans plagam, quæ tertiæ coſtæ veræ, & primæ ſpuriæ, numero a ſuperioribus ducto, interjacet. Hypochondrii ejusdem mollis portio æque dolere cœpit, dolore ad attactum aucto. Oppreſſio pectoris ingens: reſpiratio difficillima. Pulſus plenus, durus, celer. Venæ ſectio lib. 1. Applicatum loco dolenti veſicans eſt.

Dic

Die ſeptimo dolor lateris nullus amplius, ſed oppreſſio pectoris aucta, anxietas ingens: reſpiratio ſolo abdominis motu peracta. Pulſus minus fortis.

Die octavo reſpiratio adhuc difficilior, maxime anheloſa: omnia peſſima. Eodem hoc die mors.

Decima octava poſt mortem hora ſectum cadaver eſt: aperto thorace pulmo uterque ad latera, & verſus dorſum, item cum diaphragmate ſat firmiter mediante pſeudo-membrana, eaque craſſa, alba, lardacea nectebatur. Membrana hac lamellatim ablata, ſubjacens pleura ſana reperta eſt.

Pulmonis dextri ſubſtantia inflammatiſſima, duriſſimaque erat, & fruſtula plura aquæ injecta fundum illico petebant. Siniſter vero hinc inde tantum inflammatus eadem, licet minus craſſa, pſeudo-membrana pleuræ cohæſit. Membrana hæc ut plurimum digiti craſſitiem æquabat, illi, quam per totum morbi decurſum in ſuperfacie ſanguinis emiſſi vidimus, ſimillima. Seri flavi paulo conſiſtentioris circiter libra in cavo dextro thoracis collecta, pus, aut potius *puriformem* materiem referebat. Liquor pericardii quantitatem ſolitam vix non excedebat. Cor magnum: vaſa cordis turgida, quaſi injecta. Venæ cavæ initium polypoſa concretio replevit.

Abdomen diſſectum inteſtina tenuia, ileum præcipue, & jejunum, partim ſumme inflammata, partim gangræneſcentia monſtrabat: hinc inde inteſtina tegebantur materie *purulenta*, aut purulentam potius *mentiente.*

Inteſtinorum quoque craſſorum pars, meſenterium vero totum inflammata fuere. In cavo abdominis *puriformis* pariter materies, ſed paulo conſiſtentior illa, quæ in thorace reperta eſt, ad unc. VIII. circiter effuſa erat. Hepar ſanum pſeudo-membrana, multo licet tenuiori, circumveſtiebatur. Lobus hepatis medius ope ejusdem membranæ ſpuriæ ventri-

culo.

culo jungebatur. Lien ſanus. Omentum convolutum, leviter inflammatum. Renes ſani.

Sectio hæc inteſtina inflammata, partim vero jam gangrænoſa, item meſenterium totum dire inflammatum exhibet, licet nulla enteritidis ſigna unquam apparuerint, ſi dolorem hypochondrii ſiniſtri, auctum, ſi ea plaga contrectaretur, & die primum ſexto totius morbi ſupervenientem excipias, qui etiam ipſe die ſequenti evanuit.

Tranſitum pleuritidis in peripneumoniam Hippocrates, ſuffragante ipſi experientia, jure damnat. Pleuritidem in peripneumoniam abiiſſe die ſeptimo morbi arbitrabamur, ubi *dolor omnis cum pravorum ſymptomatum augmento* diſparuit, reſpirationis præcipue, oppreſſionis, atque anxietatis.

En denuo pleuram in pleuritide vitii expertem!

Materies illa, quæ pus ex parte ſimulabat, ex parte vero in membranas coivit, viſcera aut connectentes, aut obtegentes, ea ipſa videtur eſſe, quam emiſſo ſanguine, atque in patina aſſervato, *cruſtam phlogiſticam* appellant; hæc enim mala criſi per ultima exhalantia vaſa in ea corporis cava ſubinde deponitur, unde nullum natura exitum fecit. Neque id absque exemplo eſt, cum in anginis toties contingat, ut tonſillæ inflammatæ materiem phlogiſticam confertim dimittant, quæ mox in membranam eas partes obveſtientes inſpiſſatur, aut ſuppurationem mentitur; inde eſt, quod, qui frequentius anginoſi fuere, mirentur, ſe poſt tot ſuppurationes tonſillarum his tamen partibus adhuc *integris* gaudere.

EX-

EXCERPTA EX NECROLOGIIS

NOSOCOMII AD S. S. TRINITATEM.

CUM Medici ordinarii in Noſocomio S. S. Trinitatis provinciam ſubiveram, id inter alia operam dedi, ut, quæ de ſtatu Noſocomii præterito me edocerent, evolverem.

Hæc inter Necrologia reperi paucis abhinc annis conſcribi cœpta.

In Necrologiis his ſumma ſuſceptorum ſingulo menſe, mortuorumque reperitur; inde majorem, minoremque morborum quovis anni tempore copiam collegi, etſi probe ſciam, hac methodo morborum numerum quovis menſe graſſantium non exacte ſtabiliri; manente enim eodem lectorum numero, ſi qua tempeſtate & plures ſimul, & diuturniores graſſentur morbi, pauci dato tempore ægri numerabuntur, cum ob morbos diuturniores, qui ſuſcepti ſunt, diutius retineantur, aliosque interim ab hoc beneficio excludant.

Id præterea ſcire convenit, ægros non paucos rebus jam conclamatis huc deportari, quosdam, ut primum ſuſcepti fuerint, exſpirare. Ea apud nos lex obtinet, ut miſerrimum quemque præ omnibus aliis dignum exiſtimemus, qui in Noſocomium ſuſcipiatur.

Alia eſt apud alios *malignitatis* notio. Inde non idem apud omnes eorum numerus erit, quos maligna detinuiſſe febris dicetur, aut enecuiſſe. Malignitatem *factitiam* novi. Verum opinari haud decet, virum hujus per tot annos Noſocomii medicum, errorem

rem tam turpem erraviſſe, ut eas febres in claſſem malignarum rejecerit, quas communior praxis a malignitate abſolvit.

Sed quid utilitatis habebunt tam incompletæ ſectorum cadaverum deſcriptiones quas hæcce Necrologia referunt? mallem ſane accuratas; hæ cum deficiant, incompletis contentemur, modo de earum veritate conſtet, quamadmodum certo conſtat. Nil parvum, nil contemnendum in morborum hiſtoria, dummodo id, utut exiguum, noſtraque attentione minus dignum videatur, ipſius naturæ ſemper veridicæ opus eſſe demonſtretur.

Sagax medicus, & obſervationum amans, quibus ſuam & originem, & incrementa omnis genuina medicina debet, probe ſciet, nullam obſervatiunculam, utut aut prætervifam, aut nullius habitam momenti ita vanam eſſe, ut ſuam ſymbolam ad ampliandos artis limites non conferat. Sciet is minutiſſima quæque, de quibus ipſum naturæ vox edocuerit, ſuos in uſus convertere, optime gnarus, ea non fortuito, cœcove caſu, ſed æque ex immutabili, æternaque lege, qua totam hoc univerſum gubernatur, proficiſci, quam grandia illa naturæ molimina, quæ indoctorum etiam oculos feriunt.

Non poſſum hoc loco, etſi minus fortaſſe ad propoſitum faciat, quid de non paucis obſervationum collectoribus ſentiam, reticere: eſſe videlicet, qui tantummodo inſolita, mirabilia, & rara colligant, quive ea, quæ ſingulo fors ſæculo bis eveniunt, atque merito monſtra audiunt, omni ſollicitudine venentur, dum interim mala illa quotidiana, quibus miſeri affligimur, tanquam attentione curatiori indigna, ſicco, ut ajunt, pede petranſeunt. Hos, dum inſuetis inhiant, & procul poſitis, obviorum contemptores, medicinam fere ſemper inutilem, & haud raro periculoſam in morbis vulgatiſſimis factitare neceſſum eſt.

Que-

Quemadmodum igitur hæcce rariora negligere haud convenit, ita omnis danda opera eſt, ut morborum vulgarium genius, & quæ illorum ad ſe invicem ratio, quisque ad diverſa, quibus oriuntur, vigent, emoriuntur, tempora reſpectus ſit, quis unius in alterum tranſitus, complicatio &c. exacte pernoſcatur.

Collectio omnium conſtitutionum epidemicarum hucusque deſcriptarum, & emolumentum afferret arti, quo inſignius haud datur, & collectoris nomen faceret immortale. Sed, unde digreſſi ſumus, redeamus.

Necrologium anni 1761 (antiquiora enim non reperi) exhibet ægros per anni decurſum ſuſceptos 1056.

Quos inter viri fuere	547.
Fœminæ	509.
Mortui inde ſunt	120.

Hoc anno Ver maxime letale fuit, longe minus Æſtas, & Autumnus, quamvis Æſtate plures numero vigerent morbi. Autumnus morbos non ſolummodo minus letales, ſed & pauciores numeravit. Hyems morborum paucorum, ſed æque propemodum, ac Ver letalium ferax.

Proportio mortuorum ad ſuſceptos proxime eſt, ut 1. 8 $\frac{3}{4}$.

Ad diem quintam Februarii ſequentia notantur: *Mortuus eſt in tympanitide, cujus abdomen, immenſam in molem extenſum, in ſectione monſtrabat ſeri vix libram, inteſtina vero præter omnem modum expanſa, ac ſimul quoad ſtructuram ad digitum usque craſſa, inflammata, & ſphacelata.*

Die 3tia Martii mortuus eſt ex luxatione vertebrarum lumborum, & paralyſi inferioris partis corporis, quod exenteratio etiam monſtrabat, cum ſphacelo viſcerum abdominis præſertim veſicæ.

Die 5ta Septembris fœmina ex febri ſemi-tertiana, &

& tandem ſuppurato meſenterio periit. Febres ſemitertianæ ex putridarum, malignarum, familia, a colluviæ prava primarum viarum oriundæ, tandem viſcerum abdominalium abſceſſus, gangrænam, ſphacelum inducunt.

Die 14ta Octobriis periit ex metaſtaſi ad pectus, poſtquam febrim mali moris remittentem ſuperavit.

Obſervationes meæ complures docent, in febribus bilioſis, malignis, exhantematicis, continuis remittentibus, morbo neglecto, perverſe tractato, multum provecto, emeſi aut neglecta, aut, ubi neceſſe fuerat, non repetita, materiam morbi ex ſyſtemate gaſtrico ad vias ſecundas traductam ad pectus decumbere, tuſſim continuam, & ſibiloſam, difficilem, ſtrepentemque reſpirationem facere; ubi in moventibus, incidentibus, ſtipio, kermete, veſicantibus, radice arnicæ ſpes tota ſalutis reponenda.

Anno 1762. ſuſcepti ſunt 1030
Mortui 87
Proportio mortuorum ad ſuſceptos ferme
ut . . . . 1. 11 $\frac{2}{10}$

Quæ ægrorum quovis menſe copia fuerit, quæve morborum letalitas, ex Necrologio hujus anni non conſtat. Menſes tamen Aprilis, Majus, & Junius præ reliquis pernicem attulere.

Menſe Januario hujus anni periit quidam ex febre maligna, retrogreſſa parotide. Menſe ejusdem anni Martio duo ex maligna febre, exiſtante parotide occubuerunt. Ad diem quintam Auguſti: *periit in ſcirrho hepatis admirando cum ingenti tumore cyſtico, inſtar ſteatomatis pleno pinguedine capillis copioſis intertexta, ubi ſimul omnes partes abdominis ſcirrhoſæ erant.*

Menſe Decembri plures ex maligna febre periere, ac aliis menſibus.

Anno

Anno 1763. ſumma ſuſceptorum non reperitur; mortui ſunt 95

Inter ſuſceptos ex febre maligna decubuere 193

Inde mortui 28

Inter mortuos periere ex dyſenteria menſibus Auguſto, Septembri, & Octobri graſſante 9

Proportio ex febre maligna mortuorum ad eos, qui eadem laboraverunt fere ut . . . 1. 6$\frac{5}{7}$

Mortui dyſenterici ad ſummam omnium mortuorum, ut . . . . 1. 10$\frac{5}{9}$

Proportio mortuorum ex febre maligna ad omnes mortuos fere ut 1. 3

Plura funera per hyemem notantur, quam cæteris anni partibus, eaque potiſſimum fuere hominum ex malis chronicis pereuntium.

Ad diem 21mam Aprilis legitur periiſſe quidam, vel quædam *ex febre rheumatica maligna, in qua ad membra diverſa tumores phlogiſtici ſtatim ſphacelati contingebant.*

A diem 3tiam Septembris periit *in ictero nigro chronico cum hydrope. Exenteratus monſtrabat hepar ulceroſum, & corruptum, nec non meſenterium totum quoad glandulas ſcirrhoſum.*

Anno 1764. ſumma ſuſceptorum fuit . . 857

Mortuorum 63

Proportio defunctorum ad ſuſceptos proxime ut . . . . 1. 13$\frac{1}{2}$

Inter hos fuere febre maligna affecti . . 181

De quibus mortui 24

Proportio febre maligna defunctorum ad omnes ex eadem decumbentes proxime ut . . 1. 7$\frac{1}{2}$

Proportio maligna laborantium ad omnes ægros proxime ut . . . . 1. 4$\frac{4}{5}$

Proportio ex febre maligna mortuorum ad omnes mortuos ut . . . . 1. $2\frac{3}{8}$

Numerus ægrotantium multo minor ac prioribus tribus annis. Autumno morbi pauciſſimi, & minime lethales. Ver paucioribus morbis, quam Æſtas, pluribus quam Autumnus, ſed utraque tempeſtate lethalioribus inſigniebatur: Hyems a Vere haud multum abludebat. Omnium mortuorum dimidia fere pars ex febre maligna periit.

Die 6ta Aprilis æger, vel ægra periiſſe notatur *ex apoplexia poſt lethargum; in exenteratione ſe monſtrabat abſceſſus in cerebello, & alter circa os petroſum, & tertius circa ſinus laterales ita, ut os occipitis plenum fuerit purulenta extravaſata materie, deſcendente per foramen occipitale ad medullam oblongatam.*

Ad diem ſecundam Novembris hæc reperiuntur: *periit in hemicrania chronica ex tumore cyſtico ovum columbinum æquante ſupra ſellam turcicam, & nervum opticum ſito, in exenteratione reperto.*

Anno 1765. ſumma ſuſceptorum 903

Mortuorum 87

Inter hos fuere febre maligna affecti 162

Inde mortui 33

Proportio omnium mortuorum ad ſuſceptos proxime ut 1. $10\frac{1}{3}$

Proportio mortuorum ex febre maligna ad eos qui ex eadem decubuere proxime ut . . . 1. 5

Proportio maligna laborantium ad omnes ægros proxime ut . . . . 1. $5\frac{1}{2}$

Proportio mortuorum ex febre maligna ad omnes mortuos ut . . . . 1. $2\frac{7}{11}$

Vere funera plura, quam Æſtate, at morbi multo pauciores. Autumno morbi æque multi, ac Æſtate, ſed mortes plures. Hyeme ægrorum copia eadem ac Vere, ſed paulo minor mortuorum.

A

An diem octavam Januarii leguntur ſequentia : *allata ſtatim mortua eſt , & in exenteratione reperta eſt magna quantitas ſeri purulenti in abdomine ex abſceſſu rupto intra membranas ventriculi ſito , & perforatione totius ſtructuræ ejusdem.*

Ad diem decimam ejusdem menſis : *periit in ictero nigro cum vomitu perpetuo : in exenteratione repertus pylorus cum parte duodeni ſcirrhoſus , & cancroſus. Cyſtis fellea ſemi-cartilaginea loco bilis continens ſerum album.*

Ad 20mam Martii : *periit in aſthmate ex dilatatione immenſa cordis , & polypo in dextro ejusdem ventriculo magno , cum extravaſatione ſeri in dextra cavitate pectoris librarum quatuor.*

Ad diem 7mam Julii, *periit poſt hæmitritæam facta ſuppuratione meſenterii , & colliquatione.*

Ad diem 18vam Septembris : *in febre mali moris remittente cum ſupervenientibus parotidibus.*

Ad diem 4tam Novembris : *periit in febre lenta ex ſcirrhoſo tumore cyſtico , magnitudine capitis humani in dextra parte abdominis ſe adnectente ad ovarium , & muſculum pſoam , continente materiam purulentam caſeoſam hinc inde pilos habentem.*

Tum in hoc , cum & in aliis Necrologiis non infrequens mentio fit mortuorum in febri maligna *ſuperveniente apoplexia.*

Anno 1766. ſumma ſuſceptorum fuit . . 1057
Mortuorum . , ... 69
Inter hos fuere febri maligna affecti . . 117
Horum quatuor habuere petechias , quinque vero miliaria alba. Febri maligna periere. . 14
Proportio mortuorum ad ſuſceptos proxime ut . . . . 1. $15\frac{7}{23}$
Proportio eorum , qui febri maligna laborabant , ad omnes ægros proxime ut . . . 1. 9

Proportio mortuorum ex febre maligna ad omnes maligna laborantes ut . . . . 1. $8\frac{5}{14}$

Proportio mortuorum ex febre maligna ad omnes mortuos proxime ut 1. 5

Vere morbi pauciores, quam aliis anni partibus, at funera multa: pauciſſimas mortes numeravit Æſtas, etſi morbis quam plurimis infeſtaretur. Hyems maxime lethalis fuit, etſi morbos haud multo plures, ac Ver habuerit. Autumno pauciores, quam Æſtate morbi, plures vero quam Hyemne, & Vere reperiuntur, non multum lethales.

Ad diem 20mam Jan. habentur ſequentia: *periit in fractura cranii, nimirum in oſſe bregmatis ſiniſtro usque ad ſuturam coronariam, & dextro ad orbitam oculi, usque cum extravaſatione ſanguinis in fundo cerebri ad uncias tres ex lapſu accepta.*

Ad diem 2dam Julii: *periit in hydrophobia hora poſt ſuſceptionem in Noſocomium vigeſima quarta, morſus die 15ta menſis præteriti.*

Ad diem 12mam Auguſti: *periit in febre rheumatica, facta depoſitione vehementi ad fauces & linguam intra paucas horas ſuffocante.*

Anno 1767. ſuſcepti 1017
Mortui. 78
Inter hos fuere febri maligna affecti
Sine exanthematibus. 93
Cum miliaribus albis 12
Cum petechiis 5

Summa 110

Ex his mortui 16

Proportio mortuorum omnium ad ſuſceptos ut . . . . 1. $13\frac{1}{26}$

Proportio maligne decumbentium ad omnes ægros fere ut . . . . 1. $9\frac{2}{11}$

Pro-

Proportio ex febre maligna mortuorum ad omnes ex eadem decumbentes ut 1. 6⅞

Æſtate morbi plurimi, ſed parum lethales: paulo pauciores, Autumno, ſed maxime funeſti: Hyeme adhuc pauciores, quam Autumno, uti & Vere proximo; ſed eadem mortuorum ad ægros proportio reperitur, quæ per Autumnum obtinuit.

Ad diem 25tam leguntur ſequentia: *periit in ictero nigro ex ſcirrho ſphincteris veſiculæ felleæ cum ſphacelatione hepatis, & ex luſu inordinato naturæ; viſcera enim tam pectoris quam abdominis in ſitu mutata erant, ut hepar in ſiniſtra parte reperiretur, & reliqua, &c.*

Ad diem 26tam: *periit in febre lenta ex obſtructione lienis, & omnium glandularum abdominis, ſimul multis hydatidibus, & hydrope pericardii: exenteratione quoque manifeſtabatur peritionæum ſcirrhoſum ad digiti majoris craſſitiem.*

Ad 12 Auguſti: *ſenicula periit in ictero chronico: in exenteratione inveniebatur hepar ulceroſum, calculi in veſicula fellea, meſenterium ſcirrhoſum, veſicula fellea ſimul ſcirrhoſa, calloſa, & cartilaginoſa.*

Ad 3tiam Novembris: *appoplexia ex caſu: poſt mortem inventa fractura a ſutura lambdoidea usque ad foramen occipitale: extravaſatio ſanguinis in cerebello, & ruptura duræ matris anterius ad os frontale, ut cerebrum tranſiret: totum cerebrum ſimul impletum ſanguine extravaſato.*

Anno 1768. ſuſcepti 1066
Mortui. 83
Ex febre maligna decubuere
Sine exanthematibus. 115
Cum petechiis. 1
Cum miliaribus albis. 4

Summa omnium maligne ægrotantium fuit . 120
Inde mortui 17
Proportio mortuorum omnium ad ſuſceptos proxime ut . . . . 1. $12\frac{5}{9}$
Ratio maligne ægrotantium ad omnes ægros ferme ut . . . . 1. $8\frac{5}{6}$
Ratio omnium ex febre maligna mortuorum ad omnes univerſim mortuos ut . . 1. $4\frac{15}{17}$
Sive proxime ut 1. 5
Ratio mortuorum ex febre maligna ad omnes ex eadem decumbentes proxime ut . . 1. 7

Vere, & Autumno inter ægros non plurimos plurima funera ; menſibus Julio & Junio inter plurimos ægros pauci periere, pauci itidem per Hyemem mortui , paucique ægrotarunt.

Ad diem 17mam Junii hæc notantur : *periit in ictero chronico nigro : in exenteratione inveni hepar , collum veſiculæ felleæ , meſenterium , & receptaculum chyli ſcirrhoſum , & corpus integre emaciatum ; atque bilis loco in veſicula fuit ſanguis nigerrimus.*

In ſectione cadaverum una alterave vice reperi bilem profunde flavam , amurcoſam , quæ primo aſpectu , antequam pauxillum bilis charta bibula exciperem , ſanguinem nigerrimum mentiebatur , etſi fors ſanguinem nigerrimum reapſe viderit , qui cadaver ſecuit.

Ad diem 20mam : *periit in vomitu chronico ex magno ſcirrho pancreatis , & ejusdem concretione cum ventriculo , atque hepate obſtructo , & copioſis abſceſſibus obſeſſo.*

Anno 1769. ſuſcepti 1133
Mortui. 75
Febri maligna laborarunt ſine efflorescentiis. . 58
Cum petechiis. 6
Cum miliaribus albis. 3
Cum variolis confluentibus. 1

Sum-

Summa maligne ægrotantium.	68
Inde mortui	21
Ratio mortuorum ad ſuſceptos fere ut . .	1. $15\frac{1}{3}$
Ratio maligne ægrotantium ad omnes ægros fere ut	1. $16\frac{11}{17}$
Ratio mortuorum ex febre maligna ad omnes qui ex eadem decubuere ut	1. $3\frac{5}{21}$
Ratio mortuorum ex febre maligna ad omnes univerſim mortuos ut	1. $3\frac{4}{5}$

Morbi plurimi per Æſtatem: menſe Junio vergente febres malignæ ingrediebantur, quæ menſe Auguſto ad ἀκμὴν pervenerunt: pleraque illius menſis funera ex ea febri contigere. Morbi Vere & Autumno ferme æquales numero, & morbis Æſtivis pauciores: Vere plura funera, quam quocunque alio anni tempore, eaque potiſſimum ex infirmitatibus chronicis, phthyſi, hydrope &c. &c. dein Autumno. Hyems ſalubrior ac aliæ anni partes.

Ad diem 12mam habetur: *periit in cachexia icterica. Exenteratio monſtrabat hepar valde magnum, durum, flavo rubrum in ſubſtantia, cum extravaſatione ſeri flavi in pectore, & abdomine.*

Anno 1770. ſuſcepti fuere	1233
Mortui	73
Febri acuta laborabunt	92
Cum petechiis	9
Cum miliaribus albis	7
Cum ſcarlatina	2
Summa omnium maligne laborantium . .	104
Inde mortui	24

Ratio mortuorum omnium ad omnes ſuſceptos fere ut . . . . 1. $16\frac{9}{13}$

Ra-

Ratio maligne laborantium ad omnes ægros, fere ut . . . . 1. $11\frac{9}{10}$

Ratio mortuorum ex febre maligna ad omnes, qui ex eadem decubuere ut . . . . . . 1. $4\frac{1}{3}$

Ratio mortuorum ex febre maligna ad omnes mortuos ut . . . . 1. $3\frac{1}{24}$

Plurimi morbi per Æſtatem, & in principio Autumni, ſed omnium minime lethales. Menſe Novembri, & Decembri pauciores, ſed magis lethales: Vere pauciores quam Æſtate, & Autumno, ſed plura funera, eaque tam ex morbis chronicis, quam ex febre maligna.

Ad diem octavam Januarii leguntur ſequentia: *periit in aſcite: in exenteratione inventum eſt hepar ſcirrhoſum, vix non cartilaginoſum, & ultra* 40 *menſuræ aquarum in abdomine.*

Ad diem decimam ſeptimam Februarii: *periit in ictero ex inflammatione hepatis: in exenteratione inventum hepar ſcirrhoſum, & ſteatomatoſum magnitudinis ultra* 20 *libras pendens.*

Ad diem 20mam Martii: *periit in aſthmate ſicco: in exenteratione reperti ſunt pulmones pleuræ adhærentes, & ex integro ſcirrhoſi cum corde præter naturam magno.*

Ad diem 28vam: *periit in aſthmate ſicco: reperta pulmonum tuberculis plenorum cohæſio, cum empyemate magno* (abſceſſu) *rupto ad cavitatem thoracis.*

Ad diem 12mam Maji: *periit ex caſu ex alto, paralyſis corporis inferioris ex fractura, & luxatione vertebræ ultimæ thoracis.*

Ad diem 2dam Junii: *periit in ictero nigro & ſcirrho hepatis, & calculis veſicæ felleæ: in exenteratione inventum hepar jam putridum & gangrænoſum, & calculi in inteſtino duodeno.*

Anno 1771. fuere ſuſcepti . . . . , 1216

Mor-

Mortui 100
Maligne laborarunt abſque efflorescentiis . . 305
Cum petechiis 35
Cum miliaribus albis 6
Cum ſcarlatina 2

Summa 348

Inde mortui 45

Ratio mortuorum omnium ad omnes ſuſceptos fere ut . . . . 1. $12\frac{1}{5}$

Ratio maligne laborantium ad omnes ægros fere ut . . . . 1. $3\frac{1}{2}$

Ratio mortuorum ex febre maligna ad omnes ex eadem decumbentes ut . . . . . 1. $7\frac{11}{15}$

Ratio mortuorum ex febre maligna ad omnes mortuos ut . . . . 1. $2\frac{2}{9}$

Ab Aprilis initio ad principium Novembris morbi plurimi fuere, Vere maxime lethales, minime Æſtate. Hyems minus lethalis, quam Ver, & magis, quam Æſtas. Majus omnium plurima funera numeravit.

Ad diem 27mam Januarii habentur ſequentia: *ſuſcepta eſt cum pernionibus parum ſphacelatis: mox à ſuſceptione ſpaſmo cynico, & motibus convulſivis correpta periit.*

Ad diem 2dam Aprilis: *periit in fractura & luxatione vertebrarum lumborum: paralyſis inferiorum partium corporis ex caſu ab alto.*

Ad diem 14tam Aprilis, *periit ex febre maligna, & ingentibus parotidibus ſuffocatus.*

Ad diem 24tam Julii: *periit ex ſphacelo faciei ex diatheſi ſcorbutica.*

Ad diem 30mam: *periit ex ſpasmo cynico & convulſionibus: in exenteratione reperta eſt extravaſatio ſanguinis ad unciam in baſi cranii.*

Ad 16tam Septembris: *periit convulſus in tetano ex concuſſione ſpinæ dorſi.*

Ad 29nam: *poſt febrim malignam facta remittens pernicioſa: in paroxyſmo convulſionibus ſtipato periit.*

Ad diem 10mam Novembris: *periit in aſthmate ex aneuriſmatica dilatatione cordis cum polypoſis cartilagineis concretionibus.*

Ad 29nam Decembris: *periit in aſthmate ſicco, convulſivo: in exenteratione pulmones repeti ſcirrhoſi.*

Anno 1772. ſuſcepti	1305
Mortui	79
Febri maligna ſine efflorеſcentiis laborarunt	352
Cum petechiis	27
Cum miliaribus albis	8
Summa	387
Inde mortui	33
Ratio mortuorum omnium ad ſuſceptos fere ut	1. 16½
Ratio maligne laborantium ad omnes ægros fere ut	1. 3⅖
Ratio mortuorum ex febre maligna ad omnes qui ex eadem decubuere ut	1. 11$\frac{8}{11}$
Ratio mortuorum ex febre maligna ad omnes univerſim mortuos fere ut	1. 2$\frac{4}{11}$

A principio anni ad finem usque omnia propemodum funera febris maligna dedit. Morbi plurimi ab initio Maji ad finem Octobris, pauciſſimi menſibus Novembri, & Decembri. Hyems adulta, totumque Ver maxime lethale, minus Æſtas, minime Autumnus.

Anno 1773. ſuſcepti	1176
Mortui	63

Febri

Febri maligna ſine efflorescentiis laborarunt . . . 109
Cum petechiis 5
Cum miliaribus albis 1

Summa 115

Inde mortui 13

Ratio mortuorum omnium ad omnes ſuſceptos ut . . . . 1. $18\frac{2}{3}$

Ratio maligne laborantium ad omnes univerſim ægros ferme ut . . . . 1 $10\frac{1}{3}$

Ratio mortuorum ex febre maligna ad omnes, qui eadem laborarunt ut . . . 1. $8\frac{11}{13}$

Copia morborum Vere, & Æſtate par, at diſpar lethalitas: maxime enim lethale Ver fuit, ubi pleræque mortes ex febribus acutis contigere: dein Autumnus: demum Æſtas: Hyeme magna ſalubritas.

Ad diem 9nam Septembris habentur ſequentia; *poſtquam acutam, & dein remittentem bis ſuperavit, repente moritur. In exenteratione ſumma flacciditas præſertim cordis, & parva ſphacelatio ventriculo reperta eſt.*

Ad diem 10mam Octobris: *periit in maraſmo, & ictero nigro: in exenteratione repertum eſt meſenterium & glandulæ ejuſdem vix non cartilagineæ, atque veſicula fellea calculis plena.*

Anno 1774. ſuſcepti fuere 992
Mortui 58
Febri maligna ſine efflorescentiis laborarunt 65
Cum petechiis. 8
Cum miliaribus albis. . . . . , . 3

Summa 76

Inde mortui 11

Ratio mortuorum omnium ad ſuſceptos ut. . . . . 2. $17\frac{3}{29}$

Ra-

Ratio maligne laborantium ad omnes ægros ut. . . . . 1. $13\frac{1}{15}$

Ratio mortuorum ex febri maligna ad omnes qui ex eadem decubuere, ut . . . 1. $6\frac{10}{11}$

Ratio mortuorum ex febri maligna ad omnes mortuos ut . . . . 1. $5\frac{4}{11}$

Vere plures morbi, & magis lethales: pauciſſimi per Æſtatem, ſed lethalitate haud inferiores, plures Autumno quam Æſtate, attamen rarius pernicioſi: Hyems ſalubris.

Ad diem 21mam Februarii habentur ſequentia: *periit in aſthmate convulſivo poſt colicam pictorum.*

Anno 1775. ſuſcepti fuere 1206

Mortui 63

Ratio mortuorum omnium ad ſuſceptos ut 1. $19\frac{1}{9}$

Quot ægri febre maligna laboraverint, atque ex ea mortui hoc anno ſint, in catalogo non reperitur.

Ab initio Maji ad finem Septembris morbi multi, non tamen multum pernicioſi: adulto Autumno, Hyeme, & Veris initio minor morborum copia, ſed inde frequentior pernicies.

Quod ſi numerus omnium per 14 annos in Noſocomio mortuorum comparetur cum numero omnium per eosdem annos ſuſceptorum, erit ratio media mortuorum ad ſuſceptos proxime ut. . . . . 1. $14\frac{3}{7}$

Ratio media mortuorum ex febre maligna ſpatio 12 annorum ad omnes per totidem annos maligne laborantes proxime ut . . . 1. $7\frac{1}{10}$

Ratio media mortuorum per 12 annos ex febre maligna ad omnes univerſim per idem tempus in Noſocomio mortuos proxime ut . . . . 1. $2\frac{19}{20}$

Inter 250 ægros ex febro maligna mortuos quatuordecim fuere, quibus parotides exſtabant, & quin-

quinque, quibus orta parotis ante mortem retroceſſit.

Inter 298 fuere viginti & unus, qui *in febre maligna ex decubitu ſphacelato periiſſe* leguntur.

Frequens mentio fit aſthmatis lethalis ex hydrope thoracis & pericardii.

Gibboſos quam plurimum phthyſi, peripneumonia, aſthmate, hydrothorace periiſſe in Necrologiis ſedulo adnotatum reperitur.

Phthyſicos quam plurimos, item hydropicos pleroſque, eos præcipue, qui aquis intra thoracem collectis laborabant, menſibus Vernis periiſſe potius, quam alio anni tempore eadem Nocrologia conſtanter docent.

Modum inſuper additum perſæpe reperi, quo febres malignæ ægros jugulaverint: periere *convulſi*, *phrenitici*, *ſuperveniente apoplexia*, *congeſtione facta ad caput hemiplegiam producente*, *cum parotide exſtante ingentibus parotidibus ſuffocati*, *parotide retrogreſſa*, *parotidibus interne gangrænoſis*, *metaſtaſi facta ad pulmones*, *facta depoſitione ad abdomen*, *decubitu ſphacelato*, *locis veſicantium ſphacelatis*.

Obſervatio conſtans, & Necrologia docent, quasdam anni partes præ aliis pernicioſas eſſe. Sic Ver pluribus funeſtari mortibus ſolet, ac quæcunque alia anni pars. Intervallo non longo Hyems ſequitur: utrumque hoc anni tempus longa infirmitate detentis phthyſicis, hydropicis &c. &c. lethum affert. Ver autem morbos quoque acutos adſciſcit, ut ex longis morbis, & ex acutis per idem tempus exortis multi pereant: hinc alia Veris ratio apud nos eſt, quam quæ apud Hippocratem deſcripta invenitur, qui L. 3. Aphor. 6. *Ver omnium anni temporum ſaluberrimum*, *& minime lethale* aſſerit.

Obſervationes hæ aliorum quoque Süſsmilchii præprimis

primis obſervationibus reſpondent. Verum alius temporum ordo ſtabilitur, ſi non lethalitatem, ſed numerum morborum diverſis anni partibus regnantium contemplemur. Æſtas morborum feraciſſima, ſed minime plerumque lethalium tunc primas tenet: hanc Autumnus excipit. Ver pauciores plerumque morbos numerat, pauciſſimos Hyems.

Sed hic de eo ſermo ſit, quod ut plurimum obtinet; abnormes enim, hybridasque temporum conſtitutiones ſubinde dari monumenta medica abunde teſtantur.



MAXIMILIANI STOLL

S. C. R. A. M. CONS. NOSOCOMII
S. S. TRINIT. PHYSICI ORDINARII
ET
PROF. PRAX. MEDICÆ. P. O.

PARS SECUNDA

RATIONIS MEDENDI,

IN NOSOCOMIO PRACTICO
VINDOBONENSI.



LUGDUNI BATAVORUM,

Apud { HAAK ET SOCIOS, ET A. ET J. HONKOOP. } 1788.

Oportet exacte perdiſcere unamquamque temporum conſtitutionem, & ipſum morbum: ——

Nam æſtivos morbos ſuperveniens hyems diſſolvit, & hyemales æſtas ſuccedens transmutat.

HIPPOCRAT. *L. III. de Morbis Popular.*

ILLUSTRISSIMO
AC MAGNIFICO VIRO
LIB. BARONI

A. DE STÖRCK,

DOMINO IN JETELSEE,

AUGUSTISS. IMPERATORI ET IMPERATRICI A CONSILIIS, ARCHIATRORUM COMITI, STUDII MEDICI PRÆSIDI, AC DIRECTORI PERPETUO, PER UNIVERSAS AUSTRIÆ PROVÍNCIAS, PROTOMEDICO, NOSOCOMII CIVICI PAZMANYIANI PHYSICO, SOCIETAT. EDIMBURG. BOTAN. FLORENT. ACADEM. SCIENT. SIEN. ACADEM. PRINCIP. HASS. INSTIT. BONON. ET ACAD. NAT. CURIOS. DEGLI AGIATI DI ROVERDO MEMBRO, &c.

ILLUSTRISSIME VIR!

TOT, *tantisque beneficiis*, *VIR ILLUSTRISSIME! me devinctum habes, ut, qui dignas referre* TIBI *grates poſſim, me imparem lubens fatear.*

Atque

Atque id ut publice, atque alta voce conteſter; mearum partium ſemper erit, quas nunquam deſeram, donec hæcce, qua fruor, aura me deſeruerit.

Parcam modeſtiæ tuæ, tuaque tempora non morabor longa illuſtrium virtutum narratione. Eminentiores hæ ſunt, quam ut indigeant me laudatore.

TE enim tum quoque grata mente recolet ſera poſteritas, ubi me, meumque libellum alta oblivio dudum merſerit.

TU te ipſe nempe tuum nomen longiſſimo ævo conſignaſti, non interiturum, quouſque humanum genus hanc terram colet, iis malis preſſam, quorum antidoton reperiſti.

PRÆ-

PRÆFATIO.

En alterum rationis medendi tomum, ex ſedula penes lectos ægrorum contemplatione natum.

Nulla nec iſthoc anno obſervationum monſtra venabar, ſed totus in eo eram, ut fidelem conſtitutionis annuæ, viciſſitudinum temporis, materieive morbificæ, & morborum imaginem ſiſterem, & exacte notarem varias ægritudinum commiſtiones, tranſitus varios una ſerie ſeſe excipientium morborum, eorumque luſus mirificos uno eodemque tempore conſpicuos,. & eadem prognatos origine, veluti totidem diverſa ejusdem hydræ lernææ capita.

Hos conatus ſi multorum induſtria juverit, fors condi quondam febrium ſyſtema poterit, firmioribus nixum fundamentis; multaque ab aliis collecta, ſed ordine nullo, & nullo ad aliorum inventa reſpectu habito, atque in vaſto obſervationum campo tanquam totidem diſperſa membra in unum tandem ædificium coibunt, nullis argutantium ratiunculis ſubruendum, utpote æternæ naturæ opus immortale.

Hæc

Hæc ratio eſt, quare multa, præcipue in cadaveribus reperta, futuros in uſus repoſuerim, contentus hac ſimplici temporum, morborumque deſcriptione, utiliſſima quidem, ni me omnia fallunt, ſed ob ſtilum monotonon, humilioremque, & circa res ſæpe easdem, ſemper notiſſimas verſantem lectorum orexi fortaſſe non arridentia. At malui placuiſſe paucis, & pluribus profuiſſe, quam rerum verborumque jucunda varietate ſolam, nulliusque bonæ frugis admirationem multorum captaſſe.

Id aſſero, me nulli methodo præ alia quacunque addictum eſſe, ſed eligere illam, quam anni conſtitutio, eique reſpondens ægritudo popoſcerit: eſſe idcirco ſubinde ſoli ſanguinis miſſioni, & antiphlogiſtico apparatui locum, eſſe & ſoli ferme perſæpe emetico, eſſe etiam locum utrique auxiliorum horumce generi non raro.

Multo dignos encomio arbitror, qui reperiundis novis inſudant, ſed nec inutiliter eorum locari operam, qui illorum, quæ priſca ætas tulit, notiones examinant, contrahunt, dilatant, rectificant. Illi regiones detegunt incognitas: Hi patrio ſolo docent recte uti, atque id minori quidem cum gloria, ſed emolumento non impari.

Huic propoſito ſi ſatisfecero, dignum patientiæ, laboriſque præmium recepi.

ELEN-

ELENCHUS.

Caput I. Januarii Anni 1777. deſcriptio . . . . pag. 1.
—— II. Februarius ejuſdem anni . 3.
—— III. Martius . . . . 16.
—— IV. Aprilis . . . . 19.
—— V. Majus . . . . 31.
—— VI. Junius . . . . 33.
—— VII. Julius. . . . . 35.
—— VIII. Auguſtus . . . . . . 37.
—— IX. Febris puerperarum . . 39.
—— X. Febris æſtivæ Anni 1777. in variis individuis luſus varii . . . . 59.
—— XI. Reflexiones in hiſtorias priori capite recenſitas . . 125.

Caput

Caput XII. De febris æſtivæ complicatione cum aliis morbis, & paraſitica ejuſdem indole. . . . . . pag. 146.
—— XIII. September . . . . . 196.
—— XIV. October . . . . . . 200.
—— XV. November . . . . . . 207.
—— XVI. December. . . . . . 231.
—— XVII. Varia . . . . 261.

M.

M. STOLL

RATIO MEDENDI.

PARS SECUNDA.

CAPUT I.

JANUARIUS,

ANNI 1777.

INITIO Januarii nives copioſiſſimæ vento per intervalla furente, & proceloſo. Frigus. Circa medium menſis dies aliquot egelidi. Die 17. gelu recruduit ad 23tiam usque protenſum. Inde tempus denuo egelidum, tepidum, nivesque colliquatæ. Januarii deſcriptio.

Die 7. & 19. hujus menſis maximum frigus fuit in thermometro Reaumuriano. — o. 8. gr., id eſt infra punctum congelationis.

Die 13. 23. 24. 25. 26. frigus minimum + o. 1. gr. id eſt ſupra punct. congelationis.

Calor medius atmoſphæræ. — o. 2 ½ gr. (*).

Die 17. Altiſſima Barometri ſtatio 28 poll. Viennens. 6. lin.

Die 8. 19. ſtatio ejusdem infima 27. poll. 6. lin.

Morbi inflammatorii.

Hoc menſe phlogoſis late imperitabat: hinc frequens pleuritis, & rheuma inflammatorium, & lumbago, & iſchias. Morborum decurſus celer, impetuoſus, & cum diſcrimine. Ægrotantium vis magna, ſed funerum non magna.

Phlebotomiæ, & totius antiphlogiſtici apparatus uſus creberrimus hac tempeſtate, & magnopere ſalutaris fuit, at perquam rarus emeticorum.

(*) Calor medius atmoſphæræ eliciebatur ex caloribus ſingulorum menſis dierum in ſummam collectis, & per numerum dierum illum menſem conſtituentium diviſis.



CAPUT II.

FEBRUARIUS.

AB exordio Februarii ad ejusdem fere medium magna frigoris, calorisque viciſſitudo fuit, inſignem per bidum atmoſphæræ teporem frigore per alios binos dies excipiente, idque alternatim. Vix una alterave nix, eaque pertenuis. A 15. aër quatriduo ſerenus, ſiccus: at reliquum menſis nebuloſum partem maximam, & valde humidum cum nive una, exigua. Venti aut nulli, aut tenues. Februarii deſcriptio.

Die 1. & 2. Febr. frigus maximum — o. 7 ½ gr.

Die 26. frigus minimum -|- o. 7. gr.

Calor atmoſphæræ medius -|- o ½ gr.

Die 26. & 27. altiſſima Barometri ſtatio 28. poll. 3. l.

Die 18. ejusdem ſtatio infima 27. poll. 2 ½ l.

Primum menſis dimidium febres infeſtavere indole, numero, eventuque ab iis non diverſæ, quæ annum naſcentem exorſæ ſunt. Inclinato vero menſe morborum numerus contractior fuit, & ingenium minus ferox, minusque præceps decurſus, & raræ mortes.

Sub exitu menſis febris catarrhalis ſæpius viſa, & rarior pleuritis, niſi ipſam hanc febrim catarrhalem compellare pleuritidem velis, ſed cicuratam: & acie refracta incurſantem, quæve ægros obambulare permiſit, & acuta pleuritide præcedentium ſeptimanarum diuturnam magis. Catarrhi febriles, inflammatorii.

A 2 Fe-

Eorum cura.

Febrim hancce catarrhalem antiphlogiſtica methodus ſanavit, miſſiones ſanguinis, & emollientia herbarum, radicumve decocta cum mitiſſimo nitri ſale.

Neglecti in phthyſin abeunt.

V. S. inſtituenda eſt.

Id generis catarrhoſas febres temporibus phlogoſi faventibus exortas, & hoc, & aliis annis non raro in immedicabilem pulmonum phthyſin converſas vidi. Ejus rei rationem hanc deprehendi, quod multi in terris hiſce ita opinentur, phlebotomiam catarrho nunquam convenire, neque diſquirant, quænam illa catarrhi ſpecies ſit, quæ id auxilium abhorreat, quæve è contrario expoſcat.

Diverſæ catarrhorum ſpecies non confundendæ.

Hi ſub eodem catarrhi vocabulo diverſiſſimos reipſa morbos complectuntur, & eandem ſemper ægritudinem arbitrantur, cui phlebotomia ſemper etiam officiat.

Catarrhi hac tempeſtate a phlogiſtica corporis totius, ſed præprimis pulmonum intemperie naſcebantur, erantque aut inflammatorii, aut ſubinflammatorii, eosque pleuritides, vel peripneumonias *mitificatas* aptius compellaſſes. Has utique miſſus ſemel iterumque ſanguis juvabat, & potio multa emolliens, nitroſa, & fracta tandem phlogoſi, at tuſſi nihilominus ob conſuetudinem redeunte, narcoticum veſpertinum pulmones irritatos componens.

Cur catarrhi ſæpius negligantur & quo infortunio?

Sed ipſa morbi fallax lenitas non paucis imponit, ut ab aëre frigidiore non caveant, e victu nil detrahant, carneo, vinoſo; morboque tam levi, quem etiam ob ſalubritatem quamdam imaginariam fauſte fortunateque ſibi eventurum exiſtimant, ſatisfeciſſe ſibi male perſuadeant, ſi ſemel, bisve per diem vaſculum decocti cujusdam pectoralis hauſerint. Interim, etſi non magna pulmonum inflammatio pernicio-

cioſos intus cuniculos agit, & pure clanculum nato, atque intra ſaccos concluſo pulmones ſubruit, ocyus, ſerius.

Alia alterius catarrhi ratio eſt, alio obſervari tempore ſoliti, bilioſi videlicet. Qua enim tempeſtate bilioſa febris; pleuritis potiſſimum bilioſa dominatur, multæ aliæ ægritudines leviores, nondum formatæ, nondum inſignibus ſuis gentilitiis inſignitæ, ſimul ſpectantur, quaſi principis morbis ſatellitium: in eo non infimum locum catarrhus quidam tenet, non diſſimilis indolis a principe bilioſa febre, quam ſequitur, at gradus ſolummodo inferioris. Hoſce catarrhos æque, ac ipſam dominantem bilioſam febrim, ſanguinis miſſio, iterata præcipue, & profuſior multum exaſperat, at alvi ductio nonnunquam tollit, aut emeſis, eaque certius aut emetocatharſis certiſſime. Ab hucusque deſcripto catarrho differt catarrhus bilioſus. Hujus idea. & curatio.

Pauciſſimæ intermittentes hoc tempore comparebant, & eæ faciles, ſoliſque ferme ſolventibus mitioribus, ac antiphlogiſticis obaudientes.

Cum ſub anni elapſi dies ultimos in maligniſſimum morbum inciderim, ex quo ægerrime, & inter graves cum morte luctas vix, ac ne vix quidem emerſeram, obſervationes plures, & binis hiſce menſibus magis propriæ, me penitus deficiunt. Morbi maligni hiſtoria.

Hujus ipſius graviſſimæ febris deſcriptionem a ſolertiſſimo medicinæ Candidato Antonio Cœnen, cujus tantæ in me fidelitati, cum ægrotanti aſſiſteret indefeſſus, hic publicum teſtimonium lubens do, curatiſſime conſcriptam in locum deperditi ſubſtituam. Eam multis obſervationibus fœtam judico, nec minoris, ac illas Hippocratis morborum imagines, momenti. Par

certe utrobique morbi gravitas, nec inferior hic eſt narrantis fides.

Cur, qui ſuum ipſius morbum deſcribit, eum plerumque male deſcribat, & male ſibi ipſe medicinam faciat.

Fateor quidem, me illorum morborum hiſtorias plerumque pluris facere, quos medicus, qui conſcripſerat, non erat ipſemet expertus, ſed in aliis ſpectatos ſolerter in pugillaribus conſignavit.

Ea res præter opinionem multorum erit, & vero minus videbitur conſentanea. At novi, quam longe aliud ſit, intelligere morbum in alio homine viſum, intellectumque rite conſignare, atque item aliud, eundem ipſummet experiri, ſi qui ægrotat, medicinam calleat, & ſuam ipſius ægritudinem dignoſcere, de ejusdem intenſione, cauſis, eventuve judicium juſtum ferre, & medicinam opponere non tumultuariam, quamve ratio ſuggerat, non pavor.

Certe non facile quemquam vidi, qui inconcinnius, & ad formandam juſtam diagnoſin ineptius referat, quam plerumque ipſemet artem medicam profeſſus ſoleat ad alium de ſuo ipſius morbo referre, ſi quando ſeriam collegæ opem imploret.

Novi non paucos, qui peſſimam ſibimet medicinam fecerant, & quosdam etiam, qui funeſtam, in re non abſtruſa, nec difficili, ubi aliis omnibus profuiſſent, præterquam ſibi. Fuit, qui ob levem cephalalgiam, imminentis coryzæ nunciam, ſanguinem copioſiſſimum ad animi deliquium usque ſibi eduxit, valetudine eam tantam jacturam graviſſime perferente, & diu poſthac attrita. Is apoplexiam ſibi inſtare falſo exiſtimabat, quam opinionem in alio ejusdem ſecum ipſo habitus facile exploſiſſet.

Alium novi & libris celebrem, & artis uſu, qui ob eundem apoplexiæ metum, a qua erat, ſi

ſi quisquam alius, alienus, a multis annis omni ferme menſe phlebotomiam unam, quin & alteram celebravit; atque imaginarium mortis genus in aliud commutavit non fictum, immemor illius:

Nonne hœc ſtultitia eſt, ne moriare, mori?

Hos ſortis humanæ impatientia, & amor ſui nimius prohibet, moderate & æquo animo de ſua, ſuorumque valetudine exiſtimare, indociles fortunam adverſam pati.

Paucis annis cum in Hungaria Phyſici, ut vocant, munere fungerer, binis vicibus ex febre autumnali putrida graviter decubui. Sæpiſſime poſtea intermittentibus febribus conflictabar, quotidianis, tertianis, ita, ut anno uno cum dimidio continuos in intermittentem relapſus paterer, auxiliis, quibusqunque in uſum fruſtra vocatis, & cortice peruviano ipſomet febrifugæ virtutis oblito tandem, utut & largiter aſſumpto, & per annum integrum quotidie, aliisque coindicatis non neglectis.

Tandem amatam mihi gentem invitus deſerui, cœloque commutato, etſi aliis non inſalubri, Viennam conceſſi, ut amicorum colloquio mentem ſoler, & ſtudiis fractam, & longo morbo, eorundemque conſilio utar in valetudine reſtauranda.

Convalui, non tamen ita, ut non identidem os amareſceret, aut epigaſtrium per vices non doleret, nec color ora tingeret ſubictericius.

Annum, & tres propemodum menſes exegi dubia hac ſanitate ſemper uſus, quam nulla ratione poteram confirmare.

Autumno anni 1776 appetente, cum me multus labor, isque ingratus premeret, ſimulque diuturnus mœror ob domeſticam quandam

calamitatem , isque compreſſus animum morderet gravius, amaror intendi cum dolore ventriculi cœpit. Rem hanccè remedia ſalina & eccoprotica ſolabantur , non perſanabant. Poſt medium Decembrem ejusdem anni mane inter ſudores inſuetos evigilanti , graviſſimo pondere comprimi epigaſtrium videbatur , extra lectum evanido. Frigoris major , quam alias , vel in calefacto cubiculo , impatientia , ructus rodentiſſimi, acrimonia verbis non exprimenda , appetitu tamen non immunito.

Prævertere cladem potuiſſem , ni mens fuiſſet aliorſum violenter abrepta, & oblita ſui.

Die 20. Decembris 1776. ſeptima veſpertina dolere caput obtuſe cœpit : inſuperabilis ſomnolentia, ſenſuum multa confuſio : lumborum dolor , & dedolatio. Nox implacida , inſomnia, jactitatio , æſtusque magni.

Die 21. Decembris alvus ſepties mota ab aſſumpto tartari cremore : levamen nullum, cephalalgia ingens. Febris major, nox gravior.

Ob ſenſus confuſos æger ſibimet conſulere non potuit. Sumſit potus antiphlogiſticos.

Die 22. Decembris omnia exacerbata : mens interdiu conſtabat : nox laborioſa , & ſubdelirium : remedia eadem.

23. & 24. Decembris magna ſymptomatum acceſſio : pulſus pleni, frequentes, validi. Noctu inquies : ſomni exigui inſomniis horridi. Mens vacillabat. Crebra enemata, & eadem remedia.

25. Decembris nil emendatum. Sanguinis unciæ vij. detrahebantur, cruſta diffuſa, cinerea , ſublliveſcente , tremula, molli, gelatinam exacte referente contecti : nulla allevatio. Veſperi tantundem ſanguinis educebatur absque cruſta phlogiſtica , ſuperficie prærubra, craſſamento

mento denſo, tenacique, & ſine ſero. Nox multum turbata, & mentis alienatio per vices.

26. Decembris calores magni, continui, & nullis a morbi initio horroribus interſtincti. Pulſus frequentiſſimi, debiliores: temulentia major, quam præteritis diebus. Sinapiſmi pedum plantis apponebantur. Remedia eadem. Nox deterior.

27. Decembris æſtus ingens. Pulſus crebriores debilioresque. Somni parvi. Terrores, incontinentia corporis, & aliena ſermocinatio. Duo veſicantia ſuris applicabantur. Hordei decoctum cum multo vitrioli ſpiritu, extractum item corticis peruviani, & camphora exhibebantur. Ardor in abdomine: nox gravis admodum: pervigilium, inſania, ſermones.

28. Decembris præcordiorum contenſio ſublimis, dolens, tympanitica, etiam interdiu per intervalla delirium. Seceſſus eo nychthemero triginta tres, ſpontanei, cum ingente virium jactura, & lingua ſicceſcente.

Die 29. Decembris injecto clyſtere ex lacte, terebinthina vitello ovi ſubacta, & theriaca Andromachi alvus conticuit. Duo alia veſicantia femoribus admota fuere, novique ſinapiſmi pedum plantis. Noctu ſopore detinebatur. Eo die, uti etiam.

Diebus 30. 31. ſopor, delirium, ſubdelirium. Pulſus creberrimi, humilesque. Alvus inſcio in lectum miſſa. Noctes diebus pejores.

1. Januarii mador univerſi corporis, delirium grave, aſſiduum. Duo veſicantia brachiis admovebantur.

2. Januarii delirium continuum, & ferox: riſus, clamor. Oculi protuberantes, ſuperciliosi, truces, immoti. Balbuties, vox rauca,

 floc-

ſloccorum collectio, & luſus manuum. Tendines ſalientes: pulſus celerrime, frequentiſſimeque, & inæqualiter micantes, humillimi, ſub exploratore digito evaneſcentes. Hucusque largæ extracti corticis peruviani doſes ingerebantur. Remedia, alimenta eo nychthemero, ori infuſa non deglutiebantur. Veſperi mador denuo totius corporis, & tuſſis orta eſt cum ſputo pauco, tenaci. Latum veſicans ad nucham applicabatur.

Ad hunc usque diem morbus identidem incrementa ſumſit. Hodie vitæ finem præſtolabantur, & jam futurum funus parabant.

3. Jan. mane quietius habuit, delirabat mitius, & interruptim: nulli manuum inconcinni motus. Lotium miſſurus matulam petiit. Summa debilitas: oblata denuo ſorbillabat: per vices obdormivit. Tuſſis cum ſputo tenaci, pituitoſo. Veſperi ſomnus profundus, tranquillus, cum reſpiratione bona, cum ſudore ea tota nocte profuſo, æquabili, univerſali, multum allevante, & pulſu paululum aſſurgente, ac vividiore.

Urinæ per totum morbi decurſum a naturalibus non multum abludebant, & nubeculam habebant in medio ſuſpenſam. Lingua plerumque humida erat, abdomen molle, & reſpiratio laudabilis.

4. Jan. mane mens rediit: præſentes agnovit, tranquillus, & absque caloribus diem exegit. Noctu pluſculum incaluit: ſomnus, inſomnia terrifica.

Ex eo tempore mente conſtare perſeveravit. Noctes tamen nondum omnino placidæ inter inſomnia, & ſudatiunculas exigebantur. Prima vice denuo aliquid alimenti expetebatur.

Quo

Quo tempore ſenſuum externorum facultas omnis ſuſpenſa fuerat, mente longiſſimum emota, quidam tamen ſenſuum internorum mirum quantum viguere. Anno enim integro propemodum evoluto, cum hæcce ex adverſariis depromerem, eorundem ad amuſſim, & vividiſſime adhucdum recordor, circa quæ ludibunda tunc mens ferebatur.

Senſuum internorum vigor, externis prorſus abolitis.

Cum agnoſcere circumſtantes inciperem, viſu, audituve, ac cæteris ſenſibus externis quaſi repente reſtitutis, imagines ſub delirio conceptas non dimiſi, & opus, quod delirans volutabam, perficere integris etiam ſenſibus externis, & diu, adlaborabam. Ea res effecit, ut, etſi mente gauderem jam non amplius alienata, & mei, meorumque eſſem probe conſcius, nihilominus adhuc deſipere multis viſus ſim, quod dicerem quædum iis rebus conſentanea, quæ nuper delirans conceperam.

Multo examine poſtmodum, varioque ratiocinio convaleſcens uſus ſum, ut evincam, opusne antea a me ſano agitatum, an vero mentis, vi morbi emotæ, figmentum fuerit, quod adeo lucidam ſui ideam, eamque non abſonam reliquiſſet.

A die quarta Januarii ad finem ferme menſis pryalismus diu, noctuque copioſus adfuit, irritatio faucium aſſidua ab affluxu humorum ſalivalium perpetuo, inde tuſſis moleſta, thorace bono, ac indolente.

Vertigo, & animi deliquia erectum ſedere non permiſerunt.

Objecta omnia ad perpendiculum erecta, ita inclinata pronaque adparebant, quaſi in meum caput ruitura. Quæve cum horizonte παραλλήλως excurrebant, mihi videbantur elevari, atque ita

Viſus depravatus in reconvaleſcente.

aſſur-

aſſurgere, ut, qui per cubiculum ambulabant, per planum acclive aſcendere viderentur, mihique, ipſe viſus ſum plano pavimento incidens per acclivia gradiri.

Prout longius a morbo provehebar, ita hoc viſus vitium corrigi, & corporis firmari vires, meque reſpicere vultu denuo propitio cœpit

Ὑγίεια πρεσβίστα μακάρων. (*)

Die 1. Martii 1777, denuo Noſocomii curam reſumſi.

Ex eo tempore illæſa hucuſque ſanitate fruor, multoque meliori, quam illa fuerat morbum huncce prægreſſa.

Corticis peruviani, & veſicantium hic potior uſus fuit: camphora enim & vitrioli ſpiritu diutius uti ob ingentem ardorem, in abdomine ex utroque remedio natum, non licuit.

Curam quoque confirmatoriam idem cortex abſolvit.

Nullus dubito, quin hanc ruinam non infortunate a meo capite propulſaſſem, ſi fomitem futuri incendii tempeſtiva emeſi ſubmoviſſem, eo videlicet tempore, cum acres ructus, & oris amaror intenſus, diuturna ventriculi infirmitas, morbique gaſtrici prægreſſi me præmonuerant. At orto jam incendio, diffuſoque, ſerum erat vanumque conſilium, extinguere velle ſcintillam malorum cauſam.

Id unum ſupererat, efficaci condimento ſepticam morbi vim coercere, & admotis veſicantium ſtimulis torporem fibrarum excutere, donec ſubacta materies e corpore fugam capeſſeret.

Inter bis mille ægros morbis acutis detentos mul-

(*) Sanitas divarum princeps.

nullum in Noſocomio habui ecce inter ſymptomata denuo eluctatum; at mortuos non paucos absque tanto pravarum rerum concurſu.

Nemo non *malignam* hanc meam febrim appellabit, atque in eo omnes conſenſuros arbitror, etſi aliis alia ſit malignitatis notio, eaque de re multum diſceptetur. Febris malignæ varia notatio.

Plures febrium hiſtorias collegi, quas, qui legerint, unanimi calculo *malignas* dicent, utut ipſæ hæ febres adeo inter ſe differant, ut nulla hucusque ſtabilita malignitatis definitio eas omnes complectatur.

Vidi enim malignas febres, quæ pulſibus, & urina, & calore bonis, ac naturalibus, ægrotanti nihilominus non prævifam perniciem intentarunt.

Fuere, queis febris e contrario evidens, & magna exarſit, illaque fallax bonitas omnino defuit. Hos æque ac illos *maligna* febri detentos fuiſſe & morbi curſus, & finis docuit.

Febres quasdam obſervavi ſenſim ſine ſenſu obrepentes, ægrotis diutius erectis, & ambulantibus. Hæ tandem ingraveſcebant, & longius provectæ malignitatem indubiam exhibuere.

Aliæ vero quaſi ex compoſito utcunque antea ſanos viſos adoriebantur cum magna, & ſubita virium jactura.

Nec una, eademque ſemper in omni maligna febre animi conditio erat. Habuimus incurios, indifferentes; ſed & meticuloſos, de valetudine recuperanda mire anxios, & ſpe dejectos: quosdam anteactorum ad amuſſim conſcios, & memoria vel in minutiſſimis fida; alios vero hebetes, oblivioſos, & mente dubia.

Multas alias *malignæ* febris anomalias vidi, quas, qui

qui non videre, malignitatis ideam inadæquatam, & mancam efformarunt.

Quiscunque ſymptomatum variorum luſus fuerat, neminem tamen tot inter ægros unquam deprehendi, quem ſaniſſimum antea, & nihil præſentientem ſubito maligna febris ſubverterat.

Non defuere quidam, qui ſe antea exacte ſanos dicebant; ſed rem ſcrupuloſius perſecutus, futuri morbi molimina, at neglecta, & ab ægro ipſomet aut rerum ſuarum incurio, aut negociis diſtracto non animadverſa, priuſquam impetum facerent repentinum & magnum, inſtituto curatiori examine facile collegi.

De cauſis febris malignæ.

Nullum etiam habuimus maligne ægrotantem, qui cauſam non haberet illuſtrem, & luculentam.

Quotquot maligne decubuere, primas vias varia ratione vitiatas, & ſigna ſordium ſyſtematis gaſtrici indubitata & ante morbi eruptionem, & ſub ejusdem initia ad unum omnes exhibuere: atque hæc erat illa *evidens atque omnibus adplicata* morbi cauſa.

Cauſam hanc *evidentem* dixi, etſi ejusdem agendi modus nos fugiat.

Hinc febres malignæ à nobis viſæ non absque nota quidem cauſa fuere, ſed abſque nota evidentis cauſæ agendi ratione.

Febres bilioſæ, putridæ, pituitoſæ, quomodo fiant malignæ.

Febres bilioſas putridasque, per ſe utique minime malignas, varia tamen ratione in malignisſimas obſervavi converſas, aut neglectu remediorum, aut methodo calefaciente adhibita, aut venæ ſectionibus intempeſtivis, & antiphlogiſtico apparatu.

Pauciſſimæ id genus febres occurrebant, quæ primo tantum nychthemero ſub bilioſarum, aut putri-

putridarum familia continebantur, eoque elapſo ſua ſponte in malignas ſubito tranſibant.

Quæ lentæ, nervoſæ, bilioſæ, putridæ, exanthemate miliari, petechiali, eryſipelatoſo ſtipatæ in initio, progreſſuque fuere, ſubinde in malignas vidimus dicta ratione commutatas.

Infauſta benignæ febris in malignam commutatio apte, & efficaciter prævertebatur, dummodo ægri, priusquam illa contingeret, ſeſe nobis commiſerant.

Duas meteorismi ſpecies in febribus bilioſis, putridis, aut harum prava ſobole, malignis videlicet, deprehendi, lethalem unam, ubi emortua inteſtina, utpote quæ præ cæteris viſceribus putredinis vim in hiſce febribus experiuntur, multo aëre, quem putrida fæx dimittit, diſtenduntur, diſtentaque abdomen tympanitice attollunt, ventre reſoluto, & profluente. Atque hoc alvi profluvium finire tragœdiam ſolebat. De duplici meteoriſmo.

Altera ſpecies meteorismi ſanationem non raro, admittit, ubi multa colluvies intra ſublime abdomen collecta moveri incipit, atque exitum tumultuarie molitur, interaneis integris quidem, at imbecillis.

Atque hic alter meteorismus in hac mea febre obſervabatur. Qua ratione tædioſos ejusmodi alvi fluxus præverterim, aut præſentes compreſſerim in meis ægris, inferius dicam.

Nulla dari pathognomica malignitatis ſigna, nullamque ejus definitionem condi poſſe, nec ullam exiſtere *malignam* febrim, quæ ſpecifica ſit, & ſui generis, collectæ febrium malignarum hiſtoriæ evincunt. Hinc alia habetur in alio homine malignæ febricitante malignitatis ratio, & notio alia; alius etiam in aliis medendi mo- Febris maligna non eſt ſpecifica, & ſui generis. Sed alia eſt in alio malignitas.

modus : ſua cuivis peculiaris malignitas eſt, ſuaque methodus therapeutica. Sed ea de re alibi explicatius diſſeram.

CAPUT III.

MARTIUS.

Martii deſcriptio.

DIES primi humidi valde, & nubibus triſtes : at nives, pluviæque raræ. Ab octavo menſis die tempeſtas ſerena magis, & ſicca. Ab undecima denuo nubes confertæ, madore multo graves ad 25. usque menſis diem, ventis validisſimis, pluviisque, nive, grandineque fœtis, & propemodum continuis. Ab eo die ſerenitas amœniſſima, εὐδία, nebulæ paucæ, matutinæ, ſine vento. Ultimo nubes ſlante Borea acute gelido ſucceſſere.

Die 7. Martii frigus maximum — 0. 1. gr.

Die 29. ejuſdem calor maximus. + 0. 16. gr.

Medius atmoſphæræ calor. + 0. $5\frac{1}{2}$ gr.

Die 24. Martii altiſſima barometri ſtatio. 28. poll. 4. lin.

Die 12. Martii ejus infima ſtatio. 27 poll. 4. l.

Major hunc menſem ſalubritas, quam elapſos commendabat. Morbi univerſim perpauci, nec valde acuti.

Rheuma varium, ejusque cura.

Hos inter frequentius obvenerunt iſchiades, lumbaginesque magis ſolito rebelles, & pertinaces. Primas, quæ ſe obtulerant, miſſione ſanguinis, & lato veſicante ad loca dolentia adplicato-

cato tentabam. At utut ſanguis eductus cruſtam phlogiſticam, eamque craſſam exhiberet, nullum tamen, aut perquam exiguum, levamen phlebotomio ægris tulit, nullum etiam admotæ cantharides, quas in inflammatorio rheumatismo lumborum, artuum, thoracis, quaſi ſpecificas priori anno ſæpiſſime demirabar. Verum ſerius conſtabat, me rheuma non inflammatorium pro inflammatorio habuiſſe, & anni tempore frigidiuſculo, & educto phlogiſtico ſanguine, ac morbis hucusque potiſſimum inflammatoriis deceptum.

Hæc rheumata originis gaſtricæ fuerant, & ſordium ventriculi progenies, absque multis quidem amareſcentis ſaburræ ſignis, quibusdam tamen. Caſu medelam detexi, cum in iſchiade id genus rebelli ſulphur auratum alterandi ſcopo exhiberem. Vomuit æger præter meam voluntatem, rejectaque multa bile, etſi ejus vix aliqua, eaque dubia ſigna præ ſe ferret, & ſanguinem antea eductum cruſta craſſiſſima tegeret, mox egregie allevabatur, emeſique dein denuo repetita ſanabatur. Rheuma originis gaſtricæ.

Poſtea pluribus conſimili morbo vexatis & efficatius, & celerius profui, caſu fortuito monſtrante viam.

Subinde omiſſo vomitorio purgantibus uſus ſum repetitis, & variis. Verum longa curatio fuit, & laborioſa, miſſaque multa ambage vomitoria reſumſi.

Perquam paucis dolor leviſſimus reſtabat, articulorum expeditiores motus impediens, utut emetico repurgatis, & repetitim. Has dolorum reliquias veſicans ipſi dolenti loco impoſitum, quod initio non profuerat, profligavit.

Febris catarrhalis, quæ ultima menſis elapſi tem- Febris catarrha-

lis menſis Martii. tempora notabat, in menſem Martium proferebatur, & præ cæteris morbis frequens comparebat. Verumtamen remiſſior febris erat, & in quibusdam perobſcura. Mitius multo, & plerumque erecti ægrotabant, ſed diutius. Fœminas præ Viris hæc tuſſis ſpecies affecit. Febricula exigua, errabunda plerosque tenuit, quosdam nulla. Lingua omnibus albida, mucoſaque fuit, & multa dentibus ſordities inhæſit. Tuſſitatio moleſta, nocturna, & in initio ſicca: dein pauca, mucoſa, tandem plura, & puriformia extuſſitabant; nonnunquam etiam ſanguis non dilutus, nec florens, neque ſpumans educebatur. Senſum preſſionis ad ſternum, & ſcrobiculum omnes habuere, & abdominis ægrotantis ſigna, anorexiam, oris amaritiem, borborygmos, & ventrem aut exſiccatum, aut pauca, fœtidiſſimaque, & crebro reddentem.

Inter fœminas frequens.

Et inter quosdam opifices. Inter Viros, ſartores, ſutores, textores, atque id genus homines hac tuſſi frequentius laborabant, eaque præ aliis cruenta.

Neglecta tuſſis compagem pulmonum multum labefactabat, & phthyſin mentiebatur.

Ejus cura. Curam a phlebotomia exorſi ſimus, una, duabus, prout ægri conditio poſcebat; tum ventrem crebro enemate ſollicitavimus, iis præcipue, qui cruenta ſputabant: tandem purgantia eccoprotica, mannata per epicraſin dedimus. Purgato abdomine, & ſanguinis per id circuitu liberiore effecto, atque alvo moderate fluente vim morbi, humoresque copioſius intra pectus irruentes avocabamus, miteſcente cruenta tuſſi.

Sub morbi finem, aut ubi is neglectus phthyſin præſeferebat, decoctum lichenis islandici, & radicis polygalæ amaræ auxilio fuit.

Mutatio materiei. *Pleuritica* Januarii labes Februario menſe in catar-

catarrhoſam, hæcque menſe Martio in pituitoſam pulmonum diatheſin, cujus portio etiam ad abdomen regurgitabat, deſiiſſe videbatur. morbifica juxta anni tempus.

Sub menſis finem materies, quæ hucusque catarrhalem febrim genuit, ſolosque ferme initio pulmones, quos afficeret, tandem & una abdomen ſelegit, diffundi magis viſa eſt, perque univerſum corpus diſpenſari, & ejusdem petere ſuperficiem: hæc ſubinde miliaribus, & ſcarlatina effloruit.

Hoc menſe perquam rarus emeticorum uſus erat, major multo purgantium, at blandiorum, & vicibus repetitis. Neque illud moleſtiſſimum alvi profluvium experiebar hac tempeſtate, quod æſtate, autumno, & hyemis initio vel ſponte, vel a purgante utut leniſſimo excitabatur, difficillime comprimendum, & diuturnum. Quæ remedia fuerint hoc menſe frequentiora.

CAPUT IV.

APRILIS.

EXORDIUM menſis erat ſerenum, ſiccum, ventisque aſperatum peracutis. A quinto ad undecimum usque nives tenues, & ſparſim, item nebulæ, multusque, & frigidus humor, intercurrente ſubinde ſuperficiaria congelatione ab aſperioris Boreæ flatu. Aprilis deſcriptio.

Poſt mitefcentibus paulatim ventris ſerenitas rediit, calore indies aucto, attamen haud ſupramodum. Circa 24. aura denuo refrigeſcere, & humectari cœpit: at ultimis menſis diebus reſiccata iterum moderate incaluit.

Die 7. Aprilis calor minimus + 0. 2. gr.

Die 23. Aprilis calor maximus + 0. 16. gr.

Calor medius + 0. $8\frac{1}{4}$ gr.

Die 11. Aprilis altiſſima Barometri ſtatio 28. poll. 3. l.

Die 18. Aprilis ſtatio infima 27. poll. 3. l.

Morborum major hoc menſe varietas, major & numerus fuit.

Quænam materies hoc menſe fuerit dominata.

Materies pituitoſa, quæ menſe Martio pulmones, & abdomen obſederat, hoc menſe ſua ſede dimota, & mobilior effecta, diverſos homines diverſimode affecit, prout in unoquoque vel hanc, vel illam partem magis idoneam offenderat, cui ſeſe affigeret peculiarius.

Ab eadem materie variæ febres ortæ ſunt

Hinc una, eademque pituitoſa veris materies febres & duratione, & intenſione, & efflorescentiis, & doloribus variarum partium variis multum ab ſe invicem differentes produxit.

Febris ſcarlatinoſa maxime pueros arripuit, non raro etiam adultos, ſexum potiſſimum ſequiorem, puellas imbecillas, & irregularibus uſas catameniis. Gravis ſubinde angina hanc febrim comitabatur.

ſcarlatinoſæ.

Angina etiam abſque hoc exanthemate frequens fuit, ſed non abſque febre ſcarlatinoſam æmulante, tonſillis, & uvula mirum tumentibus, abolitaque omni plerumque deglutiendi facultate, & faucibus tenaciſſimo, copioſoque glutine ſupra modum refertis.

catarrhoſæ.

Febris catarrhoſa nihilominus non omnino hoc menſe ſiluit, ſed quandam hoc tempore mutationem eſt paſſa. Tuſſis præcipue noctem infeſtabat. Reſpiratio impeditior cum ſenſu oppreſſionis. Dolor dilacerans, & pungens alterutrum, vel & utrumque latus thoracis per amplum ſpatium occupabat, diffuſus ſubinde ad artus

tus inferos, ſuperosque, & noctu intenſior. Ardor ſternum omne tenebat. Lingua ſordida, oris amarities, cardialgia, & mictus ardens fere omnibus fuit, perſtrictumque vago, & leviculo horrore corpus quaſi ab auræ frigidioris afflatu. Detracta, aut etiam non detracta, prout è re viſum fuerat, in initio ſanguinis non magna copia, multo ſolvente potu, & ſale medio corpora replevimus, & ipecacuanha demum iterum, iterumque propinata movimus emeſin eventu fortunato.

Opificibus, & artificibus illis, qui inter exiguas inſpirationes, & exſpirationes corpore inclinato ſedentariam, motusque expertem vitam agunt, hæc tuſſis haud raro ſanguinem excuſſit. Eandem & ſanguinem ſpurantibus curationem adhibebamus, ſolventem videlicet in initio, & demum evacuantem. Vomitum quibusdam hoc menſe movimus, plerisque ſolam alvum. Certe hanc ſpeciem cruenti ſputi tuto, celeriterque vomitorium compreſſit, dummodo corpori ingerebatur ad vomendum apto effecto, & ſolventibus repleto. Sed & elapſi menſis methodum multis adplicabamus eccoproticam, & per epicraſin purgantem. Quædam ſpecies cruentæ tuſſis.

Quemadmodum *febris catarrhoſa* adultos, viros præcipue, & robuſtioris compagis fœminas invaſit, ſic *tuſſis convulſiva* ætatem teneram, & irritabiles, multoque phlegmate reduntantes fœmellas. Eandem, ſi rei caput ſpectes, medicinam hæc tuſſis puerorum expetiit, quam catarrhus adultorum, eademque eſſe cum illo ægritudo videbatur, ſolaque, & accidentali modificatione differre. Tuſſis convulſiva.

Febris rheumatica multorum articulos, pedum, manuum, digitorum, genua, lumbos &c. dolore lacerante, noctu intenſius ſæviente, vel & car- Febris rheumatica.

carnes inter articulos ſitos multum torſit, eﬄoreſcentiis ſubinde miliformibus ſtipata, albis, rubris, aut utrisque invicem commixtis. Pone loca dolentia copioſior plerumque eruptio fuit, eaque quibusdam lenire dolores videbatur. Rheumaticam hanc febrim, ſive *ſimplex* ea fuerat, ſeu *miliaris*, præmiſſa ſubinde phlebotomia, multo ſolvente, ſalinoque potu, ſubjuncto ſerius, & non raro repetito vomitorio aggrediebamur. Peracta emeſi alvum moderate fluere expediebat. Ita multos ſanavimus, & quos iſta ratione febris quidem, attamen nondum omnis artuum dolor deſeruerat, veſicantia quotidie, vel alternis diebus adplicata, epidermide relicta, & remedia alterantia, diaphoreticave a dolorum reliquiis liberarunt.

Febris anginoſa. *Febris anginoſa* ſubinde ſimplex fuit, non raro vero, quemadmodum antea dictum, exanthemate ſcarlatino ægros infecit.

Uſus veſicantium in hac angina. Ablatam deglutiendi facultatem veſicans amplum externo gutturi ita oppoſitum, ut inter utramque emplaſtri extremam oram ſola nucha interjaceret, paucis horis reſtituit. Plerumque miſſionem ſanguinis præmiſimus.

Diſcutiente decocto, cui mel roſatum, & ſal ammoniacus admiſta fuerant, fauces eluebantur, prodeunte magna ductiliſſimæ pituitæ quantitate, ægrove allevato. Dein alvum, ſubinde & vomitum ciebamus blande, & per epicraſin, & diu.

Quidam anginoſorum ad nos venerunt miſſo jam ſæpius, & multo ſanguine, cataplasmate, & gargarismate emoliente uſi continuo, verum absque levamine, tonſillis indies tumidioribus, & deglutitione a biduo prorſus ablata. Hos admotum veſicans cito, & eﬃcaciter curavit.

Hinc

Hinc emollientium gutturi, faucibusque applicandorum, & liberioris, repetitæve ſæpius phlebotomiæ uſus vix ullus hic nobis fuerat, ſed veſicantium multus.

Ægri hac methodo & citius convaluere, & absque tanta ſanguinis impenſa.

Scarlatinæ febri ſolventia mitiora, ſalinaque profuere, lenis dein vomitio, ac frequens, & alvus facilis, modiceque fluens. His omnibus præmiſſa ſubinde phlebotomia eſt, ſed parca. Morbo jam multum cicurato, & fracto, diaphoreſis oriri ſalutaris ſolebat. Hanc admotum alicubi veſicans utiliter promovit, &, ſi quid dolorum aut artus oberraret, aut ubicunque figeretur, hac criſi cutanea diſcuſſum fuit. Cura febris ſcarlatinoſæ.

Febres haſce eadem omnes felicitate, & eodem anni tempore, eademque etiam methodo conſanatas, deduximus ab eadem quoque cauſa.

Circa medium Aprilem lenta, nervoſa febris, quæ menſis initio exorta eſt, diſpergi latius cœpit. En ejusdem imaginem, ut ea nobis hoc anno obvenerat.

Febris lenta nervoſa menſe Aprili ad medium usque Majum 1777 obſervata.

Fœminæ, hasque inter, imbecilliores, pauperiores, chloroticæ præ aliis ægrotarunt. Quasdam, ob chirurgicum quemdam morbum in Noſocomium illatas, eadem hæc febris præter exſpectationem corripuit. Febris lentæ nervoſæ hoc vere graſſantis deſcriptio.

Primordia febris obſcura fuere, & a ſolenni incohantium febricularum more non aliena. Febri-

briles motus aſſidui, nunc pluſculum elatiores, nunc vero depreſſiores nullam temporis legem obſervarunt. Non raro ægrotum apyreton dixiſſes, ſi ex pulſu, & corporis contrectati calore, & urinis, utpote, aut ex toto, aut propemodum naturalibus, febrim æſtimaſſes. Horripilatio levis, vaga. Sudatiunculæ plerisque fuerunt, quibusdam vero cutis aruit, ſquallida, imperſpirabilis, & ſcabra. Lingua glabra, glutine veluti ſcriniariorum obducta, ſubinde pura, ſec ſicceſſens, prærubra, aut modice albicans, reſiccata, arida, fiſſa, aduſta: anorexia, guſtus aut amaricans, aut nullus: nulla ſitis: rubor faciei, genarumque, & εὐχροία. At oris, naſique omnis ambitus cum virore flaveſcens: dolores artuum quaſi rheumatici, perque vices, noctu graviores, dilacerantes, trahentes, & ſubinde formicationis in artubus ſenſatio, ardor ventriculi, abdominis, thoracis, vel ſterni, vel lateris alterutrius, utriusque: iſchias: lumbago: ſenſus confuſi: aurium tinnitus, ſuſurri: tardi: ſtupidi: delirium nocturnum, mite, taciturnum: cophoſis: animi indifferentia: capitis plumbeam gravitatem, ejusque levandi impotentiam, & erumpentes quaſi igneos calores ex fronte, atque oculis querebantur, etſi non calerent præter morem, ſi quando manum admoveres. Nonnulli ſolos artuum dolores incuſabant, cætera bene ſe habere aſſerebant. Tuſſis, veſpertina, nocturna, ſicca primo, dein ſputa extundens craſſa, ductilia, albida, vireſcentia. Abdomen plerisque modice intumuit, doluitque & contrectatum, & inter tuſſiendum: quibusdam tympanitice tendebatur. Atque hæc communiora ſymptomata fuerunt.

Multis diebus, & ſeptimanis hæc rerum conditio

ditio perſtabat, ſibi ſemper ſimilis, ejusdemque tenoris, & abſque notabili ſymptomatum vel acceſſione, vel decremento.

Pauciſſimi fuerant, queis levior nervoſa febris die ſexto, ſeptimo, octavo, & conſequentibus, oborta larga, & continuata diaphoreſi, & ſub auroram auctiori ſolvebatur.

Peculiaria quidam ſymptomata experiebantur, & forte varia. Quibusdam enim alvus continuo fluebat, quin æger inde aut melius haberet, aut multo pejus, niſi nimium flueret, & pluribus ſeptimanis, quæ res tunc vires convulſit. Diarrhœa ejusmodi diuturna, quæ carnes abſumſerat, & vitæ vim, puellas præ cæteris, & in hiſce τας χλοϱωτεϱας vexabat, arte plerumque ſuperior, ſeu dato mature vomitorio eam prævertere volueramus, ſeu eandem jam præſentem invigorantibus, roborantibus, adſtringentibus, opiatis inhibere, ſive ſtimulum irritantem mucilagine enervare. Vomitorium qualecunque, ventre in hanc diarrhœam jam proclivi, purgantis vices obiit, & quem præoccupare fluxum debuerat, invitavit, præſentemque adauxit. Invigorantia, adſtringentia, opiata nil profecerunt, utpote citius e ventre dilapſa, quam ſuas exerere vires potuerant. Periere plures inter aſſiduos id genus ſeceſſus, & paucæ ſervatæ ſunt, vino, infuſo-decocto radicis arnicæ, decocto corticis peruviani, veſicantibus, omni alterno vel & tertio die adplicatis, ad loca varia corporis, epidermide relicta. Noveramus cantharidibus cutaneam excretionem augeri, renalem vero, alvinamque imminui.

Diarrhœa moleſta huic febri ſubinde jungebatur.

Ejus diarrhœæ curatio.

Verum & hac ratione non niſi laborioſe, & ſero eluctabantur: puſillas virium reliquias, cutem areſcentem, anſerinam, & abſumta mu-

ſculari carne circa oſſa contractam, ac obambulans ſceleton e graviſſimo morbo reportabant: eodem defunctæ languebant per menſes plures, in eundemque ex facili relabebantur, inde non amplius emerſuræ.

Cæterum nemo facile ob eam febrim ſatis occubuit, niſi infauſto hoc alvi fluxu e medio ſublatus.

Fauces, quibusdam intenſius rubebant, absque tumore plerumque, dolebantque, cum deglutirent. Labia, & omnem internam oris ſuperficiem puſtulæ miliformes occuparunt, quæ paulo poſt ſubſederant, in minutula, cinereaque ulcuſcula commutatæ. Has, ne ulterius ſerpant, collutoriis ſubadſtringentibus, auſteris, & antiſepticis cohibebamus. Infuſum foliorum ſalviæ, cui aluminis pauxillum commiſcebamus, huic fini plerumque ſatisfecit. Angina gravior veſicanti ceſſit.

Eruptio miliaris in febre lenta nervoſa.

Nonnullis, etſi perpaucis eruptio miliaris prodiit, alba plerumque, rarius rubra, his parca, illis conferta incerto tempore, nec iisdem ubique in locis, & ſubinde cum ægritudinis levamine. Eo vero in caſu levari morbus hac eruptione videbatur, ubi ea ſerius fiebat, & ventriculo, ventreque repurgato, & non coacta, ac inter ſudores ſpontaneos, largos, protractos.

Vomitionum ſpontanearum utilitas.

Subinde vomitus ſuapte acceſſit, parcus, pituitoſus, frequentes, mirifice recreans, refrigerans, quive caput mox allevabat, fallaci εὐχροιᾳ faciei in pallorem ſalutarem converſa, & diſparente rubedine oculorum.

Quidam hoc modo quotidie vomitarunt. Hi, ſi forte vomitio tardarat, rubere, æſtuare, eſſe implacidi, & ſenſibus confundi. Vomitio

initio ſponte ſubſecuta miraculi inſtar quietem illico reduxit, ſuſpenſa febre. Hac criſi quotidie ſæpius recurrente, & diebus compluribus, vix ullo cum diſcrimine, nec diu ægrotarunt: verum paucis hac ſorte potiri contigit.

Quicunque febrilis morbus hac tempeſtate occurrerat, conſtitutionis vulgatæ vitium, coloremque traxit, atque ad indolem epidemicæ nervoſæ febris (ni eam *phlegmaticam*, ſeu *pituitoſam*, vel & *lymphaticam* potius, quam *nervoſam* compellare malueris) acceſſit. Omnes morbi febriles indolem epidemici ſequebantur.

Non omnibus, qui dicta ratione ex verna pituita febricitabant, ea febris meraca fuit, atque impermixta. Subinde enim ſanguis phlogoſin concepit, atque iterato, utiliterque in morbi initio eductus corium album, & tenax monſtravit. Hic febris *nervoſa* cum *inflammatoria* in fœdus coiit. Varia complicatio febris lentæ nervoſæ.

Aliis præcordia ſimul bile turgebant, hique gemina tunc febre conflictabantur, *nervoſa* nempe, & *bilioſa*, aut febre quadam hybrida, verno phlegmate, & bile parentibus prognata.

Variam quoque popularis ægritudinis in variis intenſionem, & quoſdam gradus vidimus. Subinde enim res intra ſolam diatheſin pituitoſam ſubſtitit, ut præter minutum deſiderium cibi, & pauculum languorem, hac oris mucum redundantem nil ab ordine conſueto aberraret. His ea diſpoſitio nunquam in febrim manifeſtam prorupit. & gradus varii.

Nonnunquam etiam febricula acceſſit: perfrixerunt, incalueruntque, at erecti, &, ſi ſeſe continuerant, haud diu.

Plures gravior febris ad eum fere modum afflixit, ut ſupra recenſui.

Rheumatiſmi febriles, non febriles, ſive carnes,

nes, ſive articulos, ſeu latera thoracis, pulmonemque vexarant, ex eadem veris pituita naſcebantur, & dominatis nervoſæ febris ſatellitium conſtituebant. Sub exitum menſis artus ſuperi præ inferis afficiebantur aut dolore, aut formicatione, aut anæſtheſia.

Differentia inter febrim fœminarum, & eam virorum.

In maribus alia aliquantum febris ratio, quam in fœminis fuit, horumque etiam multo minor ægrotantium numerus, quam fœmellarum, at febris elatior, caloribus intenſioribus, & pulſu duro, vibrante: ſanguinis iterato mittendi neceſſitas major, qui repoſitus cruſta pleuritica obtegebatur. Solventibus blandioribus, melle, aceto, & nitro uti diutius in viris oportebat, & ſero tandem emetico. Veſicantia his raro profuere, in initio nunquam, at ſubinde poſt emeſin, & morbo jam inclinato. Viris quoque velocius morbus decurrebat.

Erant illorum febres *pituitoſo-inflammatoriæ*, aut *inflammatorio-pituitoſæ* potius quam ſimplices *pituitoſæ*.

Verum tamen mares vidimus, quos corpus imbecillum fœminis exæquavit, harumque morbis ſubjecit.

Methodus medendæ febris lentæ nervoſæ varia erat.

Multiplici medendi methodo, inque omnem partem verſatili opus erat in ſananda febre quæ tam diverſas habebat intenſiones, modos, complicationes.

Hinc æger ſingulus remedia, eorum commiſtionem, & ſe invicem diverſimode excipientium ordinem, eumque in aliis alium docere debuerat. Nulla medicina omnibus, & ſingulis hac febre detentis ex æquo convenerat, vixque ullibi minor reperiundi remedii *ſpecifici*, aut methodi ſaltem ſtabilioris ſpes affulgebat.

& difficilis, ac

Ea morbi varietas difficillimam artem & hic, &

& multis aliis in caſibus reddit, utpote non concludendam intra cancellos definitos, atque indolis illius, ut regulis adſtringi certis, & evidentibus nequeat, quas intelligat quivis, intellectasque facile ſequatur. quam ob cauſam.

Vel clare deſcriptos canones in uſus non convertet, niſi in judicio ſubacto, & ſagaci, ac mira patientia polleat, & artis exercendæ occaſione multiplici non deſtituatur.

Ipſa faciliora artis præcepta, quæve deſignari exactius poſſunt, multa a medico exigunt, quæ is e ſua penu conferat, quo præceptiones hæ ſuis caſibus edaptentur.

Febrim ſinceram, atque αμιγη ſolventibus ſalinis aggreſſus ſum, iisque mitioribus, & multa antiphlogiſtica potione. Elapſo uno, alterove die, ſi a diuturniori febre, atque in corpore robuſtiore imminentis phlogoſeos metus fuerat, pauxillum ſanguinis detraxi.

Parcas ejusmodi phlebotomias periclitandi gratia ſæpe inſtitui, ut, quæ ſanguinis miſſi conditio, quodve levamen ſit, explorarem. Uſus phlebotomiarum in hac febre.

Fœminæ rarius phlebotomia indiguere.

Exactis aliquot diebus emeticum propinabatur, ut, quod abdomini inſederat, evacuaretur, &, quod vaſis altius implicabatur, iisdem extricaretur.

Vomitionum magna utilitas fuit, ſed multis ſolventibus præmiſſis, & corpore ad easdem parca ſubinde ſanguinis miſſione, & jugi potione emollito. & vomitoriorum at quo tempore.

Nihilominus evidentius allevabantur, queis ea vomito ſponte, & crebro contigit: evidentius quoque illi, qui menſibus æſtivis, & conſtitutione bilioſa, hauſto vomuerunt.

Peracta vomitu refractæ tartari emetici doſes, item alterantium.

ker-

kermes minerale, ſaliaque media profuere cum radicum graminis, & taraxaci ſaturato decocto.

& ſubinde veſicantium. Subinde & veſicantia admovebamus, omni alterno, tertiove die. Sed plagas veſicante tentatas relicta epidermide exſiccabamus: quippe animus ſolummodo nobis erat, attenuantem cantharidum vim intra humorum alveum immittere.

Si quid doloris fracta jam febre ſupererat, id etiam veſicans abſtulit.

Cum adverterem illos præ reliquis tolerabilem morbum experiri, queis ſponte, & quovis die ſæpius ventriculus ſubverteretur, rejecta ductili pituita, ipſemet arte conabar id efficere, quod natura medicatrix fecerat non coacta. Eum in finem aliquot grana radicis ipecacuanhæ medicamentis immiſcui, ut exiguas, & non tumultuarias vomitiones concitarem, quæve & viribus parcerent, & ægrum æque ſolarentur, ac illæ quorundam ſpontaneæ. Verum rariſſime hoc anno id aſſequebar, & ſubinde nec vomitus, nec alvus movebatur, ſed ægri ab alterante remedio incaluere, & cum diſcrimine, præcipue ubi morbo vigente id experimentum eſt captum. Hinc opus erat una, aut altera vice legitimam, magnamque vomitorii doſin exhibere, & commovendo inertis ventriculi phlegmati parem.

Quandonam, & quomodo hæc febris ſubinde malignitatem induerit. Pauci fuere, queis præter multam pituitam inſignis quoque ſolidorum imbecillitas erat, pituitoſæ moli ſubigendæ prorſus impar. Atque hi aut phlebotomiis vires fregerant, priusquam ad nos acceſſerant, aut easdem ad morbum attulerant jam antea dejectas. Succorum utut pravorum jacturam non tulerunt, & ejusmodi vacuare vomitorio, vel purgante, lethale fuerat. Labantem ſolidorum compagem tunc oportuerat

& hujus cortice peruviano firmare. Hos ſaturatam ejusdem

dem decoctum nonnunquam juvit: in pulverem vero tritus anxios, nauſeabundos, cardialgia affectos, & pronos in perniciosum alvi fluxum reddidit. Hoc etiam in caſu a ſalibus abſtinui. tunc malignitatis cura

Cæteri, queis multa quidem pituita infuit, at vis fibrarum viguit, cortice peruviano non indigebant, ſed expoſita ſuperius ratione ſanabantur, nullam morbi malignitatem experti.

Malignitatem acceſſiſſe tunc arbitrabamur, ubi moles pituitæ motrices ſolidorum vires vicit. Hæcque nobis erat in hoc morbo malignitatis notio.

Nulli dierum periodo adſtrictam hanc febrim vidi, qua appetente commotio orioertur, & morbi criſis. Nullo non tempore aliquid ex febre abſceſſit, ſed paſſibus ſuſpenſis, ac furtim. Nulla non via erat, per quam non aliquid materiei morbificæ ſecederet. Incerta morbi duratio.

Nullo non morbi tempore vomitorium dedi, ſi ejusmodi opus eſſe cognoveram.

Miliare exanthema, ſi quod forte proſtaret, adeo non retroceſſit, ut, abſoluta emeſi, ſudores manare levantes cœperint, & efflorеſcere cutis copioſus, & cum levamine.

In quibusdam tamen poſt emeſin vix ulla exanthemata comparebant: atque etiam hi allevabantur.

Exantlato morbo diutius languebant, in relapſum proni: convaleſcentia tarda, & remediorum præmunientium uſus perneceſſarius.

CA-

CAPUT V.

MAJUS.

Menſis Maji deſcriptio.

PRINCIPIUM menſis ad nonum uſque diem calore moderato, & ſicco incaluit. Inde nebula, nubes, tonitrua, raræque pluviæ per intervalla, & alternatim ad diem uſque tertium & decimum. Succeſſit frigus, ventusque creber, & validus. Die 22. incaleſcere cœlum denuo, ſiccarique vento raro, & miti cœpit.

Die 25. calor maximus. ┼ 0. $21\frac{1}{2}$ gr.

Die 15. calor minimus. ┼ 0. 8. gr.

Calor totius menſis medius. ┼ 0 $14\frac{1}{2}$. gr.

Die 22. ſtatio mercurii altiſſima. 28. poll. $1\frac{1}{2}$. poll.

Die 15. ejusdem maxima depreſſio. 27. poll. $4\frac{1}{4}$. l.

Iidem omnino morbi, ſed aucto forte numero usque ad medium huncce menſem conſpiciebantur, quos ultimum elapſi menſis dimidium vidit, anginoſa nempe febris, catarrhalis, ſcarlatina, miliaris, rheumatica.

Hoc menſe minus phlogoſeos plus pituitæ, & multa bilis. Rarior uſus phlebotomiæ, frequentior emeticorum

Id ſolum diſcriminis advertebatur, quod rarius inflammatio jungeretur, & bilis ſæpius: rarior quoque phlebotomia fuerit, & inſtituta minus profuerit: frequentior emeſis arte facta, & magis proficua: corium emiſſi ſanguinis minus obvium, & tenue, at meracior bilis, & copioſor.

Juvabantur emeticis, & ſolis non raro purgantibus.

Hinc febres plerumque fuere *bilioſo-pitutioſæ.*

Hoc

Hoc menſe non paucis abdomen per vices doluit, dolore colicam referente, alvo frequenti, torminoſa, teneſmoidea: parcæ tamen excretiones. Non appetierunt nauſeabundi, ore amaro. Febris exordium ab aliquot horarum valido horrore cœpit, calore ſecuto non magno, levibus horripilationibus interpolato, & febricula poſtea vix advertenda. Hi vel emeſi, vel emeto-catharſi, vel & ſolo ſubinde purgante curabantur. & purgantium.

Poſt medium menſem contrahi pituita cœpit, & augeſcere bilis, turgere, & vomitibus efferri ſpontaneis, ac quotidianis. Quidam absque vomitu tormina pertulere, ventre aut valde adſtricto, aut pauca, olidaque, & crebro dimittente. Omnibus errabunda febricula fuit, & artuum vagus dolor. Febres ſub finem menſis pituitoſo-bilioſæ, & bilioſæ fuerunt.

Febris *pituitoſa* priorum menſium ferme nunquam comparebat, & *bilioſo-pituitoſa* in *bilioſam*, inclinato menſe, convertebatur.

Convulſiva infantun tuſſis toto hoc menſe graſſabatur.

CAPUT VI.

JUNIUS.

AURA ſerena cum ſiccitatibus jam inde a 22. menſis proxime elapſi ad 19. usque præſentis menſis continuabatur, atque eminentius calebat. Junii menſis deſcriptio.

Vigeſima nubibus contriſtari: mox pluvioſum, frigidumque fieri cœlum occœpit, & editiores in vicinia montes tenui nive caneſcere.

25. Teporem, & ſiccitatem reduxit.

Coronidem menſi impoſuere amœnæ, tepidæque pluviæ, ruricolis gratæ.

Die 4. & 5. Jun. calor maximus —|— 0. 22. gr.

Die 26. ejuſdem minimus calor —|— 0. 9. gr.

Calor totius menſis medius fuit —|— 0. $17\frac{1}{3}$. gr.

Die 4. & 19. mercurii altiſſima ſtatio 28. poll. 2. l.

Die 10. ejuſdem ſtatio infima 27. poll. $6\frac{1}{2}$. l.

Febres bilioſæ. *Continuæ bilioſæ* vulgares erant, quarum quædam quavis veſpera levi cum frigore, quædam vero alternis ſolum diebus ſuas acceſſiones habuere. Multi ſponte vomuerunt, & bilioſa, atque hi mitius ægrotabant, & citius convaleſcebant.

& pleuritides bilioſæ menſis Junii. Aliquot hoc menſe *pleuritides*, & *peripneumoniæ bilioſæ* ſpectabantur, & quædam earum cum ſanguinis e pulmonibus rejectione.

Pleræque bilioſæ febres, atque etiam illæ, quæ thoracem peculiarius invaſerant, cum, & ſine ſanguinis ſputatione, remediis ſolventibus, ſalinisque, & mota pluries emeto-catharſi, in intermittentes abiverunt.

Pauciſſimæ fuerant originariæ intermittentes.

Febris bilioſæ in malignam converſio. Paucæ malignæ, & non niſi in iis obſervabantur, qui neglecta confirmatoria cura ſæpius in *bilioſam* dominantem relapſi ſunt.

Hujus hoc tempore malignitatis notio. Malignitatem tunc conſtituebat *bilioſa febris corpus jam antea ex prægreſſa æſtatis febre confractum denuo invadens*; ſeu *febris bilioſa cum inſigni ſolidorum imbecillitate, laxitateque ab eodem bilioſo vitio inducta.*

& cura. Hos *diuturniora* ſolventia, & emeſes *repetitæ* gravius proſternebant. Subverſo in initio ventriculo mox ad corticis peruviani decoctum, aut ad infuſo-decoctum radicis arnicæ confugere oportebat. Nec antiſeptica hæcce roborantia

ſine

ſine emeſi, nec hæc ſine illis ſola profuit.

Morbilli inter adultos frequentes fuerunt, atque in omnibus febris morbilloſa aliam ſibi ſociam junxit, æſtivam nempe, ſeu bilioſam.

Morbillorum,

Nullam morbillorum rationem habuimus, ſed omnem bilioſæ febris, cui ſoli, quidquid pravorum ſymptomatum advertebatur, debebamus, innocentibus morbillis.

Variolas ſola etiam bilioſa febris a curſu aſſueto dimovit, atque hanc ſolam gnaviter oppugnabamus variolarum ſeductricem.

& variolarum cum febre bilioſa complicatio.

Colicas quasdam bilioſas hoc menſe ſanavimus.

Colicæ bilioſæ.

Omnes puerperas æſtiva hæc febris arripuit.

In Hungaria quoque æſtate, & autumno puerperas quondam, præ reliquis, febribus videram bilioſis, remittentibus, intermittentibus, & bilioſis vomitibus, atque alvinis fluxibus laborare.

Febris puerperium inſequens per æſtatem fuit bilioſa.

Circa 20 hujus menſis primam hoc anno dyſenteriam ſanabamus pulvere radicis arnicæ, cui vomitorium præmiſimus.

Morborum bilioſorum difficilior, tardiorque in fœminis curatio fuit, & relapſus facilior: materies morbifica in iisdem tenacior, & curæ confirmatoriæ diutius protrahandæ major neceſſitas.

Dyſenteria ſub exitum menſis.

CAPUT VII.

JULIUS.

JULII menſis initia ventoſa, gelida, multisque madida pluviis fuerunt.

Menſis Julii conditio.

Die quarto ſubito magnus æſtus: inde calores, vento à ſeptentrionibus validius ſpirante, temperati.

Die octava nubila, frigidaque tempeſtas, & multum pluvioſa rediit: nulla ventorum quies, ſole rariſſimo, & cito diſparente ad decimam ſextam usque.

Inde ſerenitas, & aura calidior, quam circa vigeſimam tonitrua, imbres ventique per intervalla frigidiores denuo infeſtarunt.

Finis denuo cœlo ſereno incaluit.

Frigidus humor toto menſe prævaluit.

Die menſis 19 calor maximus + 0. 23 $\frac{1}{2}$ gr.

Die 16 calor minimus + 0. 10. gr.

Calor medius + 0. 13 $\frac{1}{3}$ gr.

Die 12. 13. 16. altiſſima barometri ſtatio 28 poll. 2. l.

Die 27. ejusdem ſtatio infima 27. poll. 5 $\frac{1}{2}$ l.

Varii & mirifici ejusdem febris æſtivæ luſus.

Febris bilioſa æſtatis hoc menſe variis ſymptomatibus ludere, & varias in hominibus variis afficere partes viſa eſt.

Hinc phrenitides, ophthalmiæ, parotides, ſtrumæ, anginæ, peripneumoniæ, pleuritides, hæmoptoë (quæ hoc menſe frequentior, quam aliis fuerat hujus anni temporibus) dolores rheumatici, tumoresque ad carpum, & genua: vomitiones item bilis ſpontaneæ, colicæ, diarrhœæ, dyſenteriæ, urinæ difficultates, febres continuæ, remittentes, intermittentes, petechiales, miliares, urticatæ, ſcarlatinæ, & paroxysmi hiſterici &c. graſſabantur.

Mirifica varietas ſymptomatum, ſed ab unica verſipelli bile profecta!

at curatio eadem.

Una, eademque fere methodus *uni, atque eidem cauſæ* opponebatur, quiscunque fuerat ſymptomatum variantium luſus.

Sociabilis genius dominan-

Epidemica febris multis aliis ægritudinibus jungebatur, morbillis, variolis, puerperio, vulneribus, ulceribus, lui venereæ, &c.

Vi-

Vidimus quosdam ab alto delapſos, & encephali turbatas functiones: re perquiſita æſtivam febrim deprehendimus, quæ ita delapſos apprehenderat. tis bilioſa febris, ejusque varia complicatio.

Hi ſolventibus, & vomitione repetita, bilioſa, ſtudio concitata, a ſopore, delirio, febri ſanabantur.

Hanc rem momenti magni arbitror, cum quemdam deceptum noverim, qui hominis æſtate quadam, & tempore bilioſo ex alto decidentis, delirantis, ſoporoſi, convulſi caput trepano fruſtra perforavit. Mortuus æger plumbea inteſtina, diſtentiſſimam bile veſiculam, & hepar bile ſuffuſum exhibuit, at in encephalo ne hilum quidem.

Difficillimum ſæpe numero judico, idiopathicas encephali affectiones a ſympaticis in ejusmodi caſu dijudicare.

CAPUT VIII.

AUGUSTUS.

ÆSTUS cuncta percoquens, ſiccitas, ſerenum ad usque medium menſem excelluit. At inde per diem unum largæ pluviæ, & toto reſiduo menſe aura frigidior, mane præcipue, ac veſperi, & incaute veſtitos facile lædens: diesque jam nubili, jam ſereni: noctes nebuloſæ, autumni æmulæ. Pluviæ raræ, ſparſim: venti. Ultima menſis imbroſa. Status menſis Auguſti.

Die 10. Auguſti calor atmoſphæræ maximus in therm. Reaum. 25. gr.

Die 23. calor minimus $11\frac{1}{2}$. gr.

Calor medius $19\frac{1}{3}$. gr.

Altiſſima barometri ſtatio die 26. & 27. Aug. fuit 28. poll. 3. lin.

Infima vero die 31. Aug. 27. poll. 7. l.

Febris bilioſa. Febres bilioſæ continuæ, & remittentes varia periodo obſervabantur, numero non plurimæ, ſed ob materiæ morbificæ lentorem & potentioribus ſolventibus, & vomitione frequentiori indigentes, & diutius protractæ. Dyſenteriæ pauciores, quam plerisque aliis æſtatibus. Poſt medium menſem manuum, aut pedum tumores dolentiſſimi, dolore verſus veſperam præcipue, noctuque increſcente, absque rubore, attactum difficulter parentes, & relicto comprimentis digiti veſtigio. Vix ulla ex febre æſtiva funera.

Œdemata veſperi, noctuve magis dolentia.

Præteritæ æſtatis cum æſtate hujus anni comparatio. Æſtas hujus anni eosdem, ſi genium eorum, ac methodum medendi ſpectes, cum illa anni præteriti morbos tulit, numero ſolummodo, & duratione differentes. Quippe anni prioris æſtate, quam multo fervidiſſimam, & hac, quam agimus, tempeſtate ob urentiſſimos æſtus longe novimus ſuperiorem, numeroſi ex bile ægrotabant, eaque acerrima, mobili valde, & copioſa. Plurimos quoque eo tempore dyſenteria excruciavit.

Hac æſtate pauciores infirmabantur, ſed ſanabantur tardius.

C A-

CAPUT IX.

FEBRIS PUERPERARUM.

MORBUS æſtatis, epidemicus omnes, quotquot per eam tempeſtatem in noſtro Noſocomio pepererant, afflivit, quaſdam ſolummodo a primo limite ſalutavit, gravius proſtravit nullam. Eam rem non in miasma quoddam contagioſum refundebam, cum luculentas domi ſuæ morbi cauſas habuerit quævis, & ſenſibus ſubjectas.

Febris puerperarum cauſam habuit manifeſtam, bilioſum videlicet æſtatis vitium. non erat contagioſa.

Etiam hic meam conſuetudinem ſectabar, ut præter contagium varioloſum, morbilloſum, ſcabioſum, & venereum, nullum aliud facile admitterem, cum hi ſoli morborum quaſi per traducem propagentur. Quodſi enim & contagium febris petechialis, & miliaris, ac conſimilium detur, cur ii, qui diu, noctuve ægrotis in Noſocomio aſſiſtunt, cur infirmorum cuſtodes, qui ægrorum acute ut plurimum ægrotantium atmoſphæram inſpirando attrahunt, a morbis ſuorum, quibus inſerviunt, ægrorum, immunes manent, idque etiam per multos annos; aut ſaltem non frequentius, nec gravius afficiuntur, quam alii ſolent alibi degentes? novi equidem noxas halitibus putridis fœti aëris; novi ingentia commoda ampliorum cubilium, quæ recens indentidem, & ſiccus aër luſtrat: & maximam curam etiam noſmet eam in rem convertimus. Sed præter eorum, quos dixi, morborum contagia etiam alia dari, ut e. g. febris petechialis, aut miliaris, fomitem petechia-

Contagia quæ & quot? An febres exanthematicæ ſtricte ſint contagioſæ?

lem, aut miliarem etiam in alios transmittat, obſervationibus numeroſis non reſpondet.

An de contagio peſtis certo conſtet?

Qui ipſum *maligniſſimæ febris*, diræ nempe peſtis contagium negaret, & morbi graviſſimi cauſam ſtatueret popularem, omnibus quidem ex æquo adplicatam, ſed haud in omnibus efficacem, quamve ab anni tempore, & cœlo gravi, ac producendis morbis ſepticis præ multis aliis annis idoneo potius repeteret, quam e. g. a lanæ ſarcina, aut etiam ab epiſtola a locis quam maxime diſſitis, quos morbus premit, ad nos transmiſſa, paradoxon utique diceret, ſed quam luculenta cum veritate! quam utilem luctuoſis, quæ Superi longe removeant, temporibus ſententiam!

Digreſſio quædam ad contagium peſtilentiale

Is hujus opinionis argumenta vel ex ipſis peſtilitatis ſcriptoribus, iisque etiam aliter opinantibus depromeret nulli confutanda, niſi qui mirabilium, & procul remotorum amore abductus cauſas domeſticas contemneret, atque ante pedes poſitas.

Quodſi cuidam in hujus opinionis veritatem inquirere quondam libuerit, autores etiam non medicos utiliter conſulet, multaque vel in ſola Titi Livii hiſtoria reperiet eam ad rem pertinentia. En quorum in mentem modo venit: L. XXV. C. 26. Peſtis Syracuſana narratur: » Acceſſit & peſtilentia, commune malum, quod facile utrorumque animos averteret a belli conſiliis. Nam *tempore autumni*, & *locis natura gravibus*, multo tamen magis extra urbem, quam in urbe, *intolerandi vis æſtus* per utraque caſtra omnium ferme corpora movit. Et primo *temporis*, & *loci vitio* & ægri erant, & moriebantur. — Multo tamen major vis peſtis Pœnorum caſtra, quam Romana (diu circumſedendo Syracuſas cœlo,

lo, aquisque aſſueverant magis) affecerat. Ex hoſtium exercitu Siculi, ut primum videre *ex gravitate loci vulgari morbos*, in ſuas quisque propinquas urbes dilapſi ſunt. At Carthaginenſes, quibus nusquam receptus erat, cum ipſis ducibus Hippocrate, atque Hamilione ad internecionem omnes perierunt. Marcellus, ut tanta vis ingrueb*a*t mali, traduxerat in urbem ſuos: infirmaque corpora tecta, ac umbræ recreaverant. Multi tamen ex Romano exercitu eadem peſte abſumti ſunt. «

Mitius mulctabantur in urbe, urbibus propinquis, ſub tecto, & umbra, cum cauſis morbificis non occultis, ſed manifeſtis, non volatilibus, non ex longinquo petitis, ſed inquilinis ſeſe ſubtraherent.

Sed numne peſtis ipſa is morbus certo fuerat? Peſtem fuiſſe vel peſtilentiſſimam opportebat, ex qua exercitus Pœnorum *ad internecionem omnis* perierit.

L. V. C. 48. » Ante omnia obſidionis, bellique mala fames utrinque exercitum urgebat: Gallos peſtilentia etiam, quum loco jacente inter tumulos caſtra habentes, tum ab incendiis torrido, & vaporis pleno, cineremque, non pulverem modo ferente, quum quid venti motum eſſet. Quorum intolerantiſſima gens, humorique, ac frigori aſſueta, *cum æſtu, & angore* vexati, vulgatis velut in pecua morbis, morerentur, jam pigritia ſingulos ſepeliendi, promiſcue acervatos cumulos hominum urebant. »

Miasma peſtiferum capitolium vicinum loco ſublimi ſitum haud tetigit, ſed ſolos Gallos humiliora occupantes loca, quosve annonæ inopia preſſos æſtivus inſuper calor exuſſit, morbus confecit.

Eodem Libro C. 13. » Inſignis memoratur annus, hyeme gelida, ac nivoſa adeo, ut viæ clauſæ, Tiberis innavigabilis fuerit. — Triſtem hyemem ſive ex intemperie cœli, raptim mutatione in contrarium facta, ſive alia qua de cauſa; gravis, peſtilensque omnibus animalibus æſtas excepit. «

Quodſi peſtis contagium ex remotiſſimis terris ad nos transferri poſſit, ſuamque etiam longo tempore vim morbificam conſervet; fixioris illud indolis eſſe oportet, & varioloſo miasmati conſimile. At qua ratione venenum hoc fixum, & ſumme contagioſum, ſi noſtras in terras ſemel illatum fuerat, exulare poſthac unquam inde poterit, & integros centum annos noſtris a plagis abeſſe? Contagium certe varioloſum, ex quo in Europam delatum eſt, nunquam diutius a nobis abeſt, ſed varias regionum noſtrarum partes obit, quin unquam extra Europæ limites pedem ferat.

Quæſtio de natura peſtis proponitur.

Quid ergo, ſi peſtis contagio careret, ſi ſua ſponte, & ex cauſis manifeſtis naſceretur? ſi morbus eſſet non ſpecificus, aut ſui generis, ſed maligniſſimæ febris, ſuperior tantum gradus, ejusque certa tantum modificatio?

Vereor, ne in aſſignanda peſtilentiæ cauſa illud humani patiamur, quod multis aliis in rebus experimur, dum exoticorum, & monſtroſorum amans humana ratio.

Transvolat in medio poſita, & fugientia captat.

Quæſtiones aliæ

Quæſtiones momenti maximi proponi poſſent, quæ a viris doctis diſcutiendæ forent. Videlicet;

1. An febris maligna ſui unquam generis, & ſpe-

ſpecifica eſt? an non potius febris ſive bilioſæ, ſive putridæ altior gradus? Id certe vix amplius dubitationi obnoxium videtur.

2. An febris peſtilens a febre maligna per eſſentiam differt, vel vero ſola periculi magnitudine, & majore ægrotantium ex ea numero?

3. An non ipſa peſtis febrim peſtilentem ſola mali intenſione ſuperat, ut illa præ hac & plures corripiat, & citius enecet, cum interim idem habeatur utriusque morbi genius?

Sane ſymptomata peſtis a Petro Foreſto adcuratiſſimo ſcriptore, & ſagaciſſimo medendi magiſtro, & oculis uſurpata, & fideliter deſcripta; item cauſæ morbis bilioſis, putridis, malignis, peſtilentibus, peſtique ipſi ex æquo convenientes, evincere videntur, hosce morbos ejusdem familiæ eſſe, ſed ordinis diverſi, ita, ut infimum bilioſa febris occupet, ſupremum peſtis.

4. An notæ illæ, quas peſti eſſentiales, & characteriſticas volunt, ſolummodo *accidentales* ſunt? quemadmodum e. g. febris bilioſa aliis æſtatibus efflorefcentias urticatas, aliis vero petechiales, atque itidem aliis parotides, antrhaces, &c. adamat, manentibus nihilominus per omnia hæc tempora & eadem cauſa morbifica, & eadem medendi ratione?

5. An non vera peſtis oriri in aliquo homine ſingulari poteſt, eo tempore, quo nullum omnino peſtilentiale miasma in reliquis ejusdem terræ incolis obſervatur? Poteſtne fieri complurium cauſarum congenerum certo cuidam individuo adplicatarum confluxus, qui febrim bilioſam in putridam, in malignam, in peſtilentialem, in ipſamque adeo peſtem evehat, quin id temporis

in

in ullo alio homine hic conſimilium cauſarum concurſus eveniat?

6. An, ſi ſpecificum, & peculiare miasma peſtilentis febris, ipſiusque peſtis nullum datur, tantumne erit in ipſa peſte, quo alterum afflet, contagii periculum, ut, quemadmodum variolæ ſolent, in loca etiam alio ſub ſole poſita, veſtibus, lana, aliisque rebus, quin & ſolis epiſtolis e regione peſtilenti miſſis transferri queat?

7. An ſumtuoſæ illæ cautelæ, quibus peſtem a finibus arcere ſatagunt, quæve & mutuum inter vicinos commercium ſuſpendunt, & terrorem longe, lateque diſpergunt, neceſſariæ ſunt? an non potius ſummopere noxiæ, tum quod ſublatum commercium annonæ caritatem inducat, cum quod & ipſe tumultuoſus prohibendæ peſtis apparatus mortis metum incutiat, qua utraque re domi peſtilentia naſci poteſt?

8. Cum priſca ſæcula præ his, quæ modo vivimus, peſte frequentius funeſtarentur, an forte cum locis peſte contaminatis plus commercii interceſſit, quam nunc ſolet?

At noſtro tempore univerſus prope orbis in unicam quodammodo civitatem coaluit, & facto notionum remotiſſimarum crebriori invicem uſu ipſa olim frequentiſſima peſtis, nihilominus multo nunc rarior comparet.

9. An Petrus Foreſtus *diverſos* ſolummodo *ejuſdem malignæ febris* gradus aſſerebat, dum febrem petechialem mediam diceret inter vere peſtilentem febrim, & non peſtilentem?

10. An febris peſtilens, ipſaque peſtis pertinet ad illas febres gaſtricas, quarum materies in ventriculo, & inteſtinis locata cito putreſcit, ſanguinem illico ſubit, & lethalem brevi diſſolutionem, & necroſin inducit?

11. An

11. An is prudentius ageret, qui peſte laboranti homini eam adplicaret medendi methodum, qua nos in ſimplici maligna febre utebamur?

12. Qui purgato ventriculo, & inteſtinis, peruvianum corticem ægris daret, aut arnicæ radicem, quam ſuperius contra malignas febres laudamus, an non conſentaneam magis & ipſi rationi, & analogiæ, & experientiæ medicinam faceret, quam qui cum Botallo ſanguinis humani incredibiliter prodigo, in hunc vitæ laticem repetitis phlebotomiis deſæviret, ipſo morbo magis pernicioſis?

Sed alio longe, quam initio inſtitueram, de puerperarum noſtrarum febre dicturus, me delapſum ſentio, atque extra ſemitam vagatum. Veruntamen malim in juſti ſermonis ordinem peccaſſe, quam reticuiſſe, quæ vera, quæve ex uſu fore arbitrabar, etſi opinio, quæ ſic opinatur, haud perbenignos audientium animos ſit offenſura, & facile temeritatis cujusdam ſummopere noxiæ inſimulari queat.

Nunc quæ febris ſpecies puerperas per æſtatem vexarit, dicere ordiar.

Febris puerperarum hac æſtate obſervatæ deſcriptio.

Sub ultimum graviditatis tempus quædam erroneo modo febriebant, & obſcurius, alvo ſegni ſupra modum, ore immundo, muci pleno non appetentes. Dolor ad lumbos, & circa ſcrobiculum: mictus difficilis, frequens. Unam, alteramve luculentior febris aggreſſa eſt, quæ remiſit primo, dein etiam intermiſit.

Pleræque a partu primum, eoque ut plurimum non difficili, aut mox, aut ſerius, nulla certa dierum lege incaluerunt, friguerunt per vices. Quibus id poſt partum evenerat, præter ſuperius enarrata incommoda & parciſſimus lochio-

Tormina puerperarum. lochiorum fluxus, & dolores abdominis totius, hypogaſtrii maxime, & uterinæ regionis aderant, ſævi, ut attactum vel leviſſimum extimeſcerent ægræ, vagique, ita tamen, ut, ubi uterus in globum contractus offenditur, ii & validiores fuerint & fixi. Linguam, ventriculi, & inteſtinorum indicem ſumme veridicam contemplatus, hirtam vidi villis albidis, flavicantibus, ſubin etiam veridiſſimis. Semel tantum puriſſimam linguam vidi, impuro licet, & multis ſordibus ſcatente ventriculo. Unam levius febrientem exhantema urticatum, alteri cuidam quaſi ſcarlatinoſo commixtum, pinxit.

Inflammationem mentiebantur, ſed erant à bile. Inflammationem aut inteſtinorum, aut uteri, dum de morbi natura diſceptaretur, nullam hic eſſe exiſtimabam, utut multa erant, quæ artis non bene gnaros decepiſſent. Noveram, æſtate bilem dominari, fervidiore meracam, mobiliſſimamque, frigidiore vero, humidioreque pituitoſam, & inertiorem: ſegnitiem alvi in gravidis ſolennem, ob eamque prava multa in abdomine congeſta, ſciveram. Hinc puerperas haſce ex ventriculi, & inteſtinorum aliena materie febrire, augurio, ut eventus comprobarat, non infortunato conjectaram. Etenim methodus, quæ febribus gaſtricis opponi ſolet, etiam his medebatur, atque eas, priuſquam in vitæ diſcrimen adducerentur, cito in vado poſuit.

Id argumentis demonſtratur. Non me latuit, quæſtionem adhucdum inter multos agitari, cujusnam indolis febris puerperarum eſſe ſoleat, an *inflammatoriæ* videlicet, vel *putridæ*, *malignæque*? Verum dudum & Sydenhamiana, & mea quoque obſervatione vim morbi epidemici noveram, qui omnes reliquas ægritudines per id tempus, quo is dictatu-

turam exercet, ſuæ ditionis facit, ſuisque cogit ſub vexillis militare.

Et de re adeo luculentis argumentis perſuaſus ſum, ut propoſitum qualemcunque fere morbum nunquam examinem, niſi epidemicæ conſtitutionis genium una contempler, videamque, quousque objecta infirmitas ad epidemiæ naturam inclinet. Hinc non erat difficile, hasce per æſtatem puerperarum febres inter illas computare, quæ hanc anni partem quotannis infamem reddunt *bilioſas* nempe.

In mentem quoque venerant, quæ in Hungaria binis æſtatibus experiebar. Etenim quotquot fervidiore hoc anni tempore pepererant, eas febribus corripi bilioſiſſimis vidi, choleris item, & dyſentiriis. Meticuloſam iisdem in initio medicinam feci, cum, etſi ſciverim, quid ea febris alio in corpore remediorum requireret, tamen puerperæ conditio nunc longe alia ab efficaciori methodo me deterreret, donec tarda ægrarum convaleſcentia, & mille ſub ipſa curatione incommoda eo me permoverent, ut, neglecto ad puerperæ conditionem reſpectu, medelam opponerem valentem, & morbo parem.

Emeticis ergo, ſi qua horum neceſſitas fuerat aut purgantibus liberaliter uſus ſum, & absque metu, cum horum auxilio, qui tunc ex populari bilioſa febre decubuerunt, cito, atque citra ambages ſanarentur.

Didiceram ea occaſione, non hærere in ſimplici lochiorum, aut ſuppreſſorum ex toto, aut parciſſime fluentium contemplatione: ab ariſtolochicis cujuscunque ſpeciei abſtinui penitus. Et cur aliter agerem? nonne potius in morbum principem indagare oportebat, quam

quam eodem neglecto cum ejus quodam non magno ſymptomate colluctari?

Hæc febris ſubinde eſt inflammatoria, & quando.

Horum omnium memor ſolennem puerperarum febrim rariſſime *inflammatoriam* arbitror, niſi ubi acri urente gelu, & flante borea ſanguis dominatur, & orta inde inflammatoria diſpoſitio.

Sed & hocce tempore inflammationibus generandis apto mitius habebant puerperæ, & præ cæteris hominibus forte rarius inflammatorie ægrotabant. Cum enim fœminæ in univerſum ob laxiorem corporis compagem, & ſanguinem minus phlogiſticum haud ita facile febribus inflammatoriis, quemadmodum viri ſolent, corripiantur, puerperæ, quibus aliqua ſanguinis jactura ſub partu, & poſt eundem contingit, & in quibus a partu inflammatoriam diatheſin, corpore utpote debilitato, evacuatoque, & liberiori humorum per vaſa circuitu, omnium minime accuſes, præ aliis ejusdem ſexus non puerperis quandam ab inflammationibus immunitatem jure poſſidebunt.

Equidem inficias haud eo, uterum diuturnis, validisque pariendi nixibus, admota rudiori obſtetricia manu male habitum inflammari; at ubi partus absque labore fuerit, puerperas in *febres ſanguineas* minus proclives judico.

Hinc febris gaſtrica, ſive ea pituitoſa fuerit, ſive biliosa, ſive putrida, puerperis maxime inſidiabitur, quam aut miſſionem ſanguinis iterata, aut regimine ſudorifero in malignam convertes.

Cadaver puerperæ, quam ea, de qua loquimur, febris enecuerat, nunquam diſſecui, ſed aliorum ſectiones novi, qui viſcera abdominis partim inflammata, partim gangrænoſa repere-

rerunt, atque inde febris indolem inflammatoriam, ſtatuerunt, haud æqua, ni me omnia fallunt, concluſione. Hæc enim interaneorum facies in iis eſſe, ut plurimum, ſolet, quos febris maligna ſuſtulit, quorum non paucos & ego diſſecui, & mox a morte, vixque refrigeratos, & rigente bruma, præpoperam cadaverum putredinem arcente, ut, quem ipſe morbus, non diuturnior mora viſceribus habitum induxerat, perviderem.

Inteſtina & plumbea vidi, & dire inflammata, vicibus, petechiis maculata, omentum obſolete rubrum, fuſcum, lividum, fracidiſſima, & olentiſſima omnia. Num febris *inflammatoria* eam viſceribus ruinam induxerat? atqui noveram morbum fuiſſe ab inflammatorio alieniſſimum, fuiſſe in initio bilioſum, miſſione ſanguinis male ſana, & neglecto evacuante pharmaco in putridum, malignumque commutatum. Quid, num inſanabili hydrope confectum hominem ex febre inflammatoria periiſſe dices, quod ejus viſcera aquarum putridiſſimarum ſtagno immerſa & inflammatio teneat, & gangræna?

Quapropter, ut ſuperius dicta paucis complectar, æſtas ſanguini inimica, amica bili, fractumque partium ſolidarum robur, & quadam a partu bonorum ſuccorum inanitio, deſesque ut plurimum vivendi genus, & alvi moroſitas puerperam longiſſime removent ab athletico habitu, & inflammationibus abnoxio, eamque morbis ſepticis præ aliis ſubjiciunt. Confirmatum id dixi & aliorum, & mea obſervatione multis vicibus inter Hungaros habita: novamque denuo præſens annus obſervationum acceſſionem dedit, quæ demonſtrant, omnes ferme puerperas per æſtatem ex putrida ma-

terie febricitare, tubum inteſtinorum primo; deinde, poſtquam ex parte ſanguinem is fomes ſubiverit, hunc ipſum etiam coinquinante.

Inter ſymptomata hujus febris dolorem abdominis, & hypogaſtrii quam maxime eminuiſſe ſupra narravi. Ea res pro inflammatione ſive inteſtinorum, ſive uteri nobis neutiquam impoſuit, neque unquam nos ſeduxit, ut ſanguinem phlebotomia educeremus, utut valide febricitantibus.

Pulſuum fallacia in febre puerperarum, atque etiam in multis aliis caſibus.

Nec pulſuum fallax durities, aut emendicatus eorundem a ſpaſmis vigor, vibratiove nos eo permovit, ut vitium potius inflammatorium in ſyſtemate ſanguifero incuſaremus, quam biliofum in gaſtrico, putridumque. Noveramus aliunde ex innumeris caſibus miras pulſuum fallacias, in plethoricis, atque inflammatis non raro ſumme debilium in ſpeciem, quos largiter emiſſus ſanguis mox erigit, aut e contrario plenitudinem, & nimiam vitæ vim ſimulantium, etſi bonorum humorum egeſtas potius, quam divitiæ ſubſint.

Cujusdam puerperæ caſus deſcriptus.

Cum hæc ſcriptitarem, a puerpéra redeo in Noſocomio practico decumbente, quæ furtivi amoris primitias apud nos ante triduum depoſuit, partu facili, quive præter binas convolutiones funiculi umbilicalis circa collum memorabile nil habuit. Primo nychthemero optime valuit; ſed eo exacto rigere primum, dein æſtuare multum, ventre infimo attactum omnem refugiente dolere plurimum cœpit. Ictus arteriarum validi, vibrantes, in corpore juvenili, laboribus firmato, bonis carnibus, & ſuccis. Nullum in ore vitium, nullum circa ventriculum incommodum: vix ulla lochia.

Mor-

Morbi notionem ex iis collegimus, quæ hanc in rem ſupra dixi.

Alvo clyſmatibus elota mixturam ſalinam dedimus multo tartari cremore fœtam. Venter inde pauca reddidit binis, aut ternis vicibus; mox febris, dolorque fere omnis conticuit. Verum biduo poſt partum necdum penitus transacto, & alvo denuo ſuppreſſa, febris rediit, & dolor abdominis priori multo atrocior. Jactitatio, lamenta, lochia, prorſus nulla. Cum materies morbifica infima ventris occuparet, lingua, faucibus, & ventriculo bonis, purgans pharmacum præ emetico elegi ex ſale amaro, & manna compoſitum, per epicraſin propinandum. Inde ante dimidium tertii a partu diei trigeſies dejecit miro cum levamine. Etenim nullus ullibi dolor, nec ulla febris: tumor abdominis antea turgidi omnis evanuit. Lochia non parca redierunt.

Cum alvi libertatem data poſthac opera conſervaturi ſimus, puerperio inde facili uſuram ſpero, idque eo fidentius prædicere audeo, quod conſimillimi in puerperis hoc anno morbi nobis ſæpius obvenerint, eadem methodo, purgante videlicet, vel emetico, atque etiam eadem felicitate, antequam in herbam prorumperent, radicitus exſciſſi.

En & ariſtolochicum, & antiphlogiſticum remedium!

Non permitto, ut puerperæ longo tempore lecto ſe contineant, aut diuturno decubitu, ſtragulorum tepore, tepidisque, ut mos fert, potibus, carnes emolliant, ſecernenda, excernendaque retardent, & ipſi ſepticæ febri auxiliatrices manus porrigant.

Quænam maxime puerperis nocere viſa ſint.

Non me fugit, longe alia in uſu eſſe, eos in-

inter præcipue, quos vel natales[r], vel divitiæ, vel arrogantia his præſidiis deſtituta, ſupra plebem effert: ſcio, quantum de fama periclitetur, qui ſaniora conſuluerit, ſed præjudiciis civitate donatis adverſa.

Nihilominus medicorum erit, unitis viribus hunc errorem dedocere, gravem certe, & popularem, eorum præcipue, quos fortunatior artis uſus, indeque parta commendatio ſua quemque in patria nobilitavit.

Sic eos neutiquam verebimur, qui etſi meliora videant, probentque ſecum tacite, nihilominus pernicioſis matronarum opinionibus ſerviliter officioſi artem produnt.

Nec illos poſtea morabimur, qui antiqui moris tenaciſſimi, cogitare, moliri, facere nil audent, quod avus non fecerat, nec abavus, atavusque, imitatores, ſervum pecus.

Oleoſorum.

Oleum amygdalarum dulcium puerperis noſtris non dedimus, etſi ſorbitiones oleoſæ vel ipſam inter plebem in uſu ſint, ut absque iisdem ne pauperrima quidem ſperet, poſſe ſe ex puerperii moleſtiis ſalvam eluctari.

Hoc qui faciunt, nonne oleo cito rancido facto ſaburram mirum augent? nonne nervos, quos delinire animus erat, acerrime irritant? nonne ventriculi infringunt vires, & ſæpe ſæpius ægrotantem, & oleum, & operam una perdunt?

& abſorbentium in puerperis noxa.

Abſorbentium uſum damnabamus, utut ſolennem, neque id immerito, ut opinor. Nolebamus enim putredinis vim antacidis exaltare, ſed id potius dabamus operam, ut grato, & aceſcente remedio, quodve alvum blande ſollicitaret, putridam colluviem enervaremus. Nec quidquam inde damni, quod in lactis acorem refundi poſſet, lactenti puſioni evenerat.

Ner-

Nervinorum, anthyſtericorum rara occaſio fuit. Non enim mox nervos, irritabilitatem nimiam, ſpiritumque attaxiam, & anomalos motus accuſabamus, nervinis, narcoticisque ſopiendos; quæ tamen nervei ſyſtematis accuſatio alias frequentiſſima eſſe ſolet, ubi quædam aut dolorifica ſenſatio, aut aliud quid a ſanitate recedens in puerperis advertitur. Nonne en minervi amicabile quid ſunt, & minime ſeditioſum, niſi auctorem turbarum habeant, in quem inquirere omni ſtudio neceſſe eſt, quemve nos intra ſyſtema gaſtricum concluſum deprehendimus ſæpiſſime: eo inde deturbato ſeditio ſiluit. Prudens nervinorum uſus.

Miliaria puerperæ noſtræ non habuerunt. Uni exhantema urticatum erupit. Si ea in memoriam revocem, quæ, dum inter Hungaros medicinam feceram, experiebar, nullus dubito, quin præverti miliaris eruptio cum emolumento fere ſemper poſſit. Etenim numeroſa cum hic, tum alibi capta obſervatio me vel invitum, & longe alia non ignobili medendi magiſtro edoctum convicit, febrem miliarem, petechialem, ſcarlatinam, urticatam, eryſipelatoſam originis gaſtricæ ſemper eſſe; poſſe ſæpiſſime præverti matura ventriculi, & inteſtinorum vacuatione; eſſe has omnes febres, ubi præpedire eruptionem medicus jam amplius nequit, tum forte primum accerſitus, cum materies magnam partem jam intra humorum circulantium ditionem irruerat, putridas, & ægritudine intentiore facta, malignas; febres haſce exhantematicas eſſe aut gaſtricæ, aut putridæ, aut malignæ febris varietates ſolum, modosque per accidens differentes, quemadmodum eadem planta vario ſub ſole multas, ſed accidentales ſolummodo varietates patitur. Exanthemata plerumque præverti poſſunt. Eorundem origo.

Id mihi videor obſervaſſe, miliarium genitricem materiem eſſe potius pituitoſam, petechiarumblioſo-putridam, ſcarlatinæ acrem, volatiliorem cæteris, quæve corporis ſuperficiem citius petit, & præ aliis ſæpenumero magis ſepticam.

Febrim eryſipelatoſam à tenuiori, & acri bile proficiſci methodus antibilioſa demonſtrat, quæ ſolventibus, emetico, & aceſcentibus eccoproticis morbum cito ſanat.

Phlogiſticam ſanguinis conditionem eryſipelatoſæ febri nonnunquam complicatam *acriori* reſorptæ bilis ſtimulo debemus, ſanguinem ſuccendenti.

Quomodo febri puerperarum medendum ſit.

Sunt, qui quærant, calidane medendi methodus, an frigida febri puerperarum ſanandæ congruat?

Huic quæſtioni per ea ſatisfactum credo, quæ hucusque in medium protuli.

Juvat tamen pauca quædam ſubnectere eam ad rem attinentia.

Antiphlogiſticorum varia apud varios notio.

Antiphlogiſticum id omnibus appellatur, quod vires poſſidet febris ignibus contrarias.

Verum hic in diverſiſſimas opiniones excurrunt, ſi, quæ ea domandi caloris vi polleant, interroges.

Vir celeberrimus Antonius de Haen, cui nuper demortuo me arbitrium meorum Præpoſitorum ſuffecit. T. I. Rat. Med. cont. cap. IX. homini maligna febre detento ſe curam antiphlogiſticam feciſſe ait, cum eidem primo die ſanguinem mitteret, ſimulque ſuris veſicantia, ac plantis pedum admoveret, datis præterea & enemate, & avenæ decocto cum oxymelle, & nitro, cumque altero die & corticis peruviani decoctum

coctum præſcriberet, celebrata denuo eodem tempore phlebotomia.

Idem T. II. Rat. Med. cont. cap. III. pro frigefaciente obii vi acriter pugnat, ut adeo etiam opium ex hujuſce auctoris opinione antiphlogiſticorum catalogo inſeratur, unde emetica prorſus expunxit, acerrimus eorumdem oſor, ut vomitum emetico propinato a multis retro annis nemini moverit.

Hæc fere ex ejus mente antiphlogiſticorum claſſem expleverant, ſi crebram adhuc ægrotantium extra lectum moram, & ſtragula levia, luſtratumque cubiculi aërem addideris.

Quo jure, quare injuria clarus hic auctor omnia hæcce remedia in eandem antiphlogiſticorum ſocietatem receperit, in præſentiarum non quæro.

Immortalis Sydenhamus præter ſanguinis detractiones, aërem refocillatum, & frequentem ægrorum ex lecto abſtinentiam, potus largos, & diluentes, catharſin quoque miro modo refrigerare ajebat, quo loco febrim *novam* deſcripſit a prava inteſtinorum illuvie prognatam.

De emeticorum antiphlogiſtica virtute quid ſenſerit, multis in locis & verbo docuit, & exemplo. Sic ubi in primo variolarum ſtadio ægritudo vehementior fuerat, & intenſior febris ubi vomitu enormi, vertigine, dolore artuum quaſi rheumatico ſævum in modum vexabantur, ubi & ætas florens, & immenſa materiæ varioloſæ exitum quærentis moles, & exæſtuans, ſive is a Venere, ſive a Baccho fuerit ſuccenſus, ſanguis febrim ſupramodum ferocientem effecerant, præmiſſa phlebotomia emeticum *eradicativum* ex infuſione croci metallorum exhibuit, qua ratione materies foras prorupit, ægro

ægro ita refocillato, *ut jam quaſi ſanus lectulo abeſſe quiverit.*

Qui a purgante, emetico, & a ſanguinis miſſione abſtinuerat, & ægro ſtragulis coacervatis ſepulto, ſpirituoſis, ac calefacientibus ſudores elicuerat, is *calido regimine* uſus a Sydenhamo dicebatur.

Liceat hic meam de antiphlogiſticis mentem explicare.

Nullum dari remedium arbitror, quod antiphlogiſticum absque ullo ad certam morbi cauſam reſpectu compellari mereatur. Nunquid enim venæ ſectio hominem febre inflammatoria æſtuantem, quam ſanguinis orgasmus, & nimia fibrarum ſtrictura, ac irritatio generaverit, inſigniter refrigerabit, quem emeticum validius ſuccendiſſet? nunquid e contrario eadem ſanguinis miſſio, iterata præcipue, & largior efficiet, ut febris altius exardeſcat, quam acris forte in ventriculo bilis nutrit? nonne hunc emeticum potius refrigerabit, ſi, quod febrim aluerat, bilioſum pabulum ſuſtulerit?

Sæpe hercle mirabar, uno dato emetico & ferocientem illico ſopiri febrim, & infandam cephalalgiam conticeſcere, ac placidiſſimum mox a vomitu ſomnum obrepere, ex quo æger evigilans præter reſiduam aliquam laſſitudinem nil conqueratur.

Cui ſuppreſſa materies preſpirabilis febrim accendit, nonne ſudores potu largo diaphoretico, & lecti ſtragulis eliciti ſæpenumero febrim extinguunt?

En quam nullum propemodum remedium ſit, quacumque cæteroquin virtute gaudeat, quod non aliquando certo loco, certo tempore, certisque in morbi cauſis refrigeret! En quam non ſuf-

ſufficiat, methodum antiphlogiſticam commendaſſe, cujus utpote non eadem eſt apud omnes notio! En quam alia ſit, atque ab ſe ipſa differens hæc methodus, quemadmodum aliæ, atque aliæ fuerint febrilis ardoris cauſæ!

Nos febri puerperarum methodum antiphlogiſticam adplicabamus, cum omiſſa phlebotomia gravantem materiem emetico, vel purgante eliceremus.

Sed quæ ratio, cur hæc febris puerperas potius, quam gravidas invadat, cum eidem cauſæ morbificæ & hæ, & illæ ex æquo pateant, neque is morbus velut effectus neceſſario puerperium conſequatur.

Reſpondeo: utut puerperas potius ea febris apprehendat, non tamen omnino ab eadem immunes eſſe, quæ uterum geſtant. At quod illæ præ his morbum frequentius experiantur, inde facile repetes, quod puerperium partium ſolidarum debilitatem, & aliquam ſangunis jacturam faciat, hinc bilis, quam ſanguine frænari veteres non inconcinne dixerunt, reſciſſo hoc frœno efferri incipit, atque repagula effringere.

Morbi materies alio in corpore, aut utero non gravido, fortaſſis iners, atque innoxia manſiſſet, aut vitio temporis mutato vim ventriculi ſubactricem experta denuo eſſet, & in benignum humorem converſa, aut vero a ſui conſervatrice natura, tanquam noxius in republica civis, exterminata, quæ nunc circumciſis ex puerperio vitæ viribus efferatur.

Incommoda a lacte ad mammas delato vix ulla unquam vidimus, cum puerperæ proles ſuas ipſæmet lactarint; una tamen, alterave vice contigit, prole mortua & febrim, & incipientem mammarum inflammationem ob lactis redundantiam

Incommoda lactis in puerperis.

tiam obſervare. Non permiſi violenta ſuctione dolentes mammas tentare, ſed applicato molliente fotu turgens mamma lac ſponte dimiſit cum pleno doloris levamine. Interea blando pharmaco alvum ſollicitabam, duplici cum emolumento, cum & febri epidemicæ iretur obviam, & abundantiæ lactis.

Magno periculo haud vacare eam methodum ſemper exiſtimavi, quæ lactis aggeſti copiam ex mammis denuo intra humorum circulantium alveum receptam, cum iisque per corpus circumductam, attenuatamque vi vitæ, ad corporis ſuperficiem remediis ſudoriferis ablegat. Quid enim, ſi forte ſtrictius quoddam alicubi viſcus ſit, quod appellentem humorem lacteum meare ulterius haud ſinat, eumque anguſtis canalibus impactum retineat? Quid, ſe e contrario pars quædam prævie laxior promovendæ moli lacteæ impar ſit, ad quam aliena hæc materies decumbat?

Præſtare autumno, generando lacti pabulum ſubducere victu tenui, ac purgante remedio, & quod generatum jam abundantius eſt, ad colatorium invitare excipiendis craſſioribus etiam recrementis par, & potens aliorum omnium colatoriorum vices ſubire.

CAPUT X.

FEBRIS ÆSTIVÆ

Anni 1777. in variis individuis luſus varii.

QUAVIS æſtate e ſcaturigine bilioſa febres promanant, *ejusdem* omnes naturæ, ſed quæ aut frequentia, aut diſcrimine, aut celeriori decurſu, aut tardiori, aut hoc, vel illo evidentiori ſymptomate diverſis æſtatibus diverſimode variant. Febris æſtiva 1777.

Accidentalis iſta ejusdem morbi varietas non ſemper a medicis intellecta multam induxit confuſionem, cum tot propemodum per eſſentiam differentes febres conderent, quotquot ejusdem febris in diverſis hominibus, atque annis diverſis ſymptomata eminentiora conſpicerent. Cur nondum habeatur practica febrium claſſificatio.

Hinc novam febrium cohortem terris incubuiſſe clamitatum ſæpius eſt, cum novus tantum eſſet *ejusdem* febris luſus. Rem leviculam, & accidentalem, ſed quæ non philoſophantium oculos feriebat, arripuerunt, miſſa morbi eſſentia, nubem pro Junone amplexi.

Hæ febrium putatitiæ novitates, & diviſiones, ac ſubdiviſiones earundem ex non neceſſariis notis repetitæ mirum quantum pyretologiam turbarunt, aut verius, ne ulla hucusque practica febrium claſſificatio condi potuerit, impediverunt.

Hac quippe dividendi, & definiendi ratione plures toto cœlo diverſæ inter ſe febres *eodem* dona-

natæ nomine fuerunt, & confuſæ, propterea quod, utut quam maxime inter ſe differentes, *eodem* nihilominus ſymptomate tanquam *eadem* veſte larvatæ incurios deceperint.

Taceo, quod in immenſum increſceret febrium numerus, jam modo nimium quantum adauctus, ſi a quovis cujusvis febris luculentiori ſymptomate novam vellemus febrim creare.

Bonæ claſſificationis neceſſitas. Ne quis hunc errorem inter innocua philoſophantium deliramenta ponat! Methodum enim medendi *eandem* ſæpenumero diverſiſſimis febribus, ſed eodem vocabulo inſignitis, quaſi ſemper *eidem* morbo adaptant. Tunc malam docentis diviſionem æger immeritus luit.

Plurima præſtitit Sydenhamus. Sed labor hominis unius, utut perattenti, & laborioſiſſimi non ſuffecerat operi tam vaſto, quod & plurimorum diligentiam, & pluribus ſæculis fatigaret.

Quæ priora tempora de febribus dedere, multa, & rudis moles ſunt, & non digeſtum cahos, ſi Sydenhamiana cum paucis aliis exceperis.

Materiem condendo operi parem nondum omnem habemus.

Hinc pauca & ego congere volui, quaſi quædam futuri quondam ædificii aut lacunaria, aut lapides, aut quoscunque in uſus prudens quondam architectus iis uti velit.

Exponam nempe, quas fabulas dederit *eodem* in theatro febris *eadem*, quæ vere adulto, & per æſtatem in ſcenam prodiit, & quam diverſas egerit perſonas.

Ipſas ægrotantium hiſtorias ſtrictim dabo, ut, ſi etiam meum de hac febre ratiocinium fallat, non fallat tamen obſervatio fida non ex memoria vacillante, ſed ex pugillaribus deſcripta, & mul-

multiplex, & ſumme vera, & oculis plurimorum Noſocomium adeuntium quotidie uſurpata.

Exordium a febre bilioſa faciam, more phrenitico caput impetente: ſit ergo:

ÆGER PRIMUS.

Phrenitis bilioſa.

VERE adulto chirurgum tironem manibus pedibusque ligatum, & mota mente ad Noſocomium deportant, & ſequentia narrant: a longo tempore ſtudia immoderatius tractat, & in multam noctem: palluit magis ab aliquot ſeptimanis, & per novem ferme dies minus appetit. Heri veſperi concidit impos mentis: noctu ſæpius ſuſpiravit, aliena ſubinde locutus. Neminem agnovit. Sanguis ſemel miſſus abſque levamine eſt, aſpectu bonus. Ad interrogata non reſpondet. Phrenitis emeſi curata.

Homini linguam ex albo vireſcentem habenti, & non maximopere febrienti purgans per epicraſin ex manna, & ſale amaro mox dedi, & mulſi copiam. Nondum mota alvo vomiturire cœpit, hinc mutato conſilio, & quod reliquum purgantis erat, ſepoſito, emeticum propinavi, quo multa viridia, pituitoſaque repetitis vomitionibus refuſa ſunt, mente mox poſt vomitum reſtituta. Capitis ſuperſtes gravitas remediis ſalinis alvum blande ducentibus, & demum amaricantibus, ex integro, & cito ſanabatur.

Linguæ, & vireſcens faciei pallor, & imminu-

nutum ciborum deſiderium, ac morbi alii certo gaſtrici tunc tempeſtatis prævalentes, phrenitidis hujus ſympathicæ & cauſam morbificam, & ejusdem ſedem facile demonſtrabant.

ÆGER SECUNDUS

Hemiplegia a bile.

Hemiplegia. FAMULUS 52. natus annos, olim miles, pauci cibi, ſed multi potus, ejusque ex vino viliori, non adusque tamen crapulam, initio æſtatis balbutire repente, mox retrahi dextrorſum os, & ſiniſtrum brachium cum crure ejusdem lateris exſolvi cœpit. Mens integra. Cruris exſoluti perobſcurus motus, nullus brachii. Sanguis binis domi vicibus miſſus eſt absque levamine. Hominis ad Noſocomium delati lingua albidiſſima fuit, & blæſa vox, & artus, uti dixi. Ictus arteriarum fortes, pleni, ſublimes. Venam & ego ſecui ad uncias ſex, cujus tamen me poſtea ſectionis pœnituit. Sanguis bonus, ſed nullum levamen. Mox ructare aliena quaſi vomituriens cœpit. Datum emeticum plurima tenacia, & vitellina eduxit, mox ſubſequente poſt vomitionem obſcuriſſimo brachii emortui motu, & cruris majori. Purgantia ſalina, & repetitum poſt binos dies emeticum artus reddidere magis mobiles. At hic emendatio ſubſtitit. Hinc totam dorſi ſpinam, partesque reſolutas remedio perfricui ex ſpiritu ſerpilli, & tinctura cantharidum compoſito ad cutis usque ruborem: adplicatum quotidie emplaſtrum veſicans eſt, ſed alio die alibi.

Pla-

Plagæ veſicante tentatæ nolui, ut ſuppurent, ſpem in reſorpto cantharidum ſtimulo movente, & incidente ponens. Pillulis præterea uſus eſt ex gummi ammoniaco, myrrha, & aloes pauxillo.

His integre, & intra breve tempus convaluit.

Capitis affectus multo plures, & graviores vidi a ventriculi vitio, & inteſtinorum, quam ab idiopathica encephali labe natas.

Capitis dolorem ſæpenumero ex abdomine provenire non infeliciter hariolabar, etſi omnia me ſigna deficerent male habentis ſyſtematis gaſtrici, quod is ſola acerbitate per vices intenſiori ſuos a ventriculo natales proderet. Encephali cum ventriculo ſympathia.

ÆGER TERTIUS.

Febris birioſa neglecta, ſeu ſpecies malignæ febirs cum ſymptomate phrenitico.

JOSEPHUS Kebaum 24. annorum, opilio, a ſex ſeptimanis cardialgiam queritur, auctam a paſtu, & confractum crurum, femorumque robur, ac dolens caput, leviculos inſuper horrores, vagos, & os amarum ſemper. Potiſſimam partem temporis hujusce extra lectum tranſegit, ſub dio penes ovium gregem, quem paverat, humi fuſus, & ſole, id quod amaverat, percalefactus. Febris maligna.

Laſſa trahens membra, & per aliquod itineris ſpatium curru vectus die 11. Julii ad nos venit.

Pulſus naturali parumper celerior, non durus, & temperatus calor: aduſta ſole cutis, & rubor faciei translucente flavedine. A pinnis narium

rium ad utramque uſque labiorum commiſſuram flaviſſimus tractus. Lingua leviter ex albo flava, & amarus aſſumptorum ſapor. Non appetiit, non ſitivit. Oculi diluta rubedine ſuffuſi, & lacrimoſi. Sera nocte cum ferocia delirat.

12. Julii ferocia perſtat: pulſus validus, plenus: paucus ſanguis ad uncias ſcilicet octo, & aſpectu bonus detrahitur abſque levamine.

A meridie vi ingeſtum emeticum eſt, unde multa oleo veterrimo perſimilia ore reddidit. Sera nocte reſipuit.

13. Facies flaveſcens: febris: mens conſtat.

14. Julii emeticum. Vomuit multam pituitoſam bilem: os, & præcordia bona: febris.

15. Julii capite magis dolenti, & validius febrienti miſſus ſanguis eſt aſpectu bonus: febris eadem: tuſſis.

16. Facie magis flaveſcente febris mitior. Dato emetico bilioſa rejecit. Inde pallor loco flavedinis: cephalalgia, & tinnitus multum minuebantur. Tuſſis, & ſputa mucoſa.

Ab eo tempore minus quotidie febricitabat, commode per omnia habebat. At:

21. Julii levis amaror oris: reſpiratio ſibiloſa, ſtrepens, & abdominis ad attactum dolentis turgor emeticum poſtulabant: inde omnia denuo emendata.

Ab aliquot diebus nocturna tuſſis ſputa multa pituitoſa movit; hinc ſaturatum lichenis, & polygalæ decoctum primo tuſſim, & ſputa, demum etiam crurum pertinax œdema ſuſtulit.

Tempore inter vomitoria medio remedia ſalina eccoprotica, & leni vi roborandi prædita exhibebantur. Et ubi alvus immoderatior viribus ruinam minabatur, radix arnicæ ad dr. ſem. —

ſcrup.

ſcrup. ij. — dr. j. omni bihorio data ſuppetias tulit.

Emeticum nobis erat rad. ipecac. ad ſcrup. ij, quos grano uno tart. emet. acuimus.

Homini ſui ipſius negligentiſſimo, & meridiani ſolis ardoribus exuſto, *quod humidiſſimum, & aquoſiſſimum in bile erat, reſiccabatur, & conſumebatur; craſſiſſimum vero, & accerrimum relinquebatur, quod in ſanguine eadem quoque ratione acciderat.* Hipp. de natura hominis c. 3.

Vomitiones excitatæ mentem reſtituerunt. Mens vomitorio reſtituta.

De ſanguinis miſſione in morbis bilioſis inſtituenda ſæpius a viris doctis queſitum eſt, an, & quouſque, & quem in finem mitti hiſce in morbis ſanguinis poſſit? En! quam ego legem ea in re ſim ſecutus. An v. ſ. in febre bilioſa conveniat.

Morbo bilioſa venæ ſectionem nunquam *per ſe* convenire mecum ſtatueram, cum quod extracto ſanguine bilis domitore morbus acrius inſurgat, materie intra ſanguinis ſtationem liberius irruente, tum quod, quæ emetico, & purgante feliciter auferuntur, & cito, ſanguinis detractione ſaltem non indigeant. Obſervatio numeroſa, mededendi princeps magiſtra, me hunc de ſanguinis miſſione canonem edocuit.

Verum ſi humor bilioſus magnam partem per corpus diffundatur, & plethoræ ſpecies, vaſorumque turgor tum a bonis ſuccis, cum a pravis intra ſanguinis alveum receptis, indeque & febris valida, & humorum circumeuntium ob nimiam eorundem copiam quædam quaſi ſtrangulatio immineat, ſanguinem mitto, ſed avara manu, & ad uncias paucas, ut me nunquam pœnitere largius effuſi ſanguinis poſſit, educturum denuo naucum quid, ſi necdum obtinuero, quæ propoſueram.

Expertus aſſero non una vice, plus nocuiſſe ſanguinem, ubi non oportuerat, miſſum, quam non miſſum, ubi oportuerat.

Phthyſis pituitoſa. Tuſſim, nocturnam maxime, & ſputa craſſa, pituitoſa, copioſa, & *phthyſin pituitoſam* a febribus gaſtricis, quæ aut ægrotantis, aut medici negligentia, aut mala medicatione in malignas abiere, perfrequentem, ſæpenumero amaris remediis, lichene, polygala, radice arnicæ, & cortice peruviano, ac diæta reſtaurante &c. ſanavimus.

ÆGER QUARTUS.

Furor ex alvo bilioſa, cum flueret, compreſſa.

Delirium ferox curatum. QUIDAM 30. annorum, ſtudioſus corpore ſtricto, & facie, quam atræ bilis vocant, cum ſtudiis immoderatius indulgeret, 1. Auguſti oris queritur amarorem: ſponte vomit amara: modice incaluit: veſpere largi ſeceſſus, & bilioſi.

2. Auguſti ſeceſſus frequentes. Bibit hauſtum ſalinum, unde multo crebrior dejectio.

6. Auguſti alvo hucusque mera, multa, frequenter, prodeunt. Quotidie magis incaleſcit, inhorret per vices. Denuo hauſit potionem ſalinam. Inde apyrexia longa, at alvus fluens adhuc, & aucta debilitas. Morbum hucusque obambulans toleravit, ore amaro, faſtidioſus.

8. Auguſti dato remedio ex chamomilla, & ſtomachicis quibusdam, ac ſpirituoſis confecto, quod nimis ſeceſſibus proſpiceret, mox excruciari dolore abdominis, ejulare, & paulo poſt furere cœpit, alvo repente ſuppreſſa.

9. Au-

9. Auguſti veſperi ad nos delatus furit : venter nil reddidit. Pulſus validi : aliquis calor : lingua flava.

Cum ventriculum aqua mulſa repleveramus, mox ea adhuc nocte emeticum dedimus. Tarde vomuit, & ad auroram, cum ultimo vomeret multa, flavaque, illico reſipuit : nondum dejecit : denuo deſipuit poſt paucas horas, delirio miti. Alvus hucusque clauſa, acriori enemate ſollicitata copioſiſſima reddidit, mente mox reſtituta. Hauſtus ſalini : quies placida.

11. Vomitorium : vomitiones bilioſæ : mens firmior : veſperi de novo clamor per vices, furorque.

Alvum potione ſalina frequentiorem effecimus, poſtea ſermones multi, inconcinni, absque furore. Cantus, riſus : lingua bilioſa & auctior, uti hucusque, veſperi calor, pulſu hodie pleniori, & duro. Sanguis detrahebatur ad uncias quinque, non accuſandus ; noctu, & die inſequente mens ſæpius vacillans.

12. Auguſti alvus nulla : pauca veſperi exacerbatio, at noctu ferox delirium.

13. Auguſti purgans ex manna, & multo cremore tartari frequentes, & copioſos ſeceſſus fecit : remittit furor : per intervalla præſens animus, at intermedio tempore multa locutio, & non ad rem : nulla febris : nox omnium placidiſſima : ſomnus multus, tranquillus, reficiens ; alvus fluens ex eodem remedio.

Inde mentis major indies & ſerenitas, & conſtantia rediit, continuato ejusdem pharmaci purgantis uſu.

26. Auguſti cum ultimis diebus rheo, & amaricantibus ita ventriculo provideremus, ut alvus parcior efficeretur, non flueret profuſa,

 nec

nec clauderetur, ſanus & animo, & corpore ad ſuos rediit.

Sanitatem illi firmam perſtitiſſe, ſerius innotuit.

Diarrhœam bilioſam *repente* ſiſti, ſive id arte fiat, ſeu ſuapte, encephalo inimicum multoties vidi.

Phreniticos & potentiori vomitorio indigere, & tardius, difficiliusque vomere, obſervationes docent.

ÆGER QUINTUS.

Ophthalmia a vitio ventriculi orta, ad veſperam exacerbata, & curato ventriculo ſanata.

Ophthalmiæ peculiari ſpecies. PHILIPPUS Kezler ruſticus annorum 22. ab aliquot jam annis oculorum rubedine dolorifica per intervalla tentatur, dextri præcipue, quem etiam modo albugo maculat. Varia adhibuit, quæ vel ſors obtulit, vel agyrta ſuaſit, vel anicula.

Ab anno aliqua oculorum emendatio. Siniſter vix aliquot opacitatis in cornea veſtigium, dexter vero albuginem exhibet, cui cum ante quinque ſeptimanas unguentum illiniret acre, dolor, rubor, & continua lacrimatio oculum utrumque, validius vero ſiniſtrum prehendit. Cætera ſanus, die 4. Junii Noſocomium acceſſit.

Hirudines pone oculum acutius dolentem adplicatæ, & diſcutiens cataplasma ne hilum profuere.

Per tres ex ordine dies obſervavimus, oculos rubere ſemper quidem, dolere tamen ſtata quoti-

tidie hora, 4. videlicet veſpertina, dolore, longam comitante noctem, & ad auroram profugo.

Nullum cæteroquin ullius veſtigium febris: at linguam flavicans materies obſedit, & faciem totam multa flavedo ſuffudit.

Cum per hoſce dies hauſtus ſalinos aſſumpſiſſet, die 6. Junii e poto emetico multam flavam, & tenacem bilem vomitionibus crebris refudit. Mox ea veſpera dolor oculorum nullus, ſtante rubedine.

8. Junii cum pridie denuo doloris quid, utut perpaucum, veſperi rediret, lingua, & facie bilioſis, iteratum emeticum copioſam denuo bilem excuſſit. Nulla ea veſpera acerbatio, nec ſequentibus diebus. Superſtes indolens rubedo veſicante pone oculum adplicato diſcuſſa eſt.

Cum denuo dolorifica quædam ſenſatio, & lacrimatio reverteretur, nullis collyriis, aut alvi ductionibus profliganda, tertia demum vice emeſis concitata multam bilem eduxit. Inde faciei pallor, & oculorum conſtans ſanitas. Ventriculo amaricantibus, & rheo cautum.

ÆGER SEXTUS.

Parotides.

FŒMINA 38. annorum initio Junii inhorruit, æſtuavit modo erroneo: cibi faſtidium. Elapſo quatriduo parotis ſiniſtra prætumida dimovere maxillas prohibet. Ad nos venienti datum eſt hordei decoctum cum oxymelle, & ſale medio: demum emeticum. Unde bilis plurime flava, & æruginoſa ore, & alvo rejecta eſt: mitior febris, & parotis multo minor.

Parotidum curare.

Emeticum ternis adhuc vicibus repetitum, biduo, triduove ſingulis vomitionibus interpoſito. Copioſa ſemper ανω και κατω educta bilis cum luculento levamine, donec poſt ultimam emetocatharſin & febris nulla fuerat, & tumor nullus.

Alia eodem tempore ad nos venit æſtiva febre detenta cum parotide. Medicinam illi antibilioſam fecimus, & convaluit. At parotis, cum huc veniret, jam pure turgebat: pus mox emiſſum morbum neutiquam ſolvit.

Noſmetipſi coctionem remediis ſolventibus, turbas vero criticas, criſinque & tutam, & morbo parem propinato pharmaco fecimus, quod emeſin una, & ſeceſſum movit: quaternis æque emeticis indiguit.

Emeſin medicamenta ſalina, & rhabarbarina exceperant. Probe vacuatas, & ſine febre: tonica, & ſtomacho amica remedia confirmarunt.

Parotidi increſcenti, nullo adhucdum confecto pure, ſubtrahere nutrimentum ſemper ſtudui, nullum commodum ab ejusdem ſuppuratione, incommodi vero perquam multum aliquoties expertus.

Sola cholera, quam arte concitamus, febrim billioſam cito, & tuto, unaque etiam parotidem ſanat.

Parotides in febre miliari, biliofa, putrida, maligna nunquam vidi criticas, nunquam in Noſocomio primum naſci mea medendi methodo adhibita, ortas vero priusquam ægri ad nos venirent, pure nondum confecto, feliciſſime diſcuti.

Parotidem formato pure plenam ſi quis ad nos abferret, puri utique exitus parari ſectione debuit. Sed ea curatio & difficils fuit, quod partes

tes abſceſſum ambientes induruerint, atque non niſi tarde emollirentur, & ob tardos coalitus plurimum tædioſa.

Clazomenei recordabar, ad Phrynichidæ puteum decumbentis, cui alvo ſubſiſtente *tubercula circa utrasque aures extiterunt cum dolore. At circa trigeſimam primam profluvium alvi ex multis aquoſis, cum ejusmodi, quæ in dysenteria prodire ſolent. ——— Tubercula circa aures ſedata ſunt.* An parotides morbum ſolvant.

ÆGER SEPTIMUS.

Pleuritis bilioſa cum ſputo cruento.

Sartor 20. annorum a tribus ſeptimanis minus appetit: os amarum. Pleuritis, & ſputum cruentum.

9. Junii capite dolet, calet, ſitit: dolor artuum vagus, & amaror oris.

10. Junii acceſſit lateris dextri pungens dolor: alvus nulla: ſomni exigui.

13. Junii omnia exacerbata: rari ſeceſſus, & difficiles: laborioſe tuſſitat: cruenta, meraca ſputat.

14. Junii omnia graviora: ſputa cruenta, copioſa.

15. Junii æſtus, ſitis, inquies: dolent præcordia, maxime dextrorſum.

16. Junii ad nos deportatus dicta ratione febriebat. Tuſſis ſonora erat, & ſputa non amplius meraca, ſed mucoſa lineis tantum ſanguineis diſtincta. Potus ex aqua mulſa, & aceto copioſus, & ad noctem emeticum. Multa glutinoſa, & ſubbilioſa revomuit. Tuſſis perſtat quaſi catarrhoſa: epigaſtrio, & latere multo mi-

tius dolet. Nil ſanguinei in ſputis : ſputa mucoſa : febris pauca : ſapor melior aſſumptorum.

18. Junii omnia multum remiſerunt : vix ulla febris.

20. Junii tuſſis admodum rara : ſputa pauciſſima, mucoſa, & inimpedita ſpiratio : facilis in omnem partem corporis converſio : redire & cibi deſiderium, & vigor corporis cœpit.

Mitioribus ſalinis ſepoſitis, rheo, & amaricantibus corroborantibus paucos poſt dies domum petiit.

Id in anamneſi hic æger habuit, conſimili ſe morbo duos ante annos decubuiſſe : curatum ſe inde, ſed lente, & non ex integro fuiſſe : reſtitaſſe enim ex eo tempore ſiccam tuſſim, & quamdam pectoris oppreſſionem.

ÆGER OCTAVUS.

Pleuritis bilioſa.

JUVENIS 18. annorum, ſartor, 9. Julii alternis vicibus horruit, caluitque. Ad ſternum opprimi ſe per intervalla ajebat : mammam dextram primo more pleuritico doluiſſe, dolore mox per omne thoracis latus diffuſo, aucto inter tuſſiendum, & cum ſpiritum duceret. Lateri ſano facilius incubuit : ſapor amarus : anorexia : aquæ inexplebile deſiderium : mictus ardens : alvus immorigera. Doluit ventriculus ad attactum : lingua villis flavicantibus hirta.

Pleuritis æſtiva.

Hæc morbi conditio ad 14. Julii, quo die nos acceſſit.

Præmiſſis ſolventibus copioſis ſera veſpera vomitorium : vomuit bilioſa : ſæpius dejecit. Noctu lar-

largus ſudor : dolor lateris vix ullus : vix ulla febris.

15. Julii nulla febris, amaror modicus.

17. Julii tinctura rhei aquoſa, cum pauco ſale medio, dein amaricantibus uſus, exacte, & brevi convaluit.

Ad canthum externum oculi dextri pone corneam tuberculum albidum exſtabat, tribus pilis ex ejusdem apice prominentibus, idque a nativitate, & citra viſus læſionem.

ÆGER NONUS.

Peripneumonia bilioſa cum ſputo cruento.

JOSEPHUS Trexler annorum 28. die ultima Maji, cum ex opere murario præter morem incaluiſſet, frigidam hauſit: inde rigor, quem vino, & pipere fugam voluit. At inde thorax ſiniſter mox graviter, & acute doluit: æſtus. Die proximo decubuit: venæ ſectio: non levatur: pectore opprimitur: multum tuſſitat. Dolor fixus circa infimam thoracis ſiniſtri oram, latius ad totum pectus, & ad ventrem diffunditur. Cruenta, meraca copioſa ſputat: oris amaror, & ſtomachi faſtidium. Hæmoptoe bilioſa.

2. Junii ſponte bilioſa vomuit: non eſt allevatus.

3. Junii denuo ſuapte, & ſine levamine amara, & flava vomuit.

4. Junii ad nos delatus eſt. Febris valida: ſputa, dolorque, uti dictum: abdomen attactum refugit. Sanguis miſſus eſt ad uncias decem; cruſta craſſa phlogiſtica, ex alvo flaveſcens,

ſcens, & ſerum viride: ſed ne hilum emendatus.

5. Junii emeticum propinatum flava, & oleo veteri non abſimilia multa excuſſit, minor multo pectoris oppreſſio, lateris, ac abdominis dolor exiguus: ſanguinis perparum in ſputando, & pauca febris.

6. Junii nulla febris: nullum morbi veſtigium.

7. Ex lecto ſurgit: & brevi poſt valetudine confirmata diſceſſit.

Conſtitutionis unius in aliam tranſitus, febresque complicatæ.

Adulto vere æſtati contermino febres inflammatoriæ ſe proripiunt, quibus aliæ ſuccedunt preſſo pede, bilioſæ indolis.

Ea ambarum febrium ſucceſſio non fit repente, ſed ſic, ut inflammatoriæ gradum lente retrahant, quæve ex iis agmen claudunt, cum primo inſequentium bilioſarum exercitu miſceantur, & hæ illarum terga cædant.

Eo tempore utramque non raro, & *inflammatoriam* febrim, & *bilioſam* eodem in homine commixtas offendimus.

In hoc ægro ea febris utriusque complicatio aderat, nam corium ſanguinis phlogiſticum, craſſum, & tenax conſpeximus, *inflammationis* characterem, & *bilem* multam vomitu profuſam. Prævaluit tamen vitium bilioſum.

Methodus medendi febribus complicatis.

Illi hoſti promtius obviam eundum eſt, qui acrius, & periculoſius inſtat. Raro æquali impetu invadunt.

Eo etiam tempore, quod veri extremo, & primæ æſtati interjacet, bilioſæ febres ſanguinem facile ſuccendunt, ut in *hisce* bilioſis *hujus* temporis curam ſanguinis miſſione, etiam iterata, inchoare oporteat. Æſtate vero provecta rariſſimus erit phlebotomiæ uſus.

Quæ anni pars autumni extremam oram prin-

principio hyemis nectit, hoc impar bilis cum phlogoſi connubium quotannis videt; ea enim tempeſtate ventriculi hominum magis calidi, & æſtivis ardoribus, quibus reſolvebantur, per autumnum extinctis, valentiores effecti efferatam hucusque bilem coërcent, ſubiguntque, ut multo rariores hoc tempore morbos faciat, atque ejus perſepæ generis; quibus aura frigidor plus, minusve inflammationis adſpergit.

Hinc ver adultum, & autumni poſterior portio utriusque partis primariæ anni, æſtatis nempe, & hyemis, utrinque quaſi fibula erit, morbique ex vitio æſtivo, & hyemali conflati utrumque hunc temporum contrariorum nexum notabunt, ſi modo omnia tempeſtive, atque ex ordine obveniant.

Ea temporum annua ratio neminem fugere medicorum impune poteſt, cum *ex anni temporibus morbos conjectare* aſſerente Hippocrate detur.

Sed & humores, quibus anni temporibus efflo-reſcant, noſſe oportet, & quosnam in ſingulis morbos efficiant, & quasnam unoquoque in morbo affectiones pariant. Hipp. de humoribus c. 3.

ÆGER DECIMUS.

Cholera: pleuritis bilioſa: ſputum cruentum.

MERCENARIUS viginti & unum annos natus ante triennum æſtate acute ægrotabat, ſanus poſthac. Cholera: cruenta ſputatio &c.

Die 16. Auguſti mane bihorio riguit, dein æſtuavit: mox pectoris oppreſſione, crebra tuſſi, &

& punctorio penes mammam ſiniſtram, ac gravi dolore corripitur: decumbere cogitur.

17. Auguſti æſtus, anorexia: decies ſponte vomuit, amara, viridia: ſepties dejecit.

18. Æſtus, vomitus, ſeceſſus, ut pridie: noctes inſomnes: dolor lateris, & tuſſis incrementa capiunt: cruenta ſputat.

19. Æſtuat valide: ſeceſſus frequentiſſimi, ſepteni ſpontanei vomitus, ſemper bilioſi: ſputa ſubinde cruenta.

20. Auguſti febris: quater vomuit, noties dejecit: pauca ſanguinea ſputavit: inſomnis, & hucusque omni remedio deſtitutus.

21. Auguſti, quo nos acceſſit, mane ſepties vomuit: caluit valdopere, pulſu forti pleno, duro, accelerato: facies flaveſcens: lingua reſiccata: ſpiritus difficilis: decubitus ſupinus, tolerabilior tamen in effectum potius, quam ſanum latus: dolor lateris acutus, inſpirando, tuſſiendo, & ad attactum auctus: diarrhœa: tuſſis plurima: vomituritio ad aſſumpta: ſputa glutinoſa, & veluti ærugine tincta, ſapore amara, intermixtis quibusdam ſanguineis: potus largi ex hordei decocto, & oxymelle.

22. Auguſti oppreſſio, tuſſis dolorque major, alvo, & emeſi ſilentibus. A meridie dato emetico vomuit, amara, glutinoſa, multa, modiciſſime flava cum ingenti, & momentaneo levamine. Etenim nullus prorſus lateris dolor: oppreſſio nulla: pauca ſputa, & absque ſanguine: nulla febris: lingua humida, pura: non dejecit.

Uſus poſtmodum remediis leniſſimis, ſalinis, & pauco ſtibio ad finem menſis usque, & demum amaricantibus contra relapſum probe communitus diſceſſit.

Hæ-

Hæmoptoen *bilioſam* dari, eamque menſibus æſtivis ſubinde perfrequentem, emunctæ naris obſervatores norunt. Ea res medicorum attentionem adhucdum deſiderat, & praxin hæmorrhagiæ pulmonali hucusque opponi ſolitam omnino reſpuit: phlebotomia, iterata præcipue, male cedit, & quæcunque remedia alias hæmoptoes ſpecies apte levant, ſanantque, hanc, de qua nunc ſermo fit, exacerbant. Peculiaris ſpecies hæmoptoes frequenter obſervata.

Hæmoptoe *bilioſa* bilioſæ febris ſymptoma plerunque eſt, quemadmodum exempla recenſita monſtrant. Sed etiam absque febre, manifeſta ſaltem, copioſa, cruenta, meraca ſputant, haud tamen abſque ſignis præcordiorum bile turgentium, utut febre careant.

Æſtas, & ſordium bilioſarum notæ, ſi quas in aliquo ſanguinem ſputante obſervaris, & nulla alias alio tempore hæmoptoes in eo homine conſuetudo, ſique ea conformatio corporis abſit, quam cruenta ſputatio primum, dein phthyſis tenet hæmoptoes *bilioſæ* ſuſpicionem tibi jure movebunt. Ejus ſigna diagnoſtica.

Emeticum æque certo, & cito hanc hæmoptoen ſiſtit, etſi largiſſima ea fuerit, ac illud cardialgiam, aut ructus pravos, aut nauſeas quaſi momento abſtergit, ubi ventriculum cruditas læſerit. & medela.

Fuerunt non pauci, qui vomitione prima vix abſoluta ne guttulam ſanguinis amplius rejecerunt. Quibus ea felicitas non obtingit, id ſaltem ſolaminis obtinent, ut & perpaucum cruoris, & breviſſimo tempore poſt vomitum ſputent, ſani poſthac, ubi ſtomachicis, & amaricantibus œconomiæ gaſtricæ ſubvenerint.

Aſſerti veritatem nos ſola obſervatio docuit,

da,

fida, & caſta, & innumeris vicibus in Noſocomio capta.

Emetica noſtra non ſolam emeſin, ſed etiam alvum movent, & ex ſcrupulis duobus, aut drachma rad. ipecac. & grano uno, raro duobus tartari emetici componuntur.

Subinde alvum ducere præ vomitu placuit, verum rariſſime hæc purgatio profuit. Etiam hic evictum vidi, purgantia vices emeticorum ſubire haud poſſe.

Lætus recordor juvenis, quondam Turcæ, nunc Sacris Chriſtianis initiati, qui menſe Julio anni 1776. ex febre bilioſa, & largo ſanguinis ſputo decubuit. Cum homini fluxum ſanguinis ex pulmonibus actu patienti emeticum præſcriberem, idque in præſentiarum facto opus eſſe aſſererem, qui mecum fuerant, me quaſi aliena loquentem intuebantur, & quis rerum foret exitus, clam avidiſſime exſpectabant, haud clementius forte actum iri cum ægro rati, quam ut purpuream una cum bile animam evomat. Sed en! vomuit æger αμοργην multam, & ſanguinis ne ſtria comparuit, jugulata febre.

Vulgatior poſtmodum obſervatio admiratione carebat.

ÆGER UNDECIMUS.

Pleuritis bilioſa, gravis admodum, ſeu maligna.

Pleuritis maligna. MUSICUS 26 annorum ante triennium ex pleuritide in Noſocomio convaluit, ſanus poſtea.

Initio Junii oris amarorem queritur, faſtidioſus, nauſeabundus, vomituriens abſque vomitu,

tu, aliena, fœtidaque ructans, ſanus cætera, & obambulans.

Die 15. Jun. æſtu prehenditur, & dolore pleuritico per totum ſiniſtrum thoracis latus diffuſo, inſpirationibus acutiore, & contiguum quoque humerum lancinante. Tuſſis, cephalalgia: in latus affectum difficilius cubat. Veſperi omnia deteriora: ſeceſſus copioſi, frequentiſſimi: ſomni tenues, turbati: urinæ mordaces.

16. Junii horridus erratice, per vices incaleſcens, quater ſuapte flava, viridiaque vomit. Latus acutius dolet: decumbit: ſuo conſilio ſanguinem mittit: nil levatur. Diarrhœa.

17. & 18. Junii aſſidui calores: vomitus, ſeceſſus, uti pridie: multa ſitis.

19. Ad nos deportato caput temulentum erat, grave, dolens: ſapor amarus, os mucoſum: ructus fœtentes, putridi: lingua quaſi byſſo flaveſcente obveſtita; ad radicem ſicceſiens: vomendi deſiderium ſine vomitu: thorax anterior inde ab jugulo totus, & epigaſtrium gravi quaſi pondere opprimebatur. Paulo mitior lateris, ac antea dolor, mitior & humeri. Tuſſis: ſputa pauca: alvus cita: faciei color luridus, cum virore flaveſcens: calor: pulſus fortis, plenus, naturali modice citatior: ſitis.

Veſperi graviſſima præcordiorum oppreſſio: anxietas: jactatio: ſputa pauca, cruentis tincta. Sumto per diem largo ſolvente potu, veſperi emeticum exhibebatur. Vomuit inde multa, tenaciſſima, amariſſima. Nox melior: alvus compreſſa: nullus humeri dolor & exiguus lateris; atque ita diei ſequentis dimidium commodius, ac hucusque tranſegit.

Verum à meridie diei 20 Junii febris increvit

vit pulſo duro, & citatiori, quam pridie. Redit ingens præcordiorum oppreſſio: laborioſa reſpiratio dolore lateris non aucto: meteoriſmus: diarrhœa: mens vacillans: tuſſis frequentior, & cruenta ſputatio. Ea veſpera ſanguinis phlogiſtici corio craſſo, non contracto, flavicante contecti cum ſero viridi, unciæ quinque detrahebantur. Nox laborioſa: ſingultus: diarrhœa.

21. Jun. cum alienis humoribus, pituitoſis, & bilioſis ventriculus, & inteſtina ſcaterent, & eorum ingens copia jam ultra vias primas progreſſa in pulmones impetuoſe, ac confertim irrueret, id facto opus eſſe arbitrabar, ut & ventriculum, ac inteſtina præprimis, ad quæ materies profundius deſcenderat, cito repurgarem, & pulmones præ humorum turgore propemodum ſuffocatos quantocius expedirem. Hinc potum exhibui frequentem, & leniter ſalitum, qui ventrem eluat.

Poſt ſanguinem miſi paucum duntaxat, ad uncias ſex ſolum, ut pulſu duro, validoque remiſſiore facto, & vacuato parumper ſanguifero ſyſtemate irretita pulmonibus materies extricetur, ac libera meet.

Canon in metaſtaſibus obſervandus.

In omni alienæ materiæ ad viſcus aliquod periculoſo decubitu inter alia ſpectare præprimis ſoleo, an hærens alicubi materies moram idcirco faciat, quod vis vitæ nimium dejecta molem ulterius promovere haud potis ſit, quo in caſu veſicantia, & cardiaca promtam ſæpenumero opem ferunt; vel vero, an *valentibus adhuc vitæ viribus* hoſtilis materies tumultuarie impetum, & pleno agmine faciat. Hoc rerum ſtatu urgere vires cantharidibus, aut ſtimulis quibuscunque aliis haud conveniret. Hic potius irruenti hoſti ce-

cedendum paulisper eſt, & amplianda ſpatia, ne intra anguſtias concluſus, ſibi ipſemet exitum præcludat. Hic ſanguinem demo, cauta utique manu, & parce, & per vices: & demum potu, fotuque emolliente vias conor expedire.

Id maxime in metaſtaſi ad pulmones, & ad caput facta, plena diſcriminis utraque, facere conſuevi. Delicatiſſima in praxi medica ea res eſt, ubi ob periculum ſumme præceps in arena conſilium capiundum. Verum quemadmodum in multis aliis, ita etiam hocce in caſu evidentes canones ſtatui non poſſunt, quos omnis, & facile intelligat. Prudens omnium, quæ ægrotum ſpectant, & adcurata æſtimatio, quam uſus artis aſſiduus, varius, judicioſus, multaque meditatio compararunt, agendorum in re præcipiti rationes ſecurius ſuppeditabunt.

Perſtitit eo die & alvi frequentia, & reſpirationis labor, & anacatharſis cruenta? ſingultus per vices: at die.

22. Jun. non ſingultit: omnia paulo mitiora.

23. Jun. caput, ſapor, decubitus emendata. Eadem tuſſis cum ſputis glutinoſis, non cruentis: lingua viſcida, villoſa. Tuſſiendo, & inſpirando totum epigaſtrium dolet. Dolor lateris multo minor. Seceſſus frequentes, virides, tenues, immixtis quibusdam duris, exiguis, ſcybaloſis, quaſi caprillis. Continuantur potiones ſalinæ. Calor, & pulſus ferme ut ſano homini: lotium bilioſum.

24. Jun. commode habet. Alvus heſterna: epigaſtrium vix dolet.

25. Latus perparum dolet. Fæcum alvinarum viror ſaturatus: ingens copia earundem, & frequenter prodit, glutinoſis multis immixtis, & tremulis, ſperma ranarum æmulentibus. Lin-

gua purior, quam præteritis diebus, pauca tuſſis: ſputa glutinoſa: vix veſtigium febris.

Sali polychreſto modo ſal ammoniacus, modo ſtibium diaphoreticum non ablutum jungebatur. His alvo mota, tuſſis & ſputa conquieverunt. Rediit appetitus, & vigor corporis, ut poſt initium Julii per omnia ſanus ad ſuos redierit.

Pleuritis biliosa, putrida, maligna, peſtilentialis.

Qui pleuritidem bilioſam, putridam, malignam, peſtilentem adſtruunt, non diverſas re-ipſa pleuritides deſcribunt, ſed varium ſolummodo ejusdem morbi gradum, & varium diſcrimen.

Bilioſus humor acrimonia peculiari deſtitutus pleuritidem generabit ſimplicem *bilioſam*; copioſus vero, & acerrimus, & vim vitæ proſternens, & ultra vias primas multum digreſſus, *malignam*, ac tandem *peſtilentem* producet.

Quomodo pleuritis biliosa in malignam convertatur.

Pleuritides vidi omni nota in initio ſimplices *bilioſas*, quas, qui non noverant, repetitis phlebotomiis *malignas* reddidit.

Pleuritidi huic, cujuscunque illa intenſionis fuerat, eam medendi methodum oppoſui, quam in ſimplici vel bilioſa febre, vel putrida, vel maligna utilem per obſervata numeroſa noveram.

Et methodus medendi tunc conveniens.

Propinaram remedia ſolventia, & ſalina, quibus emeto-catharticum ſubjunxi. Denuo ſalibus mediis mitioribus alvum blande ſubduxeram.

Hæc methodus in ſimplici bilioſa pleuritide votis reſpondit.

Corticem peruvianum, camphoram, veſicantia, factis primum ventriculi & inteſtinorum evacuationibus, & per accidens utilia eſſe exiſtimabam, atque eo in caſu ſolum, quo corruens vita fulciri cardiacis debet.

Mala malignitatis notio.

Malignitatem pleuritidis haud rite edocti ſunt, qui ubi phebotomo exaſperari morbum vident, mox,

mox, neſcio quam ſanguinis putredinem delirantes, ad antiſeptica ex claſſe præcipue ſtimulantium repetita confugiunt.

Hi *vocabulorum*, quibus ars utitur, notionibus contenti, illas *rerum* vilipendunt.

ÆGER DUODECIMUS.

Febris rheumatica, originis bilioſæ.

18. Annorum Juvencula ante menſem ex eryſipelate decubuit, quo apud nos brevi depulſo cæterum ſana fuit, niſi quod ad hoc usque tempus frequenter capite doluerit. Febris rheumatica.

Die 20 Maji non appetiit, capite magis doluit, caluit, friguitque altérnis vicibus, & copioſe ſudavit. Mox & lumbos, & crura dolor quaſi ab acri rheumate prehendit. Tumor dolentiſſimus circa malleolos, & dextrum genu, cute non diſcolori. Dolentium artuum motus impoſſibilis: inſomnis.

21. Maj. æſtus aſſidui: omnia exacerbantur.

22. Omnia, ut heri: ablata vel minima crurum absque ſummo cruciatu movendorum facultas. Sudores largi: nullus ſomnus.

23. Maj. eadem. Ad Noſocomium deportatur, genis, quin tota facie intenſiſſime, & quaſi ex illito ſaturariori fuco rubentibus, valide æſtuans, & pulſibus plenis, fortibus, duris, multum acceleratis. Lingua puriſſima, nullus pravus ſapor, nec ullum ventriculi incommodum.

Fit larga venæ ſectio. Sanguis venæ ſectione eductus vix aliquid rubræ portionis, plurimum vero cruſtæ lardaceæ, craſſæ, flaveſcentis,

tis, tenacis, diffuſæ, & absque aſſurgente, quemadmodum alias in pleuriticis ſolet, per circulum margine fimbriato. Dorſum utriuſque manus, & carpi tumere, & acutiſſime dolere cœperunt, atque hi quoque articuli immobiles fieri. Duo a venæ ſectione veſicantia ad ſuras poſita ſunt. Augetur febris, dolorque, qui per totum brachium utrinque diffunditur. Plurimus ſudor: absque ſomno.

24. Maj. omnia eadem. Emeticum. Vomuit bilioſa, amurcoſa, mucoſa, quam plurima: frequenter dejecit. Per aliquot ab emeſi horas dolor fere omnis ſiluit, qui tamen noctu denuo revertebatur, priore vis benignior, ſomnumque copioſos inter ſudores prohibens.

25. Dolor priſtinus, articulorum præcipue: nox inſomnis.

26. Maj. propinato emetico plurimam denuo *αμωργην* refudit. A vomitu luculentum levamen per longius tempus experta eſt: nondum dormivit: minus tamen artubus ea nocte doluit, eosque habuit paulo expeditiores.

27. Tumor, dolor, immobilitas recruduerunt. Qui eo die meas abſentis vices expleverat, venam ſecuit, & libram ſanguinis eandem, uti nuper, cruſtam phlogiſticam exhibentis eduxit. Nullum prorſus a phlebotomia levamen.

28. Exhibitum mane emeticum. Vomitus copioſus, bilioſus, indeque minor articulorum tumor: vix ullus dolor, & artus multum mobiles per totum diem: aliquis ſomnus.

29. Rediit dolor, etſi minus, quam antea ſævus. Artus minus ac heri obediunt. A meridie copioſam, & oleoſam bilem propinato vomitorio rejecit. Inde plurimum levabatur: dormivit.

30.

30. Omnia magis emendantur.

31. Maj. vix adhuc aliquis articulos ſubinde dolor pungit. Vix ullus tumor : mortus artuum expediti.

1. Junii mane omnia bona. A meridie ardor ventriculi : cætera bona.

2. 3. Junii omnia bona.

4. Rediit nocte præterita ventriculi ardor. Malleolos dolor invaſit. Mox dato vomitorio, multisque bilioſis, & mucoſis eductis bene iterum per omnia ſe habuit.

Ex eo tempore uſa eſt tinctura rhei aquoſa pauco ſale medio armata, ut alvus facilis maneat, & educendis, quæ adhuc ſuperſunt, aut de novo naſcuntur, bilioſis ſordibus idonea.

Temporibus inter emetica mediis medicamenta ſolventia, ſalinaque præſcripſimus, quæ fomitem morbificum præparent, *criſim artificialem* paulo poſt hauſto emetico ſubiturum.

Poſt ſingulum vomitorium ægra *manifeſtum* levamen, & *ſtatim* ſenſit : copioſa ſemper, & flavo-viridia revomuit.

Etſi altero plerumque die dolor reverteretur, mitior tamen ſemper rediit, & longioribus intervallis, donec tandem fugam penitus capeſſeret.

Poſt ſingula vomitoria intenſus ille faciei rubor multum remiſit, donec in pallorem ſatisceret ὑποχλωρον quem convaleſcens retinuit.

Artus expedite poſtea omnes movit, nec illud moleſtiæ reſtitarat, quocum multos *febre rheumatica bilioſæ indolis* diutiſſime conflictatos novi, qui aut nulla prorſus ratione, aut nonniſi laborioſe brachium ad oculos usque attollere queunt, humeris utpote acutiſſime dolentibus. Sæpenumero, etſi hæc febris deferbuerit, di-

gitorum quædam obliqua diſtorſio fit, eorumque articuli grandeſcunt.

At nullum in hac ægra *hac* methodo percurata vel doloris, vel deformitatis veſtigium remanſit.

Ad morbum hunc frequenter mihi viſum, & obſtinatæ pertinaciæ toties incuſatum quam maxime moroſus acceſſi. Sed longam alias infirmitatem promta & efficax medicatio ſpe citius corripuit.

Tumorum quorumdam in febre bilioſa geneſis.

Obſervationibus certis edocemur, tumores dolorificos articulorum, parotidum, ſubmaxillarium glandularum, locorumque pone apophyſes maſtoideas, glandularum colli, & thyroïdeæ, tonſillarum &c. excitari a vitio procul remoto, ſyſtematis gaſtrici videlicet, eoque bilioſo. Ea res difficiles explicatus habet; ſed ſufficiat, obſervationes habere certas, etſi earum nos ratio fugiat.

Quem ejusdem febris ſymptomata varia ludi faciunt, ut iisdem variam quoque tanquam totidem diverſis morbis medicinam applicet, næ is ramuſculis amputandis inanem operam inſumit, arboris radice non evulſa.

Cuncta me eo perduxerunt, ut morbum hunc inflammatoriæ potius, quam bilioſæ originis exiſtimarem. Sed falſam hanc opinionem fuiſſe, a poſteriori, ut ajunt, certo conſtitit.

Rubor bilioſorum.

Faciem prærubram, ac quaſi minio pictam in bilioſis frequentiſſime video. Verum etſi intenſa rubedine genæ micent, qua tamen ad oris labiorum commiſſuram, & narium pinnas procurrunt, ruborem pallor excipit ex flavo vireſcens. Hunc oris habitum, præcipue ſi & ſplendor quidam oculorum, quaſi lacrimis innatantium, accedat, adeo pro ſigno genuinæ in-

inflammationis non habui, ut eum inter potiora diagnoſtica redundantis intra præcordia bilis repoſuerim.

Ea res adeo obvia, uſuque trita eſt, ut, qui faciem ea, qua dixi, ratione coloratam inſpexerit, inſidentem abdomini bilem certus hariolетur. Diagnoſin ſecuriorem reddit exporrectæ linguæ tremor, tremulaque inferioris labii inter loquendum micatio, quemadmodum pueri, præceptoris auſteri verba timentes, & dubii, qua ſe ratione purgent, excuſationem prolaturi, ſolent labiis micare. Lingua flaveſcente veluti byſſo obducta diagnoſin corroborat.

Verum in hac, de qua loquimur, puella, utut facies veluti ribeſiorum ſucco illita rubuerit, is pallor tamen defuit penes nares, & labiorum concurſum. Defuit etiam & linguæ, qualis in ſanis ſolet, puriſſimæ, & inferioris labii tremor.

Hinc *rheuma inflammatorium* in initio reputavi, idque eo confidentius, quod cruſtam viderem in emiſſo ſanguine craſſam, tenacem, non contractam, & qualis eſſe rheumaticorum amat. Sed nullum a venæ ſectione levamen, quin dolorum augmentum potius, item ipſe cruſtæ phlogiſticæ color, non albicans, ſed qui ex flavo leviter vireſcebat, aliique eo tempore morbi, indubitato bilioſi, veram mali indolem docuerunt.

ÆGER DECIMUS TERTIUS.

Febris priori ſimilis.

Rheuma bilioſum. JUVENCULA 22. annos nata die 22. Maji friguit, caluitque alternis vicibus. Supremum ſternum dolore pungente dolet. Non tuſſit.

Die 23. dedolatio: dolor per muſculos coxæ laterales: non appetit, nauſeabunda. Os ſumme amarum: frigoris, calorisque viciſſitudines.

24. Maji decubuit. Intenſa ſitis. Dolet utrumque genu. Veſperi dorſum, lumbi dolore vexantur, quaſi dilacerante per utriusque femoris utramque faciem, internam videlicet, & externam ad usque malleolos procurrente. Nox inſomnis: febris, uti pridie.

Die 25. heſterna omnia exacerbata ſunt. Accedit tumor pedum, maxime ad malleolos, ad attactum dolentiſſimus, & ſanæ cuti concolor: articulorum pedis immobilitas: inquies ſumma: febris multa: clamor, ejulatus: ſomnus nullus.

Die 26. carpi manuum intumuere tumore dolentiſſimo, concolori, quive elapſo bihorio evanuit: cætera, uti pridie.

27. Tota die æſtuavit. Nulla emendatio.

Die 28. ad nos deportatur. Lingua reſiccata: cardialgia attactum refugiens: genarum rubor cum pallore circa labia, & nares flaveſcente: formicatio per artus ſuperiores: pedum, manuumque tumor concolor, multum dolens, & omnem motum prohibens. Dolores dorſi, artuumque inferiorum rheumatici, noctu gravio-

res,

res. Pulſus fortis, plenus, durus. Cætera, uti antea. Sumit ſolventia ſalina.

26. Maji ſumpto emetico ſemel, & pauca vomuit, ter dejecit. Nil emendatum.

30. lingua humida, bilioſa: reliqua non levabantur. Hauſto denuo a meridie emetico paucam amurcam vomuit, decies dejecit. Continuantur potiones ſolventes, ſalinæ.

31. Maj. artus, præterquam femur dextrum jam non dolent, non tument, aliquantulum mobiliores ſunt: continuus ſudor. Continuantur remedia ſalina. Os impurum. Omnia multum mitiora.

1. Junii ob oris amaritiem, & prementem dolorem ventriculi, & ſymptomatum priorum reliquias hauſit emeticum. Inde bina vomitio, & quinque ſeceſſus. Artus multo mobiliores mox a vomitu: lingua albida: ſapor bonus: dolor levis, obtuſus, artus per vices oberrans: multus ſudor. Cætera emendata.

9. Jun. protacto ſalinorum, & potentius poſtea ſolventium uſu, additis demum ſtomachicis, ex integro convaluit.

ÆGER DECIMUS QUARTUS.

Colica pituiſo-bilioſa.

JUVENCULA 24. annorum, laxioris compagis, Colica.
& quæ menſtruas purgationes admodum copioſas, & per multos dies patitur, die 9. Aprilis, cum catamenia per ſeptem jam dies liberaliſſime fluxerant, ſubito, & absque nota cauſa, & perſiſtente adhuc eodem menſtrui ſanguinis effluxu, valido totius abdominis dolore corripitur, quod

 ſen-

ſenſim intumeſcit contrectari penitus impatiens. Tuſſitabat ex ſtomacho, multum & aſſiduo dolente, ſed plurimum ſub ipſa tuſſi. Sputa pauca, glutinoſa, & vireſcentia: pectus liberum.

Mollitudinem hypochondrii dextri dolor acutus tenuit, inſpirando increſcens. Decubitus in ſiniſtrum latus difficilis, ob ſenſum ponderis circa præcordia quaſi ſiniſtrorſum labentis, & inſpirationem prohibentis. Febris.

Cum extra Noſocomium decumberet, medicum accerſivit, qui enemate frequenti, emolliente fotu ad totum abdomen, venæ ſectionibus repetitis, & veſicantibus dolorem colicum compreſſit, eo tamen perſtante, qui hypochondrium dextrum affecerat, & decubitu in lævam difficili. Cardialgia aſſidua, & flavicans a paſtu facies: artus quaſi ab rheumate dolebant. Dedolatio: lingua poſt ſomnum flavo-vireſcens: oris amaror. Ita obambulans ægritudinem tulit.

9. Maj. redeuntibus denuo catameniis & copioſis, & diutius jam fluentibus eadem ratione, uti menſe prægreſſo, ægtotare, ſed validius cœpit. Remedia eadem, idem eventus, eædemque ſufflaminati potius, quam curati morbi reliquiæ, attamen multo graviores. Acceſſit & crurum œdema.

9. Jun. prægreſſo per biduum cruento ſputo, horripilationibus, & levi per vices dolore colico, rediere menſtrua & plurima, & per multos dies. Catameniis demum ceſſantibus æſtuare cœpit, ventriculus magnopere dolere, & inflari.

Die 17. Jun. hauſta largius cereviſia: dolor abdominis: jactitatio, & nox inſomnis.

Al-

Altero die (18. Jun.) omnia graviora. Veſperi ad nos venit. Oris multa pituita, & amarities: lingua, & abitus faciei, uti in bilioſis: ſpirandi difficultas cum tuſſicula crebra valde, & ardore infimi ſterni. Cruciatus in toto abdomine, inflato, tenſo, immitis, ut manum contrectaturam vel a longe reformidarit. Calores: acutus hypochondrii dextri dolor, decubitusque in latus oppoſitum perquam moleſtus. Plurima anxietas præcordiorum, & lamenta. Pulſus fortis, plenus, naturali celerior.

Sanguinem detraxi ad uncias octo, læte rubentem, ubi coiverat; & emollientia ore, atque alvo ingeſſi, & externo ventri adplicui, quin vel hilum levaretur.

19. Priora perſtant, quibus vomituritio, & difficilis, parcus, pituitoſus, & pauciſſimæ bilis vomitus ſuapte jungitur. Venter a quatriduo nil reddidit, utut enemate multiplici aut emollitus, aut irritatus. Hauſtum ſalinum revomuit cum vix ullo levamine. Veſperi aſſumpta dimidia drachma radicis ipecac. cum grano uno tartari emetici copioſam pituitam vomuit, alvum octies poſuit, multum allevata.

20. Junii omnia multo mitiora.

24. Hucuſque uſa multis ſalinis, quæ & pituitam inciderent, & inciſam foras ducerent, appetere cœpit.

25. Jun. aliquis hypochondrii dextri dolor, & abdomen tumidulum: emeticum: vomitus plurimæ pituitæ, & levamen. Sumit ſalina cum rheo, & amaricantibus.

30. Jun. dentes ſordidi, limo obducti: fauces multo tenaci muco refertæ. Emeticum. Seceſſus, vomitus pituitoſi cum aliquo levamine.

Data

Data poſtea ſunt ſalina, rhabarbarina, amareſcentia: frictiones abdominis.

4. Julii ob preſſionem ad cardiam, & linguam villoſam, ſordidamque denuo emetico propinato facile, & multo cum levamine pituitam vomuit, & dejecit. Subjuncta ſtomachica ſunt cum ſale ammoniaco. At tertio poſt die abdomen denuo dolere acerbe cœpit, os ventriculi morderi, & pectore opprimi, ſputaque ichthyocollam æmulantia copioſe educere. Mox purgans ex manna, & multo ſale medio, & tartari cremore per epicraſin exhibui.

Eodem remedio uſa pluribus diebus eſt. Alvo multum, & crebro quotidie fluente bene valuit: donec:

Die 13. Jul. ventre a biduo parcius reddente, oris amarorem, & muci redundantiam de novo quereretur, cætera pulchre ſe habens. Hinc aſſumpto emetico ingentem amareſcentis pituitæ copiam, pultem potius diceres, revomuit.

Infuſo rhei, ſalibus mediis, ſtomachicis amaris, ambulationibus, vino, & abdominis frictione validiori relapſibus cavebatur.

Circa finem ejus menſis ad ſuos rediit ſana, ventriculoque præprimis, & inteſtinis egregie valentibus; etſi maluiſſem, ut curam confirmatoriam diutius protraheret, & laxam antea corporis compagem corroboraret validius.

ÆGER DECIMUS QUINTUS.

Colica priori ſimilis.

34. ANNORUM fœmina, novem prolium mater, ſæpius dolores colicos experitur, plerumque mitiores. Guſtu caret a longo tempore. Auctu illi catamenia fluunt. Dolores abdominis.

Die 17. & 18. Junii dolore rheumatico artuum corripitur. Accedit acerbus totius abdominis cruciatus, per vices intolerabilis, ſcindens, ardens, contorquens. Amaror oris: faſtidioſa, vomituriens, vomensque ſponte, frequenter, pituitam ductiliſſimam, vireſcentem, amareſcentem, alvo compreſſa: difficulter obambulat: non dormit: inquis multa: lamenta.

20. & 21. Jun. non vomit. Reliqua omnia deteriora ſunt. Abdominis tumor, & intercurrens, crebrave horripilatio: calores modici: ſudor, anxietas, & nox inſomnis.

22. Jun. huc venit. Lingua herbacei coloris: nigricans faciei flavedo: vomendi deſiderium, & abdomen vel leviſſimæ contrectationis impatiens, dolentiſſimum, dolore per intervalla, & frequenter, mirum quantum exaſperato: ejulatus: decubitus ſupinus, & ob dolores quocunque alio in ſitu atrociores, non mutandus. Plurima febris, plurima ſitis. Lotium parcum, ſtrangurioſum: Seceſſus nulli. Reliqua perſtant.

Eo die potiones ſalinæ, & aqua mulſa copioſa dabantur. Inſomnis.

23. Epoto emetico multa mucoſa, viridia, amara

amara ore refudit : aliquoties dejecit. Inde levamen non modicum : ut rudioris etiam attactus in epigaſtrio major patientia. Mixtura ſalina : ſomni pauci.

24. Jun. propinato vomitorio heſternis ſimilia vomit, dejecitque cum levamine evidentiori. Febris modica : facilior mictus : ſomni laudabiles, & , quodcunque in latus vellet, decumbendi facultas. Mixtura ſalina.

25. Alvo hodie denuo ſponte cohibita dolere abdomine, & febrire, uti antea, cœpit.

26. Heſternis jungitur oris amaror, & pituita.

Purgans ex manna, arcano duplicato, & cremore tartari unam emeſin bilioſo-pituitoſam, & ternos ſeceſſus movit. At major amarities : vomituritio crebra. Hinc a meridie denuo vomitorium exhibebatur. Inde ea veſpera, noctuque plurima pituitoſa, æruginoſa revomuit : ſeceſſus pauci. Inſigniter allevata eſt. Somni exigui, & cum inſomniis.

28. Juin. alvo ope mannæ, & ſalium mediorum, acidorum, frequentiſſime mota, ſapor, abdomen, & lotii aliqua adhuc difficultas, & febris multum emendabantur. Somni laudabiles.

4. Julii. Hucusque manna, & ſalibus ita uſa eſt, ut alvus lubriciſſima fieret, & doloris in abdomine aliquam portionem ſingula dies aufferret. Doluit enim quotidie & multo minus, & multo rarius, & ne vix quidem. Febris a quatriduo ne veſtigium : dormit.

Infuſo rhabarbarino, elixirio nobis dicto *ſtomachico temperato*, & exiguis, ſed frequenter petitis rhabarbari doſibus, vino, corporis exercitatione, ventrisque frictionibus egregie, & cito convaluit.

Utut

Utut intolerabilis ferme dolor ægram cruciaret, nunquam tamen narcoticis indigui, cum emeto-catharſis ſpem nunquam falleret, & dolorem, ſubducta ejusdem cauſa, tolleret. Sic incendium reſtinguebamus, amoto, quo alebatur, nutrimento.

Nec curationem phlebotomia exordiebamur, cum nulli obtingerent, quibus ſanguis redundarat, & id medelæ genus nec bilem, nec pituitam exterminet, malorum originem. Sed & ægris noſtris vis chymo & chylopoetica plus æquo elanguerat, ut idcirco phlebotomiæ nulla fuerit utilitas reperta, elaterem nempe fibrarum jam nimis remiſſum, enervantis magis.

Proderit venæ ſectio, quibus aut ſanguis turget, ut genuinæ ſimul inflammationis metus ſit, aut quorum abdomini vera jam phlogoſis inſidet; ſed hujus generis non habuimus.

Animum in id quam maxime intendi, ut dignoſcerem adcurate, verane hominem *enteritis*, an *ſpuria*, *bilioſaque* teneat, an utrumque vitium juncto marte. Ea res graviſſimi momenti nobis erat, & anfractuoſæ ſubinde indaginis. Etſi enim & *enteritis*, & *colica bilioſa* perpulchre ab autoribus rei medicæ deſcripta fuerit atque utraque ab ſe invicem exacte diſcriminata, tamen in ipſa artis exercitatione alter morbus pro altero ſæpenumero imponit, non novitiis tantum, ſed & uſu valentibus, & veteranis, at quanto cum ægrotantis diſcrimine! Quid enim, ſi inflammato forte abdomini emeto-catharticum ingeras, ubi univerſo potius antiphlogiſtico apparatu opus fuerat? aut quid, ſi ventrem pravis ſuccis turgidiſſimum, neſcio quibus & oleoſis, & mucilaginoſis magis oneres, materiemque re-

Cautela in doloribus colicis.

reperitis venæ ſectionibus per univerſum corpus diſpendes, & vitæ peſſumdes vim?

Horum probe gnari exquiſitiori ſollicitudine cavimus, ne loco *antiphlogiſticæ* methodi *antibilioſam* adhibeamus, aut vice verſa.

Hinc ſedulo inquiſivimus; an æger ſæpius alias doloribus colicis laborarit alvo præcipue tardiori facta, aut commiſſo diætetico vitio, aſſumptis carnibus pinguioribus, durioribus, fumo & ſale duratis, lacte, caſeo, &c. An ante morbum præſentem ex febre quadam intermittente, aut remittente ægrotarit, neglecta, cortice peruviano intempeſtive ſuppreſſa, aut non protracta poſt morbum bilioſum confirmatoria cura?

Sed & anni tempus, & morbi congeneres, & ſigna illuviei in ſyſtemate gaſtrico aliunde jam nota, & alia quædam, quæ uſu diſci, ſed verbis exprimi nequeunt, nobis tutam morbi diagnoſin ſuppeditarunt.

Urinæ difficili, ſtranguriæ, iſchuriæve hunc morbum non raro comitanti, nec oleum, nec ullæ mucilagines, nec diuretica quæcunque medentur, ſed emeto-catharſis, & fluens alvus. Id cum mea, tum aliorum obſervationibus edoctus aſſero.

Vomitus ſpontaneos, difficiles, non levantes, creberrimos, jugis aquæ mulſæ, ſalitæque potus, & ſubjuncta emeto-catharſis certo, & cum emolumento ſtitit.

ÆGER

ÆGER DECIMUS SEXTUS.

Febris æſtiva dyſenterica.

20. ANNOS nata Juvencula, ſana antea, die 9. Julii oris amarorem, ſitim multam, & dolores abdominis incerta periodo recurrentes querebatur. Vagi horrores : dedolatio magna : alvus frequens, parca, cruenta, teneſmoides. Dyſenteria.

10. 11. 12. Jul. lingua retorrida : omnia multo deteriora.

13. ad Noſocomium venit. Cephalalgia ingens : amaror : lingua aridiſſima, contracta, lignea. Ruina virium gravis. Alvo prodierunt porracea, ſpumoſa, mucoſa, parca, ſed frequentiſſime, ac ferme continenter. Teneſmi aſſidui, torminoſi. Cutis totius coporis ſiccisſima, imperſpirabilis, rugoſa, anſerina. Pulſus accelerati, tenues. Decoctum hordei cum roob ribium, & pulpa prunorum copioſe hauſit.

14. Jul. hauſta mane ſolutione tartari emetici multam amareſcentem pituitam revomuit. Seceſſus aſſidui : mitiora tormina : teneſmus levior : cætera eadem. Peracta emeſi omni bihorio drachmam dimidiam pulveris radicis arnicæ abſumſit. Decoctum repetitum.

Ut humorum impetus ab alvo avertatur, repurgato prius ventriculo, & inteſtinis, veſicans omni alterno die adplicuimus, alvum reſiccare, cutim humectare, pituitoſa incidere, & expedire infarctus minutiorum vaſorum natum. Nullam ſuppurationem excitavimus, ſed plagas cantharidibus ſollicitatas ſiccavimus, epi-

dermide relicta. Rarior inde dejectio, & conſiſtentior; verum.

Die 20. denuo impuriſſima lingua, ſed humida: thoracis totius ardor, & vomituritio. Emeto-catharticum. Modica, flavaque vomuit, dejecitque: levatæ thoracis moleſtiæ. Poſthac omni bihorio drachma pulveris radicis arnicæ, & veſperi duo ſcrupuli theriacæ Andromachi exhibebantur. Lingua prærubra, glutinoſa.

Inde ad 30. uſque Julii primo omni bihorio, dein qualibet quarta hora pulvis propinabatur, ex drachma radicis arnicæ, & garnis ſex radicis angelicæ compoſitus, ſumto horis veſpertinis paregorico.

Hac methodo deliniri morbus quotidie magis, magisque cœpit, ut prima Auguſti res in integrum denuo fuerint reſtitutæ.

Tenesmus omnium ultimo valedixit.

Ab eo tempore, vino, amaricantibus, & idoneis alimentis, corporisve exercitatione enervatam ventriculi vim exacui.

Diſcrimen inter dyſenterias hujus (1777) & illas Anni præteriti.

Hujus Anni æſtatem multæ rariores dyſenteriæ, quam illam elapſi macularunt. En quid diſcriminis inter eam anni præteriti, atque hanc hornam obſervarim.

Hac æſtate dyſenterici multo pauciores fuere, ſed qui ex ea ægritudine decubuerunt, peſſime habuerant, colluctabantur diutius, vix tandem eluctati. Linguas porrigebant aſſas, ligneas, ſcabras, diffiſſas, prærubras, nitide glabras. Saburram revomuerant mole non conſpicuam, ſed tenacem, ductilem, pituitoſam, amareſcentem, non multam. Minus promte hoc anno levabantut ab emeto-catharſi, & alvus

vus dyſenterica non niſi tarde, & potenter roborantium remediorum vi reprimebatur. Sæpe etiam nimios ſeceſſus, morbo in longum protracto, narcoticis ſuſpendimus, ne inteſtina diuturnitate mali conſuetudinem contrahant diarrhœicam, atque ipſa remedia corroborantia citius per inferiora dimittant, quam ſalutarem eorundem virtutem experiantur.

At vero prioris anni æſtate fomes dyſentericus & ſpectabilioris copiæ fuit, & multo mobilior fluidiorque, æruginoſus, porraceus, vitellinus, nigricans, quive ita ſua ſede totus quantus dimoveri, atque exterminari emeto-catharſi poterat, ut nullo remedio ſeu narcotico, ſeu roborante quietem conciliare inteſtinis, aut robur debuerimus.

Dyſenteria frequentior, & lethalior inter captivos.

Cæterum utut exiguam hoc anno dyſenteria provinciam ſortita ſit, tamen illa præ aliis locis ergaſtula inviſit, & captivorum non paucis lethum tulit.

Credo, id ideo contigiſſe, quod morbus ibi corpora nanciſceretur non exercitata, deſidia, quæve almæ æſtatis muneribus nunquam veſcuntur, fructibus inquam horæis; hinc acrem in abdomine materiem colligi pronum eſt, quæ morbum committat dyſentericum.

Nunc pauca commemorabo, quæ me hujus æſtatis dyſenteria docuit.

Obſervationes quædam circa dyſenteriam.

Alvum ordiente morbo creberrime motam vidi, atquavis vice ita parcam, ut, ſi omnia intra nychthemerum ventre reddita excipulo collegeras, ne juſtam quidem fæcum copiam, quæ unico ſolum ſeceſſu homini alias ſano prodire ſolet, obtinueris. Id etiam multoties adverti, poſt plurium dierum dyſentericas dejectiones tandem excludi dura, aduſta, antiqua,

caprilla ſtercora. Hinc neceſſitas comprobatur, in hujusce generis dyſenteriis ſub morbi exordium duratas fæces molliendi, movendi loco, atque eliminandis remediis mannatis, tamarindis, ſalibus mitioribus, & tandem emeto-catharſi. Adparet etiam, quanto in errore verſentur, qui adeo nullas evacuationes inſtituunt, ut illico potius ad opium recurrant, qua praxi, quæ alia perniciosior eſſe poſſit, haud video. Hos ſola ſeceſſuum frequentia omnem ſæpe patientiam ſuperans terrefacit, falſaque opinio tenet, eos nempe, qui *frequentiſſime* dejiciunt, dejicere etiam *quam plurima*.

Uſus opii in dyſenteria. De morbi exordio loquor, & vacuationibus per artem nondum factis, ubi opio locum nullatenus eſſe, fidenter aſſero, etſi morbo jam declinante, & dyſenteria in diarrhœam converſa utile eſſe paregoricum queat, quin etiam neceſſarium, ſi modo roborantia remedia, atque invigorantia primas habeant.

& adſtringentium. De adſtringentibus ita edoctus ſum, ea morbo incohanti haud convenire, ſed rejecta prius, quæ præcordiis inhæſerat, vetuſta, atque acri fæce, & languidiſſimis inteſtinis aſſumta mox profundentibus diuque, & cum virium jactura gravi, medicari potenter roborando poſſe.

item emollientium. Tormina in recenti ægritudine, dyſuriam, iſchuriamque qui mucilaginoſis delinire ſolum ſtuduerit, nil agit. Spaſmi dolorifici demitigari haud ſolent prius, quam emotico-catharticum irritantem ſtimulum excuſſerit.

ÆGER

ÆGER DECIMUS SEPTIMUS.

Febris continua remittens pituitoſo-biliſa, cum exacerbatione quotidiana paroxysmum hyſtericum imitante.

28. ANNORUM cœlebs Fœmina menſtruis uſa regularibus, fluorem album a ſexennio patitur, aſſiduum ferme, benignum initio, at tractu temporis acrem, virentemque ex flavo, cæteroquin ſana. Febris quotidiana remittens ſub larva paroxysmi hyſterici.

Die 19. & 20. Julii catamenia copioſa fluxerunt.

21. Jul. prandens animo linquitur, voce deſtituitur: ſiſtuntur menſtrua. Horripilationes dein vagæ vagis caloribus remixtæ, tractiones artuum omnium dolorificæ, & ſterni dolor acceſſerunt. Somnus ea nocte.

22. Jul. mane bene. Sale amaro ſepties purgabatur. Meridie frigere pedes prætermodum cœperunt, frigore ſenſim ſuperiora petente, & per corpus diffuſo. Deliquium. Mox dolor lancinans artus primo inferiores, dein dorſum, ſcapulas, pectus, & brachia pervaſit. Dyſpnœa: tenesmus ad matulam: urina multa, cryſtallina: ſudor largus, frigidus. Veſperi, & noctu bene: dormivit.

23. mane, neſcio cujus ſuaſu, vena in pede ſecta eſt. Sub meridiem paroxyſmus heſterno ſimillimus: nox bona.

24. hauſto ſale amara multa, bilioſaque purgabatur. Paroxyſmus ſerius, & circa ſeptimam primum veſpertinam advenit, eorundem, ut an-

antea, ſymptomatum ſatellitio cinctus. Poſt mediam noctem quies, & ſomnus.

25. Jul. mane dedolata ſurgit, iterum decumbit. Hora ſecunda pomeridiana exacerbatio conſueta in multam usque noctem protracta.

26. Mane ab hora ſeptima ad decimam usque paroxysmus idem cum ſtrangulatorio faucium dolore. A meridie ſecta vena eſt, & iterum quadrihorio poſt, non ſcio, quo ſuadente. Sanguinem fuiſſe corio inflammatorio contectum ægra aſſerebat. Tota die friguit plurimum, & decubuit, ad noctem recaluit.

27. Jul. exacerbatio mane, uti pridie: noctu ſomnus. Hucusque cortice peruviano uſam fuiſſe ægram ex ejusdem narratione collegi.

28. Ad Noſocomium venit. Hora decima matutina levis admodum paroxysmus. Caput extra tempus exacerbationis grave. Sapor oris fœtidus, amareſcens, fauces muco refertæ. Lingua immunda, bilioſa. Dedolatio. Pulſus fortis, plenus, vibrans, & naturali ferme celeritate. Aqua mulſa, ſalita. Veſpera ſera emeticum. Vomuit pituitoſa multa, cum paucis bilioſis. Nox bona.

29. Jul. mane bene ſe habuit. A meridie levicula acceſſio, non diuturna. Aqua mulſa, ſalita, adjecto ſale ammoniaco.

30. Os valde glutinoſum, lingua, & muco, & bile conſpurcata. Emeticum. Vomuit glutinoſa. Paroxysmus nullus.

31. Jul. bene. Nulla acceſſio. Potus mulſus, ſalitus cum ammoniaco, & infuſo-decoctum radicis arnicæ.

1. Auguſti circa meridiem paroxysmi per ho-

horæ quadrantem leviſſima acceſſio : reliqua bona. Medicamenta heſterna continuat.

2. Aug. omnia bona. eadem remedia.

3. circa meridiem loco paroxysmi frigus leve & tranſitorium, ſine calore, ſine ſudore.

Ex hoc tempore nil amplius alieni a ſanitate deprehendimus, & confirmato ope amaricantium ventriculo, & inteſtinis, ſana per omnia.

12. Aug. ad ſuos rediit.

In curando hoc morbo, qui peculiari ratione attinere ad nervos affectos videbatur, eos ego medendi canones ſecutus ſum, quos ex innumeris, iisque quam maxime abs ſe invicem diverſis nervorum, ut appellant, morbis, aut lectione acceptis, aut ipſa praxi, proprios in uſus confeci. Regulæ in ſanandis nervoſis morbis.

Ubicunque adverteram, morbum convulſivi quid habere, vim quidem irritabilem, quæ fibris muſcularibus inhæret, quodam in præſentiarum exceſſu peccare exiſtimabam, eamque vividiorem, ac par eſt, eſſe, & ſtimulo obedire non ſuo, aut ſi etiam ſuo, attamen ab eodem nimium irritabiles fibras juſto potentius ſollicitari, & in motus agi aut volentiores, aut alienos.

Qui curationis initium a roborandis, aut ſopiendis, aut ſtupefaciendis, aut relaxandis, ut varii varie loqui amant, nervis faciunt, & ad amatum ſibi nervinum remedium recurrunt, næ ii quam longiſſime aberrant a morborum nervoſorum practica cognitione!

Hinc omnem operam ea in re conſumendam arbitrabar, ut, *quis ſtimulus* fibres irritet, motuumque anomalias cauſet, & quo poſitus loco is ſit, quave ratione aufferendus, inveſtigarem.

Exterminato enim ſeditionis auctore, quid-

quid antea turbarum nervos commoverat, totum ſuapte jam conquieſcit, aut facili modo, atque ipſo tempore dimitigatur.

Non unius generis ſtimulum vidi ſyſtematis nervei turbatorem: varius is eſſe ſolet, variaque in ſede locatus.

Cum omnis ferme nervoſorum morborum curatio in auſferendo hoc ſtimulo tam vario conſiſtat, ratio patet, cur *eadem* nervorum affectio in diverſis hominibus non *eandem* ſæpenumero ſanationem admittat, ſed in aliis aliam, & ſubinde oppoſitam, ut, quæ alteri proſint evidenter, alterum lædant indubitato. Nempe effectus *apparentur eosdem* non *eadem* ubique cauſa gignit.

Pauca in hanc ſententiam exempla recenſebo.

Tribus abhinc annis puellam biennem ſanavi per vices graviter convulſam, atque extra convulſionum tempora liventem facie, tuſſiculoſam, & cum ſono ſtrepente reſpirantem. Cum minutulas, & pinguedine obvolutas venulas, qui vocabatur, chirurgus phlebotomo aſſequi haud poſſet, hirudinibus applicatis ſanguinem eduximus. Convelli, livere mox deſiit, & paucos intra dies etiam tuſſitare, & ſonore reſpirare.

En hic ſtimulum nervos irritantem ſanguinis nimiam redundantiam intra thoracem præcipue, & humorum circumeuntium quemdam quaſi ob eorundem turgeſcentiam ſtragulatum!

Ad aliam poſtea ſexennem puellam vocabar, inſultibus epilepticis a biduo correptam aliquoties, & latere more pleuritico dolentem. Miſſus ſemel, & iterato e brachio ſanguis corio phlogiſtico tectus, atque alia remedia inflammatoriæ pleuritidi dicata mox convulſiones, dein & ipſum morbum ſuſtulerunt.

En iterum, quis ſtimulus fuerit nervis adplica-

catus, thoracis videlicet phlogoſis! en remedium nervinum in ſimplici antiphlogiſtica methodo repertum!

Fœminam novi hyſtericotaten, deſidioſam, opipare viventem, & bonis ſuccis ſubmerſam. Quæcunque nervis opitulari dicuntur, incaſſum, & cum ægritudinis incremento adhibuit. Inverſo conſilio venam ſecuit, & aliquid lauritiarum ſubtrahere ſibi auſa eſt, & iners pondus corporis commovere. Tolerabilius inde habuit multo, atque melius habitura, ſi vitæ rationem inire licuiſſet, neceſſitatibus naturæ adcuratius reſpondentem.

Aliam bilioſiſſimam fœminam, & ferme ictericia a pueris facie, virtiginoſam, morſu oris ventriculi, ructibus rancidis, globo hyſterico, leipothymiis multum vexatam, urinas mingentem cryſtallinas ſæpenumero, ſpaſticasque, leviter artubus non raro convulſam, remedia ſalina, aceſcentia, alvum blande ducentia mirum juverunt. Cacochylia rancida, & ſyſtematis biliferi infarctus, & multorum aliorum ſymptomatum, & motuum præcipue irregularium cauſa fuit. Nervina hic fuerant, quæ ſolverunt, inciderunt, immutarunt, & alvum alias moroſam expediverunt.

Nuperrime juvenem e Noſocomio dimiſi ab epilepſia, qua ab aliquot jam annis, & hoc ultimo frequentius, validiusque prehendebatur, liberatum. Multa incaſſum tentata, cum ſtimuli & naturam, & ſedem ignoraremus, donec eundem in ſyſtemate gaſtrico repertum, vomitoriis repetitis ejeceramus. Inde nervorum quies, & nulla a longo jam tempore fœdiſſimi male reverſio. Ventriculum aptis remediis, rhabarbarinis, amaricantibus &c. diuturno tem-

pore præmunire annitebamur, ne is novam materiem pituitoſam; & quaſi pultaceam, cujus ingentem quantitatem vomendo rejecit, nervos certa quidem, attamen inexplicabili ratione, in motus epilepticos concitantem, in poſterum generet.

Spasmum ventriculi gravem in viro robuſto, plenoque, & quotidie per multos annos a paſtu maxime recurrentem, quem ſpirituoſa, amaricantia, nervina, chalybeata multo ferociorem effecerunt, ſtrictiori diæta, & abſtinentia a vino, ac calefacientibus quibusvis, & ſanguinis miſſione largiori inſtar incantamenti conſopivi. Nec id incommodi poſthac rediit, etſi homo vino denuo uteretur parciori quidem, & aquæ commixto.

Piſtoris hiſtoriam habeo alia occaſione curatius enarrandam, qui ſuperata maligna febre in hypodropem incidit intercutem. Variam ipſi medicinam, & diuturnam, inefficacem feci, nec tamen id pejus ruere, nec frangi vires magis videbantur. Appetiit, obambulavit, & ægritudinem, rebellem licet, facile tulit.

Scrotum, & penis mirum tumebant tumore vago, ſæpe evanido, & mox recurrente. Cum alvum fluidiſſimam redderem, ex improviſo validiſſimo tremore totus, & per aliquot horas, concutitur, dein convellitur epileptice, tandem ſtertoroſe, mentis impos, tardiſſime reſpirans, & ſublimi pulſu per intervalla dire convulſus cubat, nec acerrimos ſtimulos ſentiens. Maxillæ tetanus.

Roſo capiti cucupham ex emplaſtrum veſicante confectam, nuchæ ſimul & artubus alia veſicantia adplicui. Cum loca veſicantibus eroſa plurimo ſero madere incœperant, convulſiones de-

deſiere, & mens rediit, tandem & perfecta ſanitas.

Hic nervos ſtimulari ab acri ſero ad encephalon ex improviſo recurrente exiſtimabam, quo veſicantibus evocato motus epileptici componebantur. Vim ergò nervinam hocce in caſu cantharides exerebant.

Symptomata morborum *nervoſa* dicta non tam ex facili nobis impoſuerunt, ut ſtatim ad eam remediorum claſſem confugerimus, quam per eminentiam *nervinam* appellant. Vix ullum remedium eſt, quod non aliquando nobis *nervinum* fuerit.

Ablatis, aut retuſis nervorum ſtimulis morbus ut plurimum ſuapte ſilet, niſi is forte irritabilitatis exceſſus fuerit, eaque inducta nervis conſuetudo, ut remotis licet omnibus ſtimulantibus cauſis nervoſa affectio nihilominus recurrat. Tunc vero nimium irritabiles nervos cortex peruvianus emendat, & ipſum tempus deſuefacit.

Ubi febrium intermittentium, correcta licet, aut ſublata cauſa, exacerbatio *ob conſuetudinem*, & characterem impreſſum nihilominus redit, cortex peruvianus ſpecifice prodeſt, idque legitimum exhibendi hujus remedii tempus eſt, niſi forte non exſpectata materiæ febrilis correctione, aut eliminatione ob periculoſum quoddam ſymptoma maturius ſuffocari febris debeat.

In ea ægra, cujus hiſtoriam retuli, quæ cauſa omni alterno potiſſimum die nerveum ſyſtema conturbarit, adhibita medendi methodus docet.

ÆGER DECIMUS OCTAVUS.

Febris æſtiva cum exanthemate miliari.

Febris miliaris. PUELLA 11. annorum, antea ſemper ſana; 1. Julii mane evigilans dolorem anginoſum, & impeditam deglutitionem queritur. Horrores, calores, alternatim, frequenter. Cephalalgia, & os amarum: non appetit: decumbit.

Die 2. & 3. æſtus aſſidui: graviora omnia.

Die 4. lingua prærubra, præcalida: fauces prærubræ, dolentes abſque tumore: ſpiratio crebra: dedolatio: calor multus: ſitis nulla. Facies pone nares, & labiorum concurſum flaveſcens, genis intentius rubentibus: oculi humidiores. Eruptio miliformis in brachiis frequens, alba. Venter a biduo clauſus. Febris: amaror oris. Data eo die ſunt multa ſolventia ſalina: veſperi vomituritio: emeticum. Vomuit amara, fœtentia, pituitoſa: quater dejecit. Cephalalgia minor: urina ſanorum: dormivit.

Die 5. os non amplius amarum: lingua glutinoſa, minus calida: facies pallidior: nullus facium dolor, & deglutitio bona. Urinæ parciſſimæ, frequentes, ſanis ſimiles. Eruptio miliaris perſtat: calet, ſitit. Alvus ter mota eſt. Stillicidium narium.

Die 6. mane exhibito vomitorio amareſcentem pituitam vomuit: dejecit: allevata eſt. Nulla cephalalgia: febris pauca: veſiculæ miliares paucæ: ſquammulæ multæ.

Die 7. nulla febris. Miliaria in furfures abierunt.

Ab ultimo vomitu ſalinis remediis, dein & ſtibio

ſtibio diaphoretico non abluto, & demum amaricantibus uſa convaluit.

Die 16 Julii ſana domum repetiit.

Plures hoc anno ſanavimus verno maxime, & æſtivo tempore, qui miliaribus conſperſi ad nos venerunt, quorum hiſtorias, utpote ſuperius recenſitæ ſimillimas, non referam. Quæ ea de febre me attenta obſervatio docuit, paucis complectar.

Febrim miliarem a materie generari pituitoſa potiſſimum cum intra vias primas collecta, tum ultra easdem transmigrante, multa demonſtrarunt, ſed lingua quam maxime aut glutinoſa, aut glabra, & vomitiones pituitoſæ, allevantes, ſive ſpontaneæ eæ fuerunt, ſive arte excitatæ. Miliarium genitrix materies.

Hinc *febris pituitoſa* ſalutari merebatur, eaque *gaſtrica*, ſi mali ſcaturiginem ſpectaveramus.

Plerique, quos *febris pituitoſa* vel cum eruptione miliari, vel absque eadem tenebat, dolores artuum quaſi rheumaticos querebantur, veſperi maxime, noctuve graviores, ſub auroram delinitos multum, & interdiu nullos, vel perquam leves. Febris miliaris quædam proprietates, & medendi ratio.

Menſibus vernis plures mihi fœminæ obtigerunt hoc genere *rheumatiſmi pituitoſi*, vel *febris pituitoſæ cum rheumate noctu graviore* affectæ, quæ ob morbi lenitatem, diuturnitatem, & conſtantem nocturnam exacerbationem ex febricula potius venerea ægrotare credi poterant. At conſtitit tum ex aliis, cum & præcipue ex medendi ratione fortunata, eam eſſe *febris pituitoſæ* indolem, ut interdiu mitius afficiat, & noctes doloribus infeſtet conſtantiori lege id tem-

temporis exacerbatis, quam rheuma ſyphiliticum ſoleat.

Rheuma hoc pituitoſum brachia, & maxime femoris carnes excruciabat. Fuere, quibus & lumbi, & alterutrum faciei latus doluerunt.

Febris pituitoſa ſive miliaribus ſtipata, ſive iis caruerit, peculiari ratione emeticis indiguit, ſeu potius emeto-catharticis, iisque ſæpius repetitis; agebat enim id genus remedii non ſolummodo evacuando, ſed & potenter reſolvendo. Temporibus inter emeto-catharſes mediis ſolventia profuerunt ex taraxaci radice, & conſimilibus, ſalia media, & antimonii præparata.

In febre miliari, ſcarlatina, petechiali, bilioſa, putrida, maligna emeticum exhibui, iteravi, non ſolum, ubi oris amaror, & ſigna notiora pravarum ſordium in ventriculo, & inteſtinis id exigebant, ſed etiam ubi lingua glabra, multum glutinoſa, vel vero ſicca, & quaſi toſta fuerat, aut veluti arborum cortice obducta, aut linguam bovillam fumatam, ſalitamque referens, aut pilis quaſi aridis, erectisque hirta. Nil tam cito linguam emendabat, humectabatque, quam emeticum.

Æſtus igens, & cephalalgia ad tempora, ad frontem, in ipſo veluti orbitarum ocularium fundo intolerabilis, delirium imminens, vel etiam præſens, ſi quando ejusmodi ſymptoma febrim comitaretur, emeto-catharſi aut emendata fuerant, aut valdopere, & cito delinita.

Mentem multo frequentius a vitio gaſtrico turbatam vidi, quam a ſanguine, aut alibi exiſtente cauſa.

De veſicantibus ita me multa obſervatio docuit, ea convenire in eo morbi miliaris ſtadio, ubi

ubi primæ viæ fuerint ſufficienter repurgatæ, & ubi nulla amplius ad eaſdem morbificæ materiei revulſio ope emeto-catharſeon fieri poteſt, utpote longius dilapſæ.

Rebus ſic ſtantibus veſicans, ubicunque fuerat commodius viſum, adplicui, & plagam eodem remoto denuo reſiccavi. Ita vel ſingulis, vel alternis diebus aliud veſicatorium admovi. Hac methodo lentor omnis, & vaſculorum infarctus ſolvebatur, diaphoreſi, quæ commorante intra præcordia impura illuvie morbum efferaſſet, nunc ſumme proficua, & triſtes ægritudinis reliquias præcavente.

Salutarem veſicantium opem tunc maxime experiebar, ubi febris deferbuerat, at indomabilis adhuc circa articulos dolor reſtitarat, noctu gravior.

Febres quæcumque originis gaſtricæ ſanguinis miſſionem *per ſe* non exigebant. At quando & quantum, & cur detrahere ſubinde ſanguinem in hac febrium ſpecie neceſſim ſit, alibi dicam.

Cortice peruviano in febre *pituitoſa* rariſſime uſus ſum, utut ſint, fuerintque, qui eundem hic primas tenere arbitrentur, idque experiundo, ut affirmant, multoties docti. Credo me quoque peruviani remedii laudes fuiſſe hic cantaturum, ſi ægrorum vires intempeſtivis phlebotomiis antea convulſiſſem. Eo enim in caſu dehiſcens, & jamjam ruiturum ædificium ſubinde cortex ſuſtentat, unicum propemodum fulcrum, at impar ſæpe.

Ubi morbus intermittere cœpit, quod poſt purgationes arte factas ſubinde feliciter evenit, aut ubi in laticem vitalem, priusquam ad nos veniretur, jam lautius erat peccatum, corticem pe-

peruvianum ambobus utique brachiis complectebamur.

Subinde nares ſanguinem ſtillabant, uti etiam huic ægræ contigit. Non inde neceſſariam phlebotomiam exiſtimabam. Non facile a ſymptomate quodam non eſſentiali me ſeduci patior, ut idcirco agenda omittam, aut aliud agam quid, quod morbi principis notioni adæquatæ non reſpondeat.

Aphthæ. Febres miliares anginoſa effectione ſtipari cum nullo, aut exiguo faucium tumore, & fauces aphthis conſpergere, ſæpius ſolebant. Aphthæ hæ primo puſtulas referebant miliares iis ſimillimas, quæ externam corporis ſuperficiem obſidebant. At ubi hæ in furfures abierunt & ſquammulas, illæ ulcerari cœperunt, ut totidem diſcreta, & albicantia ulcuſcula exhiberent, quæ rarius in majus ulcus confluxerunt.

Puſtuloſæ, & ulceroſæ. Hinc duplicem formam aphtharum vidimus, *puſtuloſam* primo, dein *ulceroſam*. At neminem habuimus, quem aphthæ gravius mulctarint.

Fauces dolentes initio hordei decocto, cui ſalis ammoniaci quid, & mel roſatum miſcebatur, eluі curabamus, qua re multum pituitæ fuit cum emolumento prolicitum. Ubi puſtulæ in ulcuſcula ſubſederant, ſalviæ infuſo, cum roob dianucum, & ſpiritu ſalis acido malum cohibuimus, ſanavimus.

Erant, qui eadem prorſus ratione febricitabant, qua ii, queis corpus puſtulis miliaribus effloruit, angina æque, & aphthis affecti, at abſque exhantemate per reliquum corpus miliari.

Aphtharum geneſis, & affinitas. Materiem aphthoſam, & miliarem eandem eſſe judicabam; & quod faucium miliaria facile ul-

ulcerentur, id loco eorumdem natali deberi, calido, humidoque.

Nemo fuit, cui miliaria primum in Noſocomio eruperint, fomite, arbitror, miliari evacuantibus ſubducto.

Puerperæ noſtræ, utut præ aliis febre populari ferirentur, quam miliare exanthema ſæpenumero comitari aliunde novimus, ab hiſce efflореſcentiis omnes immunes perſtiterunt, cum morbi initiis a nobis fuerit ſollicite cautum, & febris ſuis in incunabulis, vacuato puerperarum abdomine, repente, ac quaſi reſciſſa cervice, enecta.

Cum Hamiltonio obſervavi, imbecillam corporis conſtitutionem, & evacuationibus maxime ſanguineis fractam huic morbo præ aliis patere. Fœminas, easque debiliores, viduas pauperrimas, & ſupra florem ætatis, nec jam fœcundas febri miliari correptas multo plures vidi, quam mares, hosque inter nonniſi pueritia vix egreſſos, laxos, & orphanos, & victu farctos duro, ac farinaceo.

Poſt jejunium vernum ab Eccleſia Romana præceptum uberiorem febrium miliarium proventum experiebar, ſive ea veris ipſius ratio ſit, ut huic morbo præprimis faveat, ſive victus eo tempore crudioris ex caſeo maxime, & farinaceis, inter pauperes potiſſimum, ſeu utriusque.

Contagio, quo alter alterum afflet, febrim noſtram miliarem caruiſſe, caruiſſe eodem etiam illam, quam alii viderunt, & deſcripſerunt, etſi contagiorum aſſertores, fidenter ajo. Cur enim miliarem febrim contagioſam appellem? num quod eodem tempore eo morbo plures corripiantur? at & pleuritis eadem ſæpe tempeſtate

multo plures proruit, non *contagioſa*, etſi popularis. Nec medici, chirurgi, ægrorum cuſtodes, nec ipſi proxime accumbentes apud nos miliare contagium hauſere.

Miror certe, clariſſimos viros, qui in magno miliaris morbi gradu *alvum egerere bilioſa, fætidiſſima, alvum in ſecunda morbi periodo cum emolumento fluere, vias primas materiem in ea febre continere pravam, eaque educta morbum ipſum ſanari* obſervando didicerint, nihilominus hiſce vitiis manifeſtis non contentos notionem morbi in ignoto quodam, & contagioſo miaſmate quærere.

Mirari quoque illos ſubit, qui *ſanguinariam* medendi methodum ei morbo opponunt, quem, etſi ex ventriculo, & inteſtinis ortum haud dicant, tamen ita deſcribunt, ut ignorare ejuſdem indolem, geneſinque rerum peritior non poſſit.

Botalliana hæc methodus haud multo minus diſcriminis habet, ac illa altera medendi ratio, quæ febrile incendium affuſo oleo, & lignis alit.

Dum vitant ſtulti vitia, in contraria currunt.

Utinam utraque hæc medicatio & *ſanguinaria*, & *calefaciens* aptiores in uſus reſervaretur!

Equidem methodi quædam therapeuticæ ſtantque, caduntque, prout fama celebrati cujusdam viri, ſub cujus vexillo militant, aut viget, aut cadit. Verum plerumque id infortunii accidit, ut deluſa Medicorum cohors haud prius reſipiſcat a methodo illa curandi epidemica, niſi poſtquam hæc:

Πολλας ιφθιμȣς ψυχας αϊδι προϊαψεν (*)

(*) Multas præſtantes animas Acherontis ad oras
Præcipites dedit ante diem. *Homer. Iliad. v.* 3.

ÆGER

ÆGER DECIMUS NONUS.

Febris æſtiva cum exanthemate ſcarlatino, & miliari.

JUVENIS 16. Annorum, ſartor, ſub finem æſtatis horruit, æſtuavit, & ingeſta vomuit. Doluere paulo poſt fauces. Laborioſa deglutitio. Febris ſcarlatinoſa una cum miliaribus.

Die 2. omnia, uti pridie. Colluvies mucoſa faucium ingens.

Die 3. pejus habuit. Æſtus magni. Vomuit mucoſa, amareſcentia, multa: noctu effloreſcentiæ ſcarlatinæ, & puſtulæ paucæ, miliares, rubræ.

Cum die 4. nos accederet, hauſtus ſalini, & aqua mulſa exhibita. Veſperi emeto-catharticum: vomuit pituitam amaram.

Die 5. potus ſalini, mulſi: veſperi emeto-catharſis. Vomitiones pituitoſæ, amaræ: ſeceſſus. Exigua febris: palleſcens rubedo: furfures. Fauces ulcuſculis obſeſſas eluimus infuſo ſalviæ, cui roob dianucum, & ſpiritus ſalis acidus jungebatur.

Die 6. vix febricula. Potus ſalini continuantur, & gargariſma.

Nulla poſtea febris obſervabatur. Amaricantia aut ſalinis maritata, aut ſola, paucos intra dies vires firmarunt.

ÆGER VIGESIMUS.

Febris æſtiva cum eryſipelate.

Febris eryſipelatoſa.

SUB exordium autumni faber ferrarius ad Noſocomium venit, a ſex, ut ajebat, diebus plus æquo calens, & leviculo ſubinde horrore perſtrictus, laſſus, nauſeabundus, & ασιτος. Gena ſiniſtra, & hypopium tumuit, doluitque ex eryſipelate. Cervix præ dolore immobilis: os amarum: lingua mucoſa, flava, villoſa.

Solventibus ſalinis, & oxymelle multo, demum emeto-catharſi uſus pituitam copioſam, amaram vomitione refudit, dejecitque, mox allevatus. Alvo liquidiore, crebrioreque perſiſtente brevi convaluit.

Ipſi loco dolenti nil remediorum admovimus.

Ex hac, aliisque, quas referre ſupervacaneum puto, eryſipelatis hiſtoriis & origo ejus morbi, & medendi eidem modus patet.

ÆGER VIGESIMUS PRIMUS.

Febris æſtiva cum anthrace.

Anthrax.

EODEM tempore, quo prior, alius noſtram opem implorat 24. Annorum ruſticus.

Ante 14. dies repente brachium dextrum intumuit, doluitque quaſi ex rheumatiſmo. Inſignior & tumor, dolorque cum magna duritie haud

haud procul a loco ſubaxillari. Tumoris ejus medium puſtula occupavit, lenticularis, rubra, quæ mox nigreſcere, ulcerari, atque ampliari cœpit, vicino ambitu indurato, dolentiſſimoque. Febriebat, ſed leviter, & obambulans. Facies, habitus, lingua bilioſorum; quemadmodum etiam guſtus, potiſſimum cum e lecto ſurgebat.

Febris, cum Noſocomium ingrederetur, jam deferbuit, atque ſe ipſam, utpote inde ab initio ſuapte natura lenior confecit. Hinc ſale medio, & oxymelle relapſui potius, quam morbo proſpectum. Carbunculus tardius ſanabatur.

Menſibus Julio, & Auguſto aliquot ad Noſocomium venere, quibus alicubi carbo enaſcebatur, febricitabant, quaſi ex æſtiva febre, ſed mediocriter.

Cum erecto eſſe corpore poterant, & laboribus fungi domeſticis, ac levioribus per ægritudinem liceret, in Noſocomio non manſerunt, ſed quotidie ad nos reverſis deligatio facta eſt, remediaque quæ e re eſſe videbantur, ſuam quivis domum reportarunt. Quoſdam ab omni immunes febre dixiſſes, non ab omni tamen diſpoſitione febriculoſa.

Carbunculos aliis anni temporibus non obſervavimus, quive per æſtatem occurrebant, ejusdem eſſe originis, ſed genii mitioris videbantur, ac illi fuerant, quos Cranone, Theſſaliæ urbe, eadem anni parte viſos Hippocrates memorat, *pluvia per magnos æſtus affatim, & continenter cadente, ventis maxime ab auſtro ſpirantibus.* (*)

(*) Initio 2. epid.

ÆGER VIGESIMUS SECUNDUS.

Febris æſtiva cum tuſſi convulſiva.

Tuſſis convulſiva.

PUELLA 5. annorum, nondum variolas, nec morbillos paſſa: at ante annum ex vermibus curata, pane multo ſequioris notæ, aliiſque farinaceïs, quibus maxime delectabatur, ferme unice veſcebatur.

Sub finem Maji tuſſi corripiebatur, ut plurimum ſicca, indies validiori. Tuſſitabat livente facie, & artubus convulſa, & propemodum ſuffocata inter repetitas, diuque protractas exſpirationes; inſequente tarda, difficili, ſonora, clamoſa inſpiratione: ſub finem paroxyſmi nunquam vomuit, nec aliis temporibus. Febricula: anorexia: nauſeabunda.

Exacta altera ſeptimana tuſſis humectari cœpit, ſputave prodire pituitoſa, tenacia, non pauca. Hauſtu emetico multa bilioſa, æruginoſa, pituitoſa ore, atque alvo reddidit. Plurimum levaminis: tuſſis pauca, non convulſiva: nulla febris.

Poſt biduum neglectis & apta diæta, & ulteriori remediorum uſu, recrudeſcere omnia: tuſſitare incertis vicibus, interdiu, noctu frequenter, & convulſive: ſputare cruenta, pituitoſa, puris æmula, multa, & mediocriter febrire.

Die 10. Julii noſtræ curæ commiſſa eſt. Tuſſim mox adfuturam prænunciabat moleſtus oris ventriculi ſenſus, tuſſim ipſam antecedere ſolitus, & comitari. Macies: alvus rara, duraque: noctu, & inter dormiendum largus ſudor in

in collo, fronte, & ad claviculas, reſpiratio fervens, quaſi bulliente aquà: nullus ullibi in thorace dolor.

Per biduum ventrem ſollicitavimus ſalinis remediis, manna, & enematibus. Mox reſpiratio ſtrepere deſiit, & tuſſis rarior, mitiorque fieri, cæteris non emendatis.

Cum ſudoribus, & macie conſumeretur, remediis tonicis opus eſſe arbitrabamur, ſed ſtomacho amicis, quæve alvum immorigeram alias, expedirent, utpote regiam quaſi viam illuviei abdominis excipiendæ, exturbandæque.

Hinc corticis peruviani decoctum, ſalibus mediis, & manna ſtimulatum *parce* quidem, ne copia ipſa perefficacis alias remedii ventriculum offendat, ſed *frequenter* bibendum didimus.

Die 17. Julii tuſſis rara admodum, non convulſiva. Reſpirat abſque ſtrepitu: non ſudat: pauca ſputat, & raris ſubinde lineolis cruentis tincta. Appetit.

27. Jul. cum tuſſis conſopiretur, ità, ut rariſſime, & minime laborioſe, nec more convulſivo tuſſitaret, noctes eſſent tranquillæ, ſputa proferret rara, & ſolum mucoſa; cumque victum largiorem, quam a dejecto ferri ventriculo poſſe exiſtimabam, intempeſtivius flagitaret, mater puellæ inſciis nobis multa farinacea, & butyracea alimenta attulit: inde omnia recruduerunt.

Cognito eo errore diætetico, cum mater convenire filiolam prohiberetur, eam illa nolentibus nobis domum reduxit, auſteræ noſtræ methodi pertæſam.

Nihilominus vel ex hiſce adparet, qui rei eventus fuiſſet, ſi curam licuiſſet, quemadmodum conſtitueramus, perficere.

Tuſſis convulſivæ quædam proprietates, ejusque cura.

Nulla certa redeuntis tuſſis periodus obſervabatur. Nec in paucis aliis, quos extra Noſocomium vidi, aut quos aliis annis curavi, definitum quemdam acceſſionis circuitum experiebar. Hinc non omnis tuſſis convulſiva *omni alterno die* validius urget.

Vitium ſyſtematis gaſtrici bilioſo - pituitoſum ejus tuſſis initio cauſam fuiſſe, multa evincunt, verminoſa præcipue diſpoſitio, ac victus crudior, & tuſſis adfuturæ præſenſio quædam ad cardiam, & epigaſtrium totum, vomitiones præterea bilioſæ, pituitoſæ, levantes.

Huic vitio mederi ſtudebamus remediis incidentibus, alvum leniter moventibus, eaque ſimul virtute præditis, quæ laxam ſolidorum compagem firmant, & novæ pituitæ geneſin, reſtaurato fibrarum tono, præcavent.

In curanda tuſſi convulſiva unice ferme ſpectandam ſemper judicabam *labem temporis epidemicam*, quæ *varias* hominum ætates *varie* afficit.

Menſe Majo, & Junio morbi *pituitoſi* eminuerunt, bile non raro in ſocietatem adſcita. Sordes haſce variorum in variis ſymptomatum effectrices ſolvere oportebat, ſolutasque repetitis plerumque vicibus vacuare vomitu, alvoque mota. Id feciſſe in plerisque ſuffecerat, in adultis præcipue, iisque robuſtioribus. Fœminæ quædam opportunam pituitæ diatheſin ſive a nativitate nactæ, ſive ab adventitia ægritudine, ſolventibus remediis, & iteratis etiam evacuationibus non levabantur; neceſſum enim fuerat & debilem roborare machinam, & ea confirmata generandæ novæ pituitæ anſam præripere. Id in pueris, quos tuſſis convulſiva vexabat, facta perquam opus erat. Hinc profuc-

fuerat leniſſimis evacuationibus ea remedia maritare, quæ vi roborante commendantur.

Pueros diverſis annis tuſſi vere convulſiva correptos, reccurrentisque eodem in homine ejusdem tuſſis exempla plura novi.

Tuſſim convulſivam, quæ ſui generis, & *ſpecificus* morbus eſſet, nunquam vidi; ſemper enim epidemicæ febris characteres exhibuit luculentos, ut ab eadem etiam cauſa generari, & ejusdem popularis ægritudinis diverſa ſolum *modificatio* videretur. Ratio vero, cur eadem ventriculi illuvies modo encephalon turbet, modo pulmones tuſſi concutiat convulſiva, nunc miliare exanthema, nunc ſcarlatinum, aut urticatum, aut eryſipelas gignat, & ſubeat varios modos, noſtram hucusque indaginem fugit.

Tuſſes convulſivæ cum Viennæ, tum in Hungaria a me obſervatæ, fuere omnes *ſtomachicæ*: at non omnis *ſtomachica* tuſſis fuit ideo convulſiva; hinc illa latius patet, & plures ſub ſe quaſi ſpecies complectitur, quarum unam dicimus *convulſivam*.

In ſananda tuſſi convulſiva, ubi ea ex ventriculo oriebatur, quam originem illi communiſſimam eſſe puto, bina potiſſimum tempora diſtinguebam, primum, quo ventriculus fere ſolus ægrotabat, & materies prava abdominis necdum in reliquum corpus, aut nonniſi perparum dimanavit: atque alterum, quo pulmo non ſolum per ſympathiam afficitur, ſed ipſe jam ſuam a ventriculo labem attraxit, eamque variam.

Morbi non ultra ventriculum, aut non multum progreſſi facilis medicatio erat, & non diuturna, emeticis, eccoproticis, & ſtomachicis demum, atque victu eupepto perficiunda.

 At

At vero ubi vitium ad reliqua etiam viſcera dilapſum videram, in ea ſimul inquirere oportebat, quæ alibi eſſent, & quanam ratione vitiata. Sic ubi repereram imbecillum corpuſculum, & emaciatum, & ſudoribus, quos lecti tepor copioſiſſimos ſæpe prolicuerat, contabeſcens & ingentem, viresque abſumentem ſputorum mucoſorum, & puriformium copiam, roborantibus uſus ſum, corticis peruviani decocto, lichene islandico, & poliygala amara, aut conſimilibus, ubi ventriculum antea repurgaram, & alvi libertati identidem proſpicerem.

Verum aliam inire rationem ſolebam, ubi pulmones & validiſſime, & vicibus innumeris ſanguinem allicuerant copioſiorem, unde turgor, & plethora eorundem, ac inflammatio. Eo in caſu phlebotomia requirebatur, non ut ventriculo, ortæque ex eo tuſſi, ſed ut tuſſis effectui, maxime pernicioſo, peripneumonicæ nempe affectioni, quæ ſupervenerat, primum mederemur.

Aphoriſmi de tuſſi convulſiva. Cum ea, quæ de tuſſi convulſiva mihi per obſervationes, vel etiam lectitando innotuere, mente expenderem attentiori, quosdam quaſi aphorismos ea de re condi poſſe, atque eosdem quam maxime practicos exiſtimabam: ſcilicet

1. Tuſſis convulſiva, præcipue popularis, morbi alterius ei tunc anni tempori imperantis quædam ſolum *modificatio* eſt, & luſus quidam, cum eoque morbo principe & increſcit, & conſiſtit, & inclinatur.

2. Hinc *eandem* cum epidemica ægritudine curationem petit: *eadem* & cauſæ morbificæ indoles, & ſedes *eadem*.

3. Cum febres *vernas* pituita cum totius corporis, tum maxime ventriculi, & inteſtinorum gene-

generet, *æſtivas* bilis, & *autumnales* idem humor bilioſus, ſed ſpiſſior factus; easdem & tuſſis convulſivæ ut plurimum productrices materias obſervamus.

4. Hinc, uti febribus vernis plus minusve phlogoſeos commiſcetur, ut idcirco phlebotomia ſæpenumero requiratur, ſic tuſſis convulſiva, quam ver præcipue gignit flante borea exaſperatum, in inflammationem pulmonum abit, educto ſanguine curandam.

5. Tuſſi convulſivæ æſtatis emeticum, atque illi per autumnum dominanti præmiſſo emetico cortex peruvianus proderit, officiet ſanguis miſſus. Quæ medicatio ad earum etiam tempeſtatum populares febres pertinebit.

6. Tuſſis convulſiva, utut cauſa ejusdem materialis ſublata dudum ſit, redire per vices nihilominus *ob conſuetudinem* poteſt, quam fibræ nimium irritabiles contraxerunt. Deſuefacient vero nerveum ſyſtema ab irregulari hoc motu opiata, moſchus, caſtoreum, hyoſcyami extractum, cicuta, nicotiana, camphora, gummi ferulacea &c. item cortex peruvianus.

7. Pleræque tuſſes convulſivæ ſunt *ſtomachicæ* ob materiem morbificam in ventriculo hærentem.

8. Nihilominus nulla tuſſis eſt, cujuscunque illa originis ſit, quæ in corpore *plurimum irritabili*, quale infantum, puerorum, & mollicularum fœmellarum eſſe ſolet, non poſſit eſſe aliquando *convulſiva.* En cur tam variæ, ſibique nonnunquam oppoſitæ methodi therapeuticæ, huic morbo auſpicato admoveantur.

9. Male ergo hæc tuſſis inter eos morbos recenſetur, qui antiquis ignorati poſteriora hæc demum ſæcula fœdarunt.

10. Contagio eandem propagari, hominemque eo morbo ſemel defunctum perſtare poſthac ab eodem immunem, obſervationibus repugnat.

11. Specificum remedium *hujus tuſſis* tam varia ſede, & cauſis adeo multiplicibus natæ, nullum datur, nec dari poteſt.

Anno 1775. menſibus Martio, Aprili, & initio Maji tuſſis convulſiva ætatem puerilem per omnem agrum Viennenſem corripuit, nec omnem abſtinuit vim ab ætate provectiori. Etenim & mobiliſſimas quasdam juvenculas vidi, quin & viros convulſive tuſſitantes. Pertinaciſſima ea tuſſis in adamata ſibi puellari ætate fuit, ad duos, tresve extenſa menſes.

Erant, qui unam tantum, alteramve tuſſis ejus acceſſionem experirentur, hique ex adultioribus ferme.

Eam quoque obſervationem in meis pugillaribus reperio, morbos pectoris quoscunque, illo vere obſervatos participes aliqua ratione illius tuſſis convulſivæ, aut ab initio fuiſſe, aut eſſe ſerius factos. Præterea id etiam a me adnotatum lego, paroxysmum illius eo tempore tuſſis convulſivæ riſu fuiſſe facillime invitatum, de novoque concitatum. Id ideo fieri arbitrabar, quod in riſu æque, ac in tuſſi convulſiva diaphragma repetitis vicibus ſuccutiatur eo modo, ut continuæ fieri exſpirationes debeant, quas nulla inſpiratio interpellet. Inſtantem etiam paroxysmum retardatum non raro, eliſum, præventumque vidi facta longiſſima, quantum licuit, inſpiratione, & ſpiritu, quam fieri diutiſſime potuit, retento.

Quas mutationes hæc febris per autumnum ſubiverit, poſtea dicam, ubi menſes autumnales, Septembrem, Octobrem, Novembrem de-

deſcripſerò. Hinc quæ ibi habentur, huc traducantur, ut integra ſit æſtivæ febris, & admirandæ variationis ejuſdem hiſtoria.

Æſtivam appellavi hanc febrim, quod per æſtatem frequentiſſime fuerit ſpectata, etſi hinc ver jam occuparet, illinc usque ad finem autumni imperium ſuum prorogaret.

CAPUT XI.

REFLEXIONES IN HISTORIAS SUPRA RECENSITAS.

EN febrim æſtivam anni 1777. mille formas ludentem, & mirifice protheiformem! En & appoplexias, & phrenitides & ophthalmias, parotides, anginas, ſyderatas linguas, artusque, & pulmonum affectus varios, ac graves, & rheumata, colicas, convulſiones, & paroxysmos hyſtericos, & efflòreſcentias tanquam ejusdem fontis in diverſa dilapſos rivos nunquam ſiccandos, niſi ipſa ſcaturigine reſiccata.

Chamæleon hic verſipellis, bilem ajo æſtivam, multariam imponere iis ſolet, qui annuum illum febrium circuitum, & epidemiarium indolem ſemper *eandem* in ſe, ſed millenis luſibus ludentem non ad ipſos ægrotantium lectulos, non penitiſſime fuerint edocti.

Qui morbos æſtatis hujus cum iis contulerit, ſub

quos aliorum annorum æſtates, atque alio adeo ſub ſole peperere, maximam inveniet morborum æſtivorum omnibus annis ſimilitudinem, genium eundem omnino, eandem materiem morbificam, atque eandem, ſi rei caput ſpectes, therapeuticam methodum.

Quod ſi quid reperias diverſitatis, illius id generis erit, ut varium ſolummodo morborum numerum, diſcrimen varium, durationem eorundem, typum, efflorescentias, criſes, complicationes, eorum aut præmaturum, aut tardiorem inſtante æſtate ingresſum, aut fugam ſub autumnum, hyememque citiorem, aut magis dilatam diverſis æſtatibus variare diverſimode videas, aut hoc anno hanc partem corporis præ alia impeti. Quemadmodum enim *eadem* æſtate diverſiſſimam faciem *idem* morbus obvertit, etſi *eadem* ratione percurandus, ita variationes ejusmodi non eſſentiales *ejusdem* morbi multo frequentiores occurrunt æſtatibus *diverſis*.

Non paucæ equidem epidemiarum æſtivarum deſcriptiones proſtant, quas qui ſcripſere, quaſi novas quasdam, aut nunquam omnino, aut rariſſime viſas & arbitrabantur, & poſteros ſic perſuadebant. Id inde contigit, quod adventitium quoddam, non eſſentiale, ſed *hoc* anno eminentius fortaſſe, atque univerſalius ſpectatum ſymptoma arripuerint, indeque, tanquam a nota characteriſtica digreſſi, epidemiæ notionem formarint, non utique genuinam, cum ex accidentibus ſolum non neceſſariis, & mutabilibus reperiretur, atque etiam deceptricem, quia morbi notionem malam mala conſequi methodus debebat. Verum qui ad artem recte conſequendam Coi oraculi ſuaſu (*) *omnium primo anni*

(*) L. de aëre, loc. & aq. c. 3.

anni tempora animadvertit, *quid horum quodque poſſit efficere*, quive omne fere tempus penes ægros numeroſos, & morborum indole perveſtiganda, & experiundo conſumit, nullius vel magiſtri, vel opinionis prædilectione abreptus, in id unice intentus, ut proſit, ut periculum omnium faciat, & quæ didicerit meliora, retineat, vulgetque, is, inquam, hanc mirificam morborum quavis æſtate recurrentium ſimplicitatem nunquam prætervidebit, utut verſicolorem, & variegatam; epidemiarum deſcriptiones, etſi quam maxime mancas cum emolumento leget, & tanquam ex ruderibus, quod olim ſteterat, ædificii formam delineabit.

Hanc popularium per æſtatem morborum ſimilitudinem vel ipſa Hippocratica peſtilentis epidemiæ deſcriptio probat, remotiſſimo licet ſub cœlo facta, & quam plurimis abhinc annis. » Etenim & ignes ſacri quam plurimi numerantur, & faucium dolores, & oris fervida ulcera, lippitudines humidæ, longæ, diuturnæ, cum doloribus; febres ardentes, ſoporoſæ, anxiæ, horridæ, per vices exacerbatæ, phreniticæ, cum alvo turbata, ſeceſſibus crudis, tenuibus multis; tubercula foris, intus, circa inguina; carbunculi per æſtatem multi, &c.

» Circa alvum multis multa, & nociva acciderunt, teneſmi, lienteriæ, dyſenteriæ, ſeceſſus bilioſi, pingues, tenues, aquoſi, tormina, & volvuli maligni. Multa præterea alia febrium genera graſſata ſunt, tertianæ, nocturnæ, continuæ, longæ, erroneæ, anxiæ, inconſtantes, ubi alvi plurimis turbabantur. » (*)

Sed

(*) C. III. de morbis popularibus ſect. III.

Sed & ægrorum hiſtoriæ, quas deſcriptæ epidemiæ ſubnexas legimus, eandem ad amuſſim imaginem ſiſtunt, quam noſtris quotidie oculis per æſtatem febris æſtiva obtulit bilioſa, pituitoſa, putrida, malignaque ſeu ſuapte ingenio, ſeu ob remediorum neglectum, ſive ob ſiniſtrum eorundem uſum.

Quædam ad hæmoptoën pertinentia.

Hæmoptoën & hoc, & præterito anno per æſtatem, & autumni initia perfrequentem experiebamur, cum difficili ſubinde ſpiritu, ardore thoracis, & pungente lateris dolore, & febre.

Quidam excepta ſputatione cruenta nil moleſtiarum querebantur. Fuere, qui ſæpius jam, atque etiam aliis æſtatibus ſanguinem tuſſitando rejecere, & a multo jam tempore copioſa, glutinoſa, & puris quamdam ſpeciem præ ſe ferentia, noctu, & horis antelucanis extuſſitarunt. Hos omnes aut febris tenuit luculenter bilioſa, aut bilioſa ſaltem *diſpoſitio*, & occulta febricula. Sapor certe, & lingua alieni quid habuere, & minutum erat aliquantum deſiderium cibi. E ſomno evigilantibus matutino amariuſculum quid præter morem moleſtum fuit, aut pituitæ copia, ac male ſapidæ ſalivæ, fauces replens.

Hos omnes in conſpectu multorum Noſocomium adeuntium & tuto, & intra non multum tempus cum conſtantia perſanavimus.

Non deſtiti, eos, qui ægrotos viſentem ſequebantur, *in hanc hæmoptoes ſpeciem* reddere perattentos: eam a bile æſtiva effici, quemadmodum multi alii æque mirabiles effectus, obſervationibus oſtendi certis, & multiplicibus. His, qui ſic ægrotabant, aqua ſimplici cum multo oxymelle, & ſale medio uſis exacto nychthe-

themero emeto-catharſi ventriculum ſubvertimus, multamque plerumque bilem, & αμωργην ανω, και κατω copioſam eliminavimus, & quanto cum emolumento, quamve intra breve tempus conſecuto! Vomentes ne guttam ſanguinis rejecerunt, quaſi ipſa emeſis hiantia pulmonum vaſa quovis auxilio citius, atque efficacius ſtringeret; & vomitu jam peracto aut nihil omnino ſanguinis, aut ejus nonniſi paucum quid per intervalla, & ad exiguum tempus comparuit.

Repurgato abdomine ſalina remedia continuabamus, quo impetum humorum ad abdomen inclinaremus, liberum modo, & liberiori ſanguinis periodo, rejecta illuvie aliena, idoneum effectum.

Sed & hominem a relapſu præmunire oportebat, ac novam novi fomitis bilioſi geneſin præcavere, & corroborare laxos pulmones, ne denuo ſanguinis plus, quam apte cohibere poſſint, ſuſcipiant, ſuſceptumque male dimittant. Hic ſanguinis receptus ad imbecillum viſcus tunc potiſſimum eveniet, cum meare is libere per abdomen nequit, multis utpote, alieniſque ſordibus gravatum. Ea ratio fuit, cur vim ventriculi acuerimus, & reſtituerimus robur univerſo corpori remediis amaricantibus, aliiſque hunc finem laudatis. Sed ſub uſu iſtorum alvus liberior eſſe debebat, & ter, quaterve quotidie reſpondere, ut ſic humores deorſum, & ad alvum vergerent huc continuo invitati, & eorum vis a pulmonibus averteretur.

Hac methodo etiam illos ſanavimus, quibus redire hæmoptoë omni æſtate ſolebat, & quibus repetita, & profuſa ſanguinis miſſio, priusquam nobis committerentur, hanc e pulmoni-

bus hæmorrhagiam adeo non ſtitit, ut eam etiam adauxerit.

Qui *hujus* hæmoptoes notionem habet, & vires opii noverit ſanguinem rarefacere, & eſſe impuro ventriculo inimicas, æque noverit, opio locum hic nullum fuiſſe, eoque morbum fuiſſe graviorem effectum.

Adſtringentium remediorum vanitatem, qui non ſperabatur, eventus docuit.

Rubor faciei intenſus, & oculi quaſi ſanguine ſuffuſi neutiquam nobis aut plethoræ, aut phlogoſeos ſignum fuerunt, nec ulla ideo phlebotomiæ neceſſitas fuit. Bilioſi ſæpenumero ſupra modum rubuerunt, at everſo ventriculo, & bile refuſa cum levamine palluere. Nec qui e naribus ſanguinem ſtillabant, aut quibus ex utero prodiit, idcirco pro plethoricis, aut inflammatis habebantur, ſi cætera reclamarint. Ipſe febrilis impetus ſanguinem vel e naribus, vel ex utero movebat. Si quando horum quid in morbo comparuit, nec inde quid mali præſagiebamus, nec ſperabamus quid boni; neque unquam ullam inde agendorum rationem depromebamus. Suffecerat ſpectaſſe ipſum morbum, ejusque principem cauſam, atque huic medelam oppoſuiſſe directam, & parem.

Curavimus morbos ſubinde compoſitos ex inflammatorio videlicet, & bilioſo. Id morborum connubium diverſorum verno maxime tempore eveniebat, hyemali phlogoſi nondum penitus diſſoluta, & longius hinc inde procurrente in tempora bilioſa.

Sed & alia ratione bilioſæ febri ſubinde vera inflammatio ſub exitum veris jungebatur, ubi bilis diatheſin offenderat inflammationibus aptam, & ſanguinem ſuccendebat. Eam febrium compo-

poſitionem plerumque quotannis etiam autumnus profert, præmaturo præprimis frigore horreſcens, aut proximus hyemi, ubi bilem æſtivam brumalis inflammatio propulſat, cum eaque ſubinde concurrit.

Quodnam hic in medendo conſilium arripuerimus, quave fortuna, vel infortunio, hiſtoriæ morborum docent.

Ubi febris, quæ ex relioſa, & inflammatoria coaluit, phlebotomiam exigebat, ſanguinis corium vidimus non albidum, quemadmodum in impermixta alias inflammatione ſolet, ſed flaveſcens, vireſcens, flavo, viridique ſero innatare, craſſum valde, & tenax.

In emeto-catharſi pluries repetenda eam legem ſequebamur, ut omni altero, tertiove die ſeceſſum, & emeſin moliremur, donec febris aut emanſerit penitus, aut maximam partem deferbuerit, dummodo vires id genus remediorum admitterent, quibus vigentibus emeticum reiteravimus non ob nota ſolum onerati ventriculi ſymptomata, & febrim aut eodem decurrentem tenore, aut denuo inſurgentem, ſed etiam ob linguam ſiccam, aduſtam, nigreſcentem, retorridam, ligneam, aut ob cephalalgiam magnam, & capitis calorem gravem, cumque ſenſum, ac ſic, ut ægrotantium phraſi utar, *caput diſſiliret.* Mirum certe, & ſubitaneum febrilis æſtus ſolamen ab emeto-catharſi ſæpiſſime vidimus. Hinc factum, ut nunquam in mentem venerit, oxyrhodina, & neſcio quæ epithemata capiti adplicare, quæ ægrum, & aſſidentes dulci potius futuri levaminis ſpe lactant, quam relevant.

Ubi phlebotomiæ male inſtitutæ vim vitæ confregerant, periculoſum fuerat alvum, aut

vomitum periclitari. Novi enim & mortem illatam, eamque repentinam, ubi æger miſſo antea ſanguine enervatus potionem emeticam hauſerat, utut non draſticam, utut multa, pravaque ducentem, quamve vegetior alius eodem in morbo fuiſſet expertus ſummopere ſalutarem.

Id aſſero, *non propinandum emeticum eſſe, usquedum os non amplius amareſcat, & lingua mundetur, nec ventriculus doleat.* Hæc enim ſymptomata ſub initium morbi pravæ illuviei debebantur, quæ, eliminatis licet ſordibus nihilominus perſtant, non jam a malis contentis generata, ſed a languidiſſimo ventriculo, & ab introrſum verſo humorum ſalivalium ac bilioſorum niſu, eorundemque ſecretione, & excretione ob pharmaci ſtimulum adaucta. Eo in caſu firmare ſyſtema gaſtricum anniſus ſum, & hiantia vaſa adducere remediis amaricantibus, & cortice imprimis peruviano.

Omnium ultimo linguæ mundities, & naturalis mollities rediit, nec ægro a relapſu ſufficienter proſpectum exiſtimabam, donec lingua per omnia ſe haberet, uti in ſanis ſolet.

Si morbus *princeps* emetico indiguit, haud facile quidquam coinciderat, quod emeſin *contraindicaret.* Variolarum nullum ſtadium, nec morbillorum, nec catamenia, nec gravitas, nec lochia, nec aliud quid *curam antibilioſam*, ubi ejus neceſſitas fuerat, vomitoriis inſtituendam prohibuerunt. Mirabar multoties, hæcce *coincidentia*, variolas, morbillos, purgationes muliebres &c. ob æſtivam hanc febrem multum a ſuo tramite deflexiſſe, evaſiſſe anomala, gravia, periculoſa, & ſola methodo illa, quæ febrim popularem *directe*, atque efficaciter aggrederetur, fuiſſe denuo inta orbitam reducta.

Con-

Contraindicantium numerum in dies experior eſſe multo minorem, ac olim arbitrabar.

Indicationes curativas non deſumſimus ex febrium aut vario typo, aut luſu vario ſymptomatum; ſive enim continuam quis diceret, ſive remittentem aut ſtatis horis, aut erroneo modo, ſeu intermitteret quacunque ratione, ſeu efflorescentiis quibuscunque ſtipatam, & quidcunque græci nominis ſchola vetus tribuiſſet, omnibus *eandem* fecimus medicinam, ubi *eandem* febris cauſam advertebamus, aut *propemodum eandem*. Hinc cauſæ morbificæ, non autem variis ejusdem cauſæ effectibus, aut luſibus, & modificationibus adventitiis medendi methodus adaptabatur.

Innumeræ ſunt pulſuum deceptiones, quas de induſtria vitabamus, cum nihil magni, ac decretorii aut omitteremus, aut moliremur, ſuadente vel diſſuadente ſolo pulſu, ſecurioribus ſemper ſignis confiſi.

Pulſus pleni, fortes, duri, vibrantes, & plurimum exagitati in febre bilioſa plethoram, & phlogoſin ſæpenumero mentiebantur, ſed ſubverſo ventriculo, remotoque bilis ſtimulo mox melleſcebant, naturalibus vix diſſimiles.

Aliam pulſuum fallaciam vidimus, ſi quando iisdem a rhythmo naturali non abludentibus ægrum nihilominus plena diſcriminis febris tenuit.

Curtam habuimus materiæ medicæ ſupellectilem, non ob penuriam, ſed quod ita nobis placuerat ipſismet. Comtas remediorum formulas illi ſibi ſervent, queis dura neceſſitas incumbit matronarum palatum deliniendi, aut ea propinandi, quæ ſuo ſe pretio commendant.

Primo nychthemero aquam puram copioſe hauriendam dedimus, cui aliquid oxymellis commi-

miſcuimus, ex æquali portione aceti ſimplicis, & mellis ſola miſtione parati.

Hunc potum omnibus decoctis præferebamus, quod & parabilis eſſet, & ægris gratiſſimus large potaretur. Interea temporis potiunculam ſalinam propinabamus in plures diviſam doſes ex aquæ ſimplicis dimidia libra, & drachmis duabus *arcani*, quod vocant, *duplicati* compoſitam. Plus ſalis medii intra viginti quatuor horas ingerere nolebamus, ne alvus, antequam emeticum exhibeatur, nimium fluat, & propinatum poſtea emeticum convertatur in purgans, id quod plerumque fiebat, ubi vomitorium alvum offenderat jam antea diarrhoeicam. Plus profuerat cholera artificialis, quam ſola dejectio vomitu carens.

Peracta emeſi ſola aqua, melle & aceto utebantur, & octo fere horis nil alterius remedii ſumſerunt. Turbas tempus ipſum, & blande obrepens ſomnus multo felicius, tutiusque compoſuit, quam qualecunque narcoticum, a quo plerumque abſtinebamus. Elapſo hoc tempore, quid ultra facere oporteat, expendebamus; vel enim eandem quam initio, potiunculam ſalinam, vel vero, ſi quando glutinoſa potius, quam bilioſa vomuerant, mixturam præſcripſimus ex libra dimidia aquæ ſimplicis, & drachmis duabus ſalis ammoniaci, adjecto pauco melle confectam. At ubi fuſior alvus, & virium dejectio ægrum affligerent, pulveris radicis arnicæ drachmam dimidiam, aut integram omni quarta, vel & omni altera hora vel ſolam, vel una cum aliis *coindicatis* dedimus.

Qui ſanguine male emiſſo, aut morbi diuturnitate confecti compage jamjam diſſolvenda ad nos venere, ocyus corticis peruviani decocto uſi ſunt,

ſunt, emeſi aut neglecta, aut eadem modeſtius, & ope ſolius radicis ipecacuanhæ concitata.

Reconvaleſcentium vires decoctum herbarum, & radicum amaricantium, & victus idoneus reſtaurabat.

Multa adhuc ſuperſunt, quæ, prout memoriæ occurſant, narrabo, per æſtatem potiſſimum obſervata.

Sic pulſus exiles, & ferme ſub digito evaneſcentes, celeresque in febre æſtiva ſæpius deprehendi. Tunc vero inquirendum fuerat, quænam ex duabus cauſis, quarum ſingulæ exiliſſimos pulſus faciunt, obtineat; ſubinde enim *vera* aderat virium jactura ob multas, largasque ſanguinis miſſiones, & ſymptomaticum, ac grave profluvium alvi: at tunc, utut ægri multa ſubinde fæce putrida abundarent, tamen, pravorum licet ſuccorum evacuationem non tulerunt. Pulſuum debilitas vera, & fictitia.

Puella phlebotomiis, priusquam ad nos deportaretur, ad incitas jam redacta, poſt lenem emeſin, rejectaque multa licet, & amurcoſa bile mox lapideum artuum frigus exhibuit, pulſibus arteriarum omnino abolitis, & morte, quam forte poſt aliquot primum dies, non propinato emetico obiiſſet, paucis ab emeſi horis inſecuta. Debilitatis veræ cauſa, & medicatio.

In hac *vera* debilitate *directam* medendi methodum ope emeto-catharſeos jam non amplius poteram adhibere, ſed viribus vitæ conſulendum decocto corticis, radicis arnicæ infuſo, vinoque fuit, ut vires vitæ erigantur, erectæque aut ipſe morbificam materiem coquant, eliminent viis, & modis variis, lente equidem, & cum diſcrimine, & per ambages.

Subinde ægri ex hac ingenti imbecillitate re-

focillati leniorem emeſin *ſerius* utiliſſimam experti ſunt, quæ ſtante illa exigua vitæ vi, & citius inſtituta enecuiſſet.

An in vera debilitate veſicantia proſint.

Veſicantibus in vera maligne decumbentium debilitate a longo jam tempore non ſum uſus. Stimulos habent brevi denuo evanidos, ſudorem ſæpe noxium cientes, quæve & alvum, atque urinam cohibent, necroſin interaneorum imminentem accerſiunt, & majorem plerumque ruinam virium, & torporem relinquunt. Gaudeo, me a miſerrimo hoc maligne febrientium auxilio, ex quo mihi melior medendi ratio innotuit, auſpicato plerumque abſtinuiſſe.

Perraro contigit, ut in vera debilitate ventriculus, & inteſtina omnia cardiacum quodcunque nauſearent, nihilque medicamentoſi valerent ad vias ſecundas ablegare, atque a remediis quibuscunque potius opprimerentur. Veſicante tunc uſus ſum, & excitantem cantharidum vim per inhalantia cutis vaſa, non ſalutato ventriculo, immiſi.

Eodem quoque tempore, & eodem fere conſilio epiſpaſtica ſuris admovi.

Pulſuum fictitia debilitas.

Alteram exiliſſimorum pulſum cauſam non raro in iis vidi, qui nullas adhucdum evacuationes paſſi ſunt, aut ſaltem parciores, quam ut inde tanta debilitas deduci quiverit. His vero materies circa præcordia ſummopere turgebat. Cardiacum fuerat emeto - catharticum, quod pulſibus vigorem illico reſtituit. Fictitiam hanc debilitatem ſtimulantia non emendarunt, ſed mirum quantum auxerunt.

Quæ ſit epocha, qua febres ga-

Febres bilioſas in putridas, in malignas multiplici ratione converti alibi aſſerui, neglectu potiſſimum, aut regimine calido, aut phlebotomiis præter rationem inſtitutis. Quamdiu febres

bres ejusmodi bilioſæ ſolventibus, atque emeſi uni, aut pluribus ceſſarunt, eæ necdum malignitatis accuſabantur. Ubi vero quacunque ratione aut putrida abdominis illuvies ſanguinem ita coinquinarat, ut ſolventibus, & emeto-catharſi non potuerit amplius ſubduci, atque intra breve tempus eliminari, malignitatem adeſſe arbitrabamur. ſtricæ in malignas abeunt.

Methodum medendi tunc *indirectam* adhibebamus, eamque in eo reponebamus, 1. ut vis vitæ non nimis torpeat, ſed ita intendatur, ut humoribus, permixtam alienam materiem attenuet, ſubigat, aut aptam efficiat, quo per varia corporis cola, ad quæ adpulerit, trajiciatur, atque ita exterminetur. 2. ut ne nimium vivida vis vitæ ſit, & contra inimicam materiem potentius inſurgat cum diſcrimine ægrotantis. & quænam tunc methodus conveniat.

Tunc vires ægri adcurate, ac juſte oportuit æſtimare. Torpidam vitæ vim vinoſa, amara, & ſtomacho amica erexerunt, & fibras imbecillas decoctum corticis peruviani, infuſo-decoctum radicis arnicæ firmavit. Quibusdam, queis neutram in partem vis vitalis peccavit, decoctum radicum graminis, & taraxaci cum oxyſacharo propinavimus, quantum absque incommodo haurire potuerunt, & quin ventriculus læderetur. Item cui rei eamethodus unice innitatur?

Spem omnem in juſto hoc virium moderamine conſervato, atque in eo reponebamus, ut omnia cola reddantur aperta, & adpellenti morboſæ materiæ excipiendæ, excernendæque idonea. Alvum habere facilem, & urinas expeditas magnopere profuit.

Hinc in exacta virium vitæ penſitatione rei cardinem verti exiſtimavimus.

Nullam interim excretionem violenter urgeba-

bamus, nullamque ita profuſam eſſe ſinebamus, ut inde viribus metuendum fuerit, aut aliæ nimium langueſcerent, & ſupprimerentur.

Atque ita pugnatum in eò morbo fuit, ubi inimica materies jam eos fines tranſierat, intra quos conſtituta directam ſolventium, atque catharſeos poteſtatem fuiſſet experta.

Nunc, cum illa jam eo irruerat, ubi ſolventium, vacuantiumque viribus jam non amplius ſubjecta fuit, res ſoli ferme medicatrici naturæ committebatur. Languidos ejusdem conatus incitavimus, ferocientes moderabamur, aberrantes reduximus.

Hinc nullum habuimus remedium, quo in omni, ac ſingula maligna febre, & ſemper uteremur.

Idcirco recens non raro aqua, eaque frigidiuſcula cum ſacharo, & pauco vitrioli ſpiritu, ut *limonadam* referret, aut graminis, & taraxaci, cichoreique decoctum, vel etiam utrumque hoc genus remediorum, & lenta, minimeque tumultuoſa feſtinatio multis ſalutem attulit, quos tumultuoſa agendi ratio, & camphora, & ſerpentaria virginiana, aliaque ſtimulantia, & alexipharmaca peſſumdediſſent.

Sed & horum, & conſimilium uſus eſſe in magna virium jactura poteſt.

Quod ſi tamen excitantibus, & cardiacis opus fuerat, illa mihi magis placuerunt, quæ ſtomachus plerumque libenter admittit, quæve & ſanum alias, ſed languidorem valent recreare, amara, corticis peruviani decoctum, aut ejusdem extractum, vinum &c.

Aër frigidior, recens, hauſtus frigidæ, ſorbillationes vinoſæ ſæpiſſime pluris ſunt, quam immites, & ventriculo inimici remediorum quorun-

rundam ſtimuli, qui poſtquam remoti fuerint, vitæ viribus nullum augmentum permanens addiderunt.

Maxima vis eſt aëris frigidiuſculi, recentisque in prohibendis bilioſis morbis. Qui compluribus diebus aërem calentem, & non perflatum hauriunt, ventriculo gravantur, minus appetunt, ac ore amaro ſunt, & febrire incipiunt. His ita ægrotantibus præmiſſo ſolvente, & antibilioſo potu multam bilis amurcam, & magno cum levamine excuſſimus. Ejus rei exempla complura in iis vidimus, qui tempore æſtivo ex morbo quodam chirurgico decubuere in anguſtioribus cubiculis, atque una cum aliis. Supervenientes id genus febres gaſtricæ morbos ipſos chirurgicos, vulnera, ulcera, &c. effecere repente, & mulvo pejores. Imminentem non raro in parte læſa gangrænam cura antibilioſa repreſſimus, & ne ſanati denuo relapſum paterentur, aëre luſtrato, & ſtomachicis remediis ventriculo cavimus.

Aëris concluſi, putridique ventriculi vim infringit. & febrim gaſtricam invitat.

Hanc febrim, quæ vulneratis, ulceratis, aut alio chirurgico morbo affectis, atque in Noſocomio diutius concluſis inſidiabatur, *noſocomialem* appellabamus, etſi reapſe a febre gaſtrica, bilioſa, putrida ne hilum differret, ſeu notas utrique communes, ſeu methodum medendi ſpectes.

aut Noſocomialem, quam à vitio gaſtrico ſemper natam obſervabamus.

Nil prorſus periculi hæc febris *noſocomialis* habuit, cum eam ultra initium progredi non ſineremus.

Febrium gaſtricarum certæ fuerant in ſalutem prædictiones, malignarum vero perquam incertæ. Quis enim certo prædixerit, materiem intra viſcera receptam canales ubique pervios offenſuram, nullae oberraturam, nullibi

bi plus æquo coacervandam, petituramque recta eſſe vias illas, quibus tuto egeritur!

Dies critici an fuerint in febre æſtiva obſervati.

Quæ de criſibus, certisque illarum diebus tradi ſolent, obſervari in ægris noſtris aut non poterant, aut ita obſervabantur, ut multi absque inſigni, viſibilique materiæ excretione, & lente ſeneſcerent, aut illa absque dierum delectu eveniret. Multi initium morbi ignorabant, ii præcipue, quibus is inſidioſe obrepebat, quive leviora valetudinis incommoda vilipendunt. Plerique de primo morbi die dubitabant; in paucis de morbi exordio exacte conſtitit.

Idcirco in exhibendis remediis nullum omnino diem aut præſentem, aut imminentem morabamur. Etſi enim dierum criticorum doctrinam obtinere ſumamus, ea tamen ignorato morbi adcurato initio inutilis plerumque fuerat, atque infida.

Manifeſtum exemplum malignæ febris non contagioſæ.

Puerperam ad nos deportarunt febre gaſtrica laborantem, ſed neglecta, & parvo regimine in maligniſſimam converſa. Hæc paucos poſt dies mortem in Noſocomio obiit. Infanti mater jam maligniſſime febriens domi ſuæ ubera porrexit. Puellum morbi contagium nullum hauſiſſe, incolumen manſiſſe, & vegetum, maritus aſſeruit.

Mictus difficilis in febre æſtiva.

Febre bilioſa correpti, præcipue æſtate adulta, ſtrangurioſe minxerunt: paucis lotium omne ſupprimebatur. Solventia ſalina, & emeto - catharſis renes, & veſicam illico expediverunt. Ab emollientibus, mucilaginoſis, & oleoſis penitus abſtinebamus, quæ crudam abdominis illuviem ſua mole, & prava qualitate auxiſſent.

& moleſtiſſima diarrhœa;

Pleroſque febricitantes æſtate, & per autumnum

num moleſtiſſimus ventris fluxus vexavit, vires ſummopere exhauriens, & ſubinde difficillime ſiſtendus. Ægri a levi purgante plurimum lædebantur. Idem omnino noſtris ægrotis acciderat, quod Hippocrates accidiſſe ſuis L. III. ſect. VII. de morb. vulgar. teſtatur: » Purgationes (καθάρσιες) plurimos offendebant: eorum vero, qui ita habebant, plerique quidem ſubito moriebantur, multi etiam diutius perdurabant. Atque ut ſemel abſolvam, tum qui diuturnis, tum qui acutis tentabantur morbis, ex ventris vitio omnes fere periere; omnes namque venter pariter ſuſtulit.

Scarlatinæ febres, quarum copiam ver primum, & ſerus autumnus dedit, vigente æſtate fuerunt perquam raræ. At omnes, quotquot habuimus, fuere originis gaſtricæ, & non raro vitium inflammatorium fuerat commixtum. In ea enim tempora hæc febris incidebat, ubi binæ differentes anni conſtitutiones, hyemalis nempe emoriens, & inchoans æſtiva, & vice verſa ſeſe excipiunt. Febris ſcarlatinæ origo.

Hoc anno vomitum movere ſolebam duobus ſcrupulis radicis ipecacuanhæ, cui granum tartari emetici adjeci. Si cui adulta æſtate, qua fluxus alvini increbuerunt, venter ad nos venienti profuſe fluxit, propinatum emeticum raro vomitum commovit, ſed purgantis inſtar diarrhœam multo reddidit auctiorem, atque enervantem. Hinc alvum fluidiſſimam exhibita theriaca Andromachi prius coibui, & elapſis ab aſſumto narcotico una, aut duabus horis emeticum propinavi. Quonam vomitorio uſi potiſſimum ſimus? de modo.

Peracto vomitu diarrhœa ſubinde compreſſa eſt, perſeverantem diutius infuſo-decoctum ra-

dicis

dicis arnicæ, aut ipſa in pulverem contrita radix certo, at pedetentim ſtitit.

& tempore exhibendi emetici.

In febribus intermittentibus, uti & remittentibus vomitorium finita primum exacerbatione dedi, quo tempore ſuperficies omnes externæ, atque internæ ſudoribus maduerunt.

Somnus, ſudor levans poſt emeſin, absque opio.

Poſt emeſin opiata non dedi, niſi ſi forte peculiari ſymptoma intempeſtivius urgeret opio compeſcendum. Peracto vomitu plerique inter levantes ſudores placide obdormiverunt.

Aphtharum origo, & cura.

Aphthas in adultis impura ventriculi illuvies produxit; easque nullibi offendi absque ſtomachi cruditate. Emeto-catharſis, & dein gargariſmata ſubadſtringentia, ne oris ulcuſcula certe non critica, in laxo, & putredinem facillime concipiente faucium corpore latius ſerpant, requirebantur.

Nunquam pulſum exploro recenter evigilantium, ut inde febris aut decrementum metiar, aut intenſionem; omnes enim mox e ſomno expergefactos calere multum, febrire valentius, & habere ſe pejus obſervo, at ubi diutius jam vigilaverint, juſtam morbi menſuram exhibere.

Pauca quædam de futurorum in acutis prædictione.

Exponam nunc, ad quæ animum præprimis adverterim, ut, quem morbus eventum ſit ſortiturus, mente quodam modo præcipiam.

Novi equidem in acutis infidas prædictiones eſſe, traditaque in eam rem præcepta multa vacillare, & claudicare. Nihilominus frequens ægrorum acute ægrotantium contemplatio intellectum ita diſponit, ut varium morbi diſcrimen, & ſalutis, aut mortis majorem, minoremque probabilitatem, atque ejus probabilitatis quosdam veluti gradus concipiat, dijudicetque, an æger pone illam quaſi lineam adhuc-

hucdum adhæreſcat, ubi æqualia vitæ, & mortis momenta ſunt, ſpesque, & metus æquilibrantur; vel vero an ab eodem receſſerit jam, & quamnam ad partem, & quantum.

En pauca quædam huc attinentia, quorum memoria nunc ſubit.

Si quando inflammatoria febris ſananda obvenit, quam potu multo, atque antiphlogiſtico, & terna largiori phlebotomia inſtituta exardeſcere nihilomninus atque efferri obſervabam, æger in magno diſcrimine verſabatur. Non id dico, non pluribus perſæpe phlebotomiis in curanda phlogoſi opus eſſe; ad illud fidenter aſſero, inflammationem poſt tertiam ſanguinis, eamque liberaliorem miſſionem infringi multum debere, aut ſaltem non ultra intendi, ut ſpes ſalutis recuperandæ poſſit perdendæ vitæ metum ſuperare.

Pleuritides, & peripneumoniæ veræ cacochymis, aqua intercute, œdemate crurum, aut diuturno eorumdem ulcere vexatis plerumque fuerunt lethales.

Quorum abdomen ſentinam putridam continebat, alendæ putridiſſimæ febri parem, ſimulque gravem phlogoſin aut inteſtina, aut pulmo conceperant, perierunt.

Ruri inflammationes thoracis graviſſimas initio viſas per hyemem, & ver obſervatas medicationæ nihilominus nec operoſa, nec diuturna ſæpius ſanavi, quas in plebe urbana difficillimas vidi, & multo frequentibus mortiferas.

Sed etiam ab anni tempore, morbisque per eam tempeſtatem regnantibus de eventu præſenti morbi augurium cepi.

Plurimum quoque intererat in dijudicando vario ſalutis diſcrimine, quo quis vitæ genere antea

tea uſus fuerit, perveſtigare: ſic fabri lignarii præ cæteris gravius ac æſtate, atque etiam diutius ægrotabant, & difficillime eluctabantur.

Qui in longo itinere, & laborioſe confecto, in febrim æſtivam inciderunt, atque ex via ægroti ad Noſocomium venerunt, rarius evaſerunt.

Febres, quæ initio leves, & periculi immunes eſſe videbantur, longas, judicatu difficiles, & non raro lethales vidi, ubi aut diuturna antea triſtitia, aut multæ vigiliæ, aut diæta tenuis, crudaque præceſſerunt.

Ancillas ægrotanti familiæ inſervientes aut quas amaſii fuga, aut deluſus quacumque ratione amor in longum mœrorem conjecit, laſſas initio, nauſeabundas, ore amaro, & ſuperficiaria ſolum febricula, bilioſam referente, tentatas, plerumque laborioſa tandem, & plena diſcriminis ægritudo proſtravit.

Orphanorum puerorum, puellarumque febres periculoſæ fuerunt.

Febris bilioſa recenter orta, in homine antea ſano, & ſimplex, etſi valdopere exarſerit, plerumque periculo carebat, & intra non multos dies ſanabatur, ſi medicatio opponebatur apta, & tempeſtiva.

Eadem vero phlebotomis multis efferata aut ægrum necabat, aut eum dubiæ, vacillantique ſanitati transmittebat.

Febris bilioſa æſtivo tempore latius dominabatur, at funera vix ulla dedit, niſi malam medendi rationem habuerat adjutricem.

Hyems, & ver hanc multo rariorem quidem, ſed eventus ancipitis, experiebantur.

Cum ſingula, quæ ægro extra Noſocomium acciderunt, aut quo quis victu uſus fuerit, & vitæ

vitæ genere, quæve morbum proxime fuerant prægreſſa, non raro neſcirem, utut, omnia ſedulo perquirens, in id intentus fui, an in febre biliofa, præmiſſis remediis ſolventibus, & emetocatharſi ſubjuncta, æger inſigniter allevetur, & præprimis, an rubicundus genarum color cum oris, labiorumque virore flavo in homogeneum magis totius faciei, albidioremque pallorem convertatur.

Inde felicem exitum augurabar, etſi elapſo nychthemero recrudeſcerent cuncta; hæc enim repetito pharmaco fugabantur.

Ubi vero ea bilioſorum rubedo ne hilum mutata perſtitit, non amplius febrim gaſtricam appellabant, ſed malignam, gravem, & ſortis dubiæ.

Febrim bilioſam ſubinde inſultu epileptico inchoatam in fœminis obſervabam, ſed eo ſponte ſoluto, & methodo antibilioſa adhibita cito ſanabantur, & quin reverteretur convulſio.

Convulſiones ſerius accedentes periculoſiſſimas vidi, maxime viris, etſi leves viderentur, obſcuræ, & topicæ.

Nihilominus in omni convulſione, maxime febrili, futurorum ſcientiam omnem incertam novi; novi enim e graviſſimis convulſionibus evaſiſſe alios, alios e multo levioribus periiſſe. Vaga, & errabunda nervorum affectio, quæ artus omnes hucusque forte graviter concuſſit illæſa vita, eosdem deſerere nunc ob ingenium verſatile poteſt, atque aut cor, aut muſculos thoracis occupare, & eliſo ſpiritu enecare.

Hinc vel in ipſis infantum convulſionibus, iisque vel leviſſimis in ſtimulum nervos irritantem omni opera oportet indagare, eumque auf-

ferre, ſed nil prædicere, neque mirari, ſi, quem paulo ante quaſi recte valentem, jamque extra teli jactum conſtitutum deſerueras, paulo poſt inopinato convulſum audias, atque e vivis ereptum.

CAPUT XII.

DE FEBRIS ÆSTIVÆ COMPLICATIONE CUM ALIIS MORBIS, ET PARASITICA EJUSDEM INDOLE.

Febris æſtivæ varia complicatio cum aliis morbis.

EPIDEMICUM morbum ægritudinum ferme quarumcunque, quæ per id tempus ſporadice occurſant, utut toto cœlo ab ſe invicem, & a communi illa temporis labe differentes, commilitonem agere, atque eas efficere multum anomalas, abnormes, & non raro mortiferas, quæ ſole, & abſque epidemici conſortio fuiſſent perbenignæ, argumentis demonſtrare innumeris poſſum, cumulata quotidie obſervatione collectis.

Ejus complicationis notitia eſt admodum neceſaria.

Cum epidemica conſtitutio quoſcunque alios, atque omnium horarum morbis ſuum quaſi ſub jugum cogat, ſuaque illis jura dictet, contingit, ut quem morbum intercurrentem hoc tempore hac methodo ſanaveris, alio ſanes longe alia.

Etſi enim ægritudo obveniens quavis anni tempeſtate, atque omnibus annis, & ubicunque locorum omnino eadem ſit, atque eandem etiam, ſi

ſi ſola eſſet, medendi rationem depoſceret, tamen cum ſæpenumero periculi plus ab epidemico temporis vitio, quod aliud, atque aliud eſſe ſolet, quam ab ipſa hac ſporadica effectione naſcatur, alia erit, atque alia eidem affectui ratione medicandum.

Qui regnantem temporis conſtitutionem non aſſidue reſpexerit, neque inde ſuos ſibi canones efformarit, næ is alto ſe mari committit, ventorum ludibrium, & fluctuum præda.

Ea labis epidemicæ ſcientia alios inſuper uſus habet, eosque communi opinione multo majores. Prima enim naſcentium morborum exordia, nondum forte ſpecificis notis inſignita, atque adhuc ambigua, ex anni nota conſtitutione fortunato augurio præcipimus, & imminentis periculi vim occupamus.

Febris æſtiva complicatio cum vulneribus, ulceribus.

Multi per eos menſes, queis bilis præerat, aut vulnerati, aut contuſi, aut ulcerati, aut artubus confractis noſtræ curæ concredebantur. Cum omnia, quæ utilia eſſe noveramus, ſecundum artis præcepta, & ſollicite fierent, & ſanatio pulchre procederet, en repente febriculam, identidem grandeſcentem, typo vario, & ſi ad omnia animum adverteris, æſtivæ febri, cujus indolem luxuriantem ſupra recenſui, omnino ſimillimam. Interea, quæ pure bono, & carne læta hucusque floruere vulnera, ichore tenui, cinereo, flavo, viridique madeſcere, carnibus pallidis, liveſcentibus, nigris. Artus ipſos tumor ardens cum pallidiuſculo rubore prehenderat late diffuſus, & veſiculis, quales ignis admotus facit, ſtipatus. Verum nemo inde gravius mulctabatur, cum medicinam mox ipſi principi febri promtam opponeremus, & efficacem. Soluta, rejectaque biliformi fæce, omni ſecun-

da hora pulveris radicis arnicæ drachmam dimidiam, vel integram, cui ſubinde pauxillum camphoræ jungebatur, propinabamus. Optatos ſemper effectus videbamus, eosque non raro mirabamur perquam celeres.

Artum vero tumentem, & veluti ambuſtum, atque eryſipelatoſa phlogoſi tentatum aqua abluimus communi, cui camphoratum vini ſpiritum, & acetum lithargirii inſtillavimus.

Cum lapſu ab alto læſionibus capitis, &c.

Quos lapſus ab alto, aut vix externa læſerat, hi & eo laboraverant affectu, qui illatæ injuriæ debebatur, & paucos poſt dies vel inflammatione corripiebantur, ſi ea forte tempeſtate inflammationum imperium viguit: vel vero ex febre basilioſa ægrotabant temporibus huic morbo obnoxiis. Ea commixtio morborum me diutius latuit, conſiliique ſubinde inopem fecit, cum, quæ uno tempore multum profuerunt, alio incaſſum adplicari, atque etiam nocere viderem, in morbo, ut rei inſcius tunc arbitrabar, ad amuſſim eodem.

Connubii hujusce æſtivæ febris cum morbo quodam externo, qui nihil commune habere cum febre populari videbatur, hiſtoriæ multæ nobis ſuppetunt, quas referre & longus, & inutilis labor foret. Inſtar omnium unius puellæ morbus eſto, quem ad ultimum hujus libelli caput rejeci, plura ibidem de capitis læſionibus narraturus.

Febris æſtivæ connubium cum variolis, & morbillis.

Febris æſtiva cum morbillis etiam, atque variolis in ſocietatem coibat. Id genus conſortii in varioloſo vidimus, atque in omnibus omnino morbilloſis, quotquot in Noſocomio per totam æſtatem ea infirmitate defungebantur.

Obſervatio horna, aliæque, quas animo peratten-

attento, a præjudicatis opinionibus libero, atque ut prolem amatam afflictis parentibus ſervem, mire ſollicito, in Hungaria collegi ſinceras & numero non pauco, in eam me ſententiam adduxere, *ut variolas, & morbillos eundem ſemper morbum, eumque benigniſſimæ indolis, ſi non omni ſemper, at ſaltem potiori tempore, reputarim, quive ſoli, atque extra conſortium pravum cito decurrunt, & periculo carent, ſed quos a miti ingenio ſuo populare temporis vitium detorquet, efferatos reddit, & exleges.*

Ex hac opinione eam mihi legem in ſanando utroque hoc morbo ſtabilivi, ut *febrim epidemicam, cujus preſentiam, & commixtionem cum ipſe anomalus variolarum, morbillorumve decurſus, tum propriæ epidemiæ ipſius notæ me edocuerant, methodo efficaci, & directa curem*, ea ſpe fretus, fore, ut, qui a ſuo ingenio abducti fuiſſent variolæ, & morbilli, malo utpote conſortio uſi, denuo ſuapte ad frugem redeant. Nempe & leviculum vulnus, & non magni momenti ulcus videram mores pravos induere, atque ob febris popularis ſocietatem benignæ indolis prorſus obliviſci, neque alia ratione res poſſe in integrum reſtitui, niſi eo conſortio diremto, & epidemico vitio ſublato. Quidni eandem quoque vim varioloſis ulcuſculis epidemia intentet? quidni intentatam arceamus eodem modo, & illatam propulſemus?

Quæ animo conceperam, effeci, & nulla, aut vix ulla variolarum ipſarum, aut morbillorum ratione habita totus quantus in eo eram, ut in febrim popularem inquirerem, ſi complicationem ejusdem ex ſignis ſuperius recenſitis conjectaram, eique mederer non per ambages, ſed e directo. Hinc phlebotomiarum, purgatio-

tionum, vomitoriorum, veſicantium, antiphlogiſticorum, anticepticorum opiatorum, &c. is mihi uſus in variolis, & morbillis fuit, quem ipſe epidemici morbi genius eo in homine ſibi popoſcisſet, ſi nullæ aut variolæ, aut morbilli fuiſſent complicati. En, quo infortunio, quave fortuna meum ipſe propoſitum ſim executus.

Hiſtoria varioloſi. Murarius 17. annos natus, vegeta hucuſque valetudine uſus, & corpore robuſto, die 19. Maji veſperi capite doluit, non appetiit, ſitivit. Lingua modice ſcabra: epigaſtrium totum tendi ſibi, & præter morem repleri videbatur. Dedolatio: dormivit.

20. Maji modice incaluit. Cephalalgia major, præcordiorum, ac ad umbilicum pungens dolor cum ardore: lumborum, dorſique ardor, & tenſio: debilitas major: urinarum copia: anorexia, & ſitis aucta: linguæ aſperitas: noctu quies.

21. Maji capitis dolor major, lumborum minor: totius abdominis dolor intenſior, pungens, ardens: cætera, uti pridie. Obambulavit, & ad conſuetos labores feſſum corpus coegit. Somnus.

22. Maji. præcordiorum immanis ardor, manentibus cæteris. Sudatiunculæ, nox bona.

23. Maj. heſterna graviora. Sudores: abdomen inflatum, diſtentum, dolens. Veſperi paucæ puſtulæ varioloſæ proruperunt.

24. Maj. puſtulæ vix plures: ſymptomatum exacerbatio, cephalalgia tamen remiſſiore: ventris profluvium.

25. Maj. alvo denuo adſtricta cephalalgia gravius vexabat. Ingens ſitis, & præcordiorum, totiusque abdominis, lumborumque moleſtiæ ingraveſcebant.

26. Maj. lingua areſcens, ſapor amarus: nox inſomnis.

27. Maj. mane nobis committitur. Variolæ paucæ, minutiſſimæ in facie, pectore, manibus. Petechiæ multæ, per dorſum præcipue, variolis interſperſæ. Sumto eo die potu multo: aquoſo, acidiuſculo, mellito, ſalino, veſperi multam, ductilemque pituitam ſponte vomuit. Ea nocte abdomine minus doluit: non ſitivit. Variolæ veluti recluſo carcere confertim proruunt. Nox multo tranquillior, ſed inſomnis.

28. Maj. omnia mitiora. Urina jumentoſa cum hypoſtaſi imperfecta, furfuracea: oris amaror: impedita deglutitio, & ardor faucium, quas albicantes puſtulæ occuparant. Epigaſtrii minor dolor: puſtulæ plurimæ in facie, pectore, brachiis: petechiæ in dorſo multæ, roſeæ, lenticulari ambitu.

Cum ea tempeſtate commixtum genus febrium vigeret, ubi & ſanguis phlogoſin conceperat, & ventriculum ſordibus redundarat, venam primo ſecuimus, dein movimus emeto-catharſin: multam pituitam, & bilem eduximus eo cum eventu, ut abdomen mox a vomitu non doleret, extincta ſiti, calore nullo, & pulſibus ordinatis. Noctu ſomnus multus, tranquillus, non interruptus, reficiens. Sanguinem phlebotomia eductum cruſta tegebat gelatinoſa, diffuſa, livida.

29. Maj. nulla febris. Tonſillæ tumidiſſimæ, & palatum numeroſis albicantibus, miliformibus puſtulis exaſperatum. Variolæ in facie confertiſſimæ, confluentes, complanatæ, intropreſſæ: in brachiis faſtigiatæ, elatiores, ampliores, rariores, diſcretæ, in manibus con-

fluentes, & planæ: in dorſo quædam confluentes, diſcretæ plures, ſed & hæ aut complanatæ, aut intropreſſæ, quarum aliquæ apice erant cinereo, liventeque, at ambitu omnes læte roſeo. Per medium dorſum petechiæ multæ puncticulares, & rubedine diluta floruerunt. Appetit. Urinæ naturales: variolarum plerarumque bonus color; ſed nullus ob faucium ardorem de nocte ſomnus.

30. Maj. labia, buccæ, lingua, fauces puſtulis numeroſis, albidisque refertæ. Nullus ullibi, præterquam in faucibus, dolor, nulla prorſus ſalivatio, nullus faciei tumor, nulla febris. Oculi lacrimoſi: alvus ordinata: pauciores petechiæ.

31. Maj. puſtularum incipiens flavedo: modicíſſima febris: petechiæ perquam paucæ, & profunde flavæ. Facies non tumet. Vix veſtigium ſalivationis. Potiſſimam diei partem extra lectum, & obambulando tranſegit.

1. Junii facies, & hypopia magis tumebant. Febricula. Puſtulæ flaveſcunt, & forfice aperiuntur.

2. Jun. incipiens ſalivatio. Noctu ob reſtitantem ptyaliſmum ſtrangulatio; at alvo crebrius mota, & ſalivatione redeunte mox allevatus eſt. Manuum tumor, faciei tumore inferiora petente.

3. Jun. copioſus ptyaliſmus. Venter ſalibus, & manna ſollicitatus, & fluens: vix febricula: urinæ multæ. Potus largus, emolliens, diureticus, acidiuſculus ob admixtum acidum vitriolicum.

6. Jun. venter hucusque profluens: ſalivatio parca: noctes tranquillæ: exiguus ad carpos tumor: puſtulæ exſiccatæ.

13.

13. Jun. bene per omnia habuit. Pruritum moleſtiſſimum lenivimus, cum reſiccatas puſtularum cruſtas lacte tepido emolliremus.

Hoc tempore plures furunculi enaſcebantur, unde dolor, & pervigilium, largave ſuppuratio ægrum ipſis variolis multo immitius habuerunt.

Cortex peruvianus profuſam puris copiam cohibuit. Inde & vires rediere, duro, quo utebatur, opificio prorſus pares.

Morbus varioloſus diverſa percurrere ſtadia ſolet, ſed quorum non eadem eſt apud omnes auctores ratio, nec idem numerus, nec eosdem cuivis ſtadio dies aſſignant. Variolarum ſtadia, & methodus medendi ſingulis ſtadiis conveniens, anomaliarum ratio.

Qua nos diviſione febrium diverſarum, & ſtadiorum uſi fuerimus, exponam.

Tres nobis epochas integer morbus habuit, & curricula tria.

Primo enim illud temporis momentum notabamus, quo receptum miaſma febre prodi peculiari cœpit, ſpecifica, & ſui generis, cujus etſi naturam ignoraremus, ſociabile tamen ingenium noveramus. Ea enim, utut ſola non raro, & absque periculo intra triduum metam occupet, nihilominus epidemicam febrim in ſocietatem perſæpe adſciſcit, cum eaque per avia, atque invia fertur, atque hominem ut plurimum in præceps proruit.

Primo hoc ſtadio omnem operam in eo collocabamus, ut commixtæ huic febri potenter reſiſteremus, & cito. Qua re malignitatem, quam abnorme initium morbi portenderat, auſpicato abſterſi, aut, ſi nulla complicati epidemici ratio habebatur, laborioſos rerum exitus divinavi certus augur.

Alterum memorabile tempus erat, quo mate-

ries cocta inviolabili lege ad cutem projiciebatur, projectaque febrim ſolverat.

Quod ſi æger febrire pergeret aut eodem tenore, aut & remiſſius, non jam cum febre varioloſa mihi rem eſſe arbitrabar, quam metaſtaſi cutanea judicatam ex integro noveram, ſed cum alia quacunque, eaque, ut plurimum, populari.

Hinc eidem medicinam fecimus vel *antiphlogiſticam*, ſi forte rigente bruma, aut primo vere inflammatio graſſabatur; vel *antibilioſam*, temporibus bilioſis.

Nec ullo modo ipſas variolas reſpexi, & ſanguinem miſi, aut eo non miſſo alvum, vomitumque movi, & ante eruptionem, & ſub ipſa, & poſt eandem, prout commixta febris exigebat.

A prima puſtularum eruptione alterum ſtadium metiebamur, quo jam non varioloſum morbum, ſed multos minutulos tumores conſiderabamus *inflammatoriæ indolis*, & in ſuppurationem abituros. Is tumorum in abſceſſus tranſitus cum absque febre haud contingat, eam tamen non peculiarem, aut ſpecificam exiſtimabamus, ſed quæ omnem inflammatum tumorem proſequitur, evolvit, & ad maturitatem perducit.

Hæc altera variolantium febris, ubicunque ſola fuerit, plerumque æque innoxie decurrit, ac in alio homine ſolet, cui locus alicubi externus inflammatur, inflammatusque in benignam ſuppurationem tendit. Hinc artis ſuppetiis ea febris raro indiguit.

Quod ſi nihilominus in homine plethorico, phlogiſtico, & inflammatoria anni conſtitutione ea nimium efferebatur, febrilem impetum miſſo ſan-

ſanguine, atque omnibus antiphlogiſticis præſidiis, moderabamur.

Evenerat etiam, ut in ægro cacochymo, & imbecillo ea febris langueret, & malos corporis ſuccos non valeret in pus bonæ indolis commutare, & efficere abſceſſus bonos. Eo in caſu & eo victu, & iis remediis utebamur, quæ vim vitæ exacuunt, & corpus firmant, peruviano cortice potiſſimum, & *pauperum Kinkina*, ſeu pulvere radicis arnicæ. At ſive langueret, quod rarius contigit, ſeu exorbitaret, facilis plerumque medicatio fuit, dummodo ea febris ſecunda ſola fuerat, & nulli alteri epidemicæ febris ſociata. Potiſſimum a populari biliosa, pituitoſa, putrida, maligna febre metuimus, ſi ea aut primæ variolantium febri jungebatur, atque in alterum, & tertium ſtadium varioloſi morbi provehebatur, aut ſerius accedebat, ſecundamque febrim conturbabat.

Univerſim is nobis in ſecundo variolarum curriculo medendi canon fuit: *febrim maturatoriam hujus ſtadii ea ratione curare, qua eandem febrim cujuſcunque alterius inflammati, & proxime ſuppurandi tumoris ſocium curamus, ſed maxime vim epidemiæ quam ſollicitiſſime prohibere.*

Hoc alterum morbi ſtadium initio diei quarti, & fine decimi concluditur, quem temporis tractum autores alii in duo ſtadia diſpeſcunt, noſque ideo non dividimus, quod una, eademque hoc toto tempore febris obtineat.

Tertium, atque ultimum ſtadium ab initio diei undecimi orditur, quo abſoluta maturatio eſt, & pus excoctum. Eo tempore febrim maturatoriam tertia excipit, quam pus ex puſtulis reſorptum, & ſanguinem oberrans concitat,

citat, *innominata*, niſi eam volueris *purulentam* compellare.

Inter ſecundam, & tertiam febrim nulla remiſſio cadit, atque ambæ extremis ſuis finibus implicantur, cum puſtulæ non eodem omnes tempore matureſcant, & aliæ pure jam turgeant excocto, aliis adhucdum immaturis.

Purulentam hanc febrim in hoc tertio ſtadio non differre arbitrabamur ab alia, quam quiscunque purulentus fomes intra humores circumeuntes ſuſceptus accendit, ſi pars quædam corporis pus habet.

Id egimus iſto morbi curriculo ultimo, ut omnes illæ viæ expediantur, quibus pus efferri extra corpus ſolet, maxime venter, & renes. Ad utrumque enim hoc colon vis vitæ conſervatrix alienam materiem tuto ablegat. Sed & omnes, quantum licuit, abſceſſulos forfice perſcidimus. At ſi labaſcere vires, ſi pus formari nimium, ac tabeſcere inde æger inceperat, corroborantibus uſi ſumus, & antiſepticis, iisque omnino remediis, quæ quocunque alio in caſu tabificas febres a pure natas coercent.

Sub finem ſecundi ſtadii, & per decurſum tertii purgantibus ſalinis, & mannatis alvum ſollicitavi, movique urinas potu multo, emolliente, acidiuſculo, leviter frigeſcente. Hinc malvam, & altheam, & multam liquiritiæ radicem decoximus, & frigefacto decocto vitrioli ſpiritum miſcuimus.

Tempeſtiva hac purgatione id etiam ſum conſecutus, ut *facies tumeret minus*, & *ſalivatio parcior eſſet.*

Utrumque hoc ſymptoma, faciei tumorem videlicet, & ptyaliſmum ſoli partium ſuperiorum

rum irritationi deberi exiſtimabam, quæ illuc plus humorum alliceret. At noveram, quantum periculi à tumidiſſima facie creari oculis ſoleat, noveram & incommoda ptyaliſmi. In meo varioloſo meam ipſe legem hac vice non ſum ad amuſſim executus, quod æquo ſerius purgaram, & juſto mitius. Hinc & facies tumuit, utut non plurimum, & largior ſalivatio vexavit.

Faciei tumor, & ſalivæ profluvium nil critici habere mihi viſa fuerunt, aut criſin difficilem, & incommoda perquam multa. Hinc urinis, & alvo mota revellere humores a facie ſtudui, & ptyaliſmo vicariam evacuationem ſubſtitui.

Lætus recordor, me fœminæ cuidam in hoc tertio ſtadio, cum facie immanem in molem grandeſcente deliraret, emeto-catharſi mentem illico reſtituiſſe.

Doleo, me nil ſtatuere, aut pauca ſolummodo in cura variolarum poſſe, quæ & *ubique*, & *ſemper* obtineant.

Sufficiat adcuratas & ſtadiorum, & febrium variarum, & variæ earundem commiſtionis notiones dediſſe, unde, ſi occaſio tulerit, capi conſilium poſſit, quidve in ſingulo morbi ſtadio, variiſque ejusdem circumſtantiis facto opus ſit, pervideri.

Non laudo illorum opinionem, qui variolis ab ordinario curſu recedentibus, & anomalis factis phlebotomias, veſicantia, corticem peruvianum, & opium per omnia morbi curricula ſuadent, quadrata videlicet rotundis miſta; quive, cum omnibus, hisce & eodem tempore, & eodem in homine uſi fuerint, egregiam ſe feciſſe *antiphlogiſticam* curam arbitrantur, quin aut

aut diverſa ſtadia, aut febres illarum varias, & variam anni conſtitutionem reſpexerint.

Obſervaſſe mihi videor, variolas præ aliis febribus adamare potiſſimum bilioſas, putridas, malignas, quasve ob earundem ex abdomine geneſin *gaſtricas* appellamus.

Num miasma varioloſum ſuccos gaſtricos imprimis afficiat, & contaminet, numne idem intra venas ſuſceptum ita hominem immutet, ut epidemia ipſum præ cæteris feriat, & efficacius, ignoro.

Ea etiam ſupervenientium malarum febrium ratio eſſe poteſt, quod aura varioloſa ſaniſſimum hominem non raro afflet, eumque fortaſſis bene pranſum, & ventriculo repleto, quem ni ipſa natura ſuapte ſalutari conamine ſubvertat, & vacuet, multa aliena moles, longa mora corrumpenda, gravabit. Atque inde temporis tractu malorum Ilias.

Voriolas in *confluentes* dividunt, & *diſcretas*: in *regulares*, & *anomalas*. Quid ſi & hanc adderemus variolarum diviſionem, quæ *ſinceras*, *impermixtasque* ſtatuit, & *complicatas*, hasque denuo pro diverſa commiſtæ febris indole ſubdividit?

Quonam anni tempore variolas inſerere oporteat, & quæ ad eam rem præparatio præſtet.

Cum maximus in curandis variolis nodus ſit, easdem a febre populari prohibere, bilioſa præcipue, putrida, malignaque, aut eam, ſi jam adſit, omnibus artis præſidiis propulſare, id anni tempus huic morbo ſecurius exantlando idoneum imprimis erit, quod pauciſſimos morbos proferet. Cum enim maximum malum a cœlo gravi, morboſoque variolis accedat, eo ſalubri has eſſe benigniores oportebit.

Hinc æſtas, plurimum utpote præ aliis anni partibus morborum mater, omnium peſſimam va-

variolarum progeniem dabit, vitio temporis multiplici, bilioſo, putrido, malignô contaminatam. Hanc proxime autumnus excipiet. At hyems, & ver, ſi ea tempora fuerint, qualia oportet, præ cæteris variolas ſinceras ferent, & ſui moris, & indolis bonæ tenaces.

Ex dictis conſtat, qua anni parte inſerere variolas præſtet.

Ea ætas hoc morbo felicius defungetur, quæ a febre populari minus ſuffert, & extra tempus eſt magnarum in corpore mutationum. Ob id lactentibus variolæ plerumque mites, & ordinatæ ſunt, dentientibus funeſtæ; & incipiens pubertas ſæpe difficilem hunc morbum experitur.

Quo modo præparare hominem oporteat, inſitionem ſubiturum, autores diverſimode opinantur. At antecellere omnes alios in modus videtur, qui quod in homine vitioſum eſt, prius ſanat, eumque extra epidemiæ aut præſentis, aut jamjam imminentis aſſultum tanquam extra mortiferi teli jactum quam longiſſime removet. Maximum interim eventus proſperi momentum affert, miasmate hominem offendi minime febriculoſum, ventriculo, & inteſtinis valentibus, & puris.

Hinc crebrior blandi emetici uſus erit, priusquam inſitio peragatur, aut ſub eadem, quam ſolius purgantis: & huic utrique præſidio præ phlebotomia ſæpius locus erit, niſi aut ſicca hyems, aut ver conſimile, dominante phlogoſi, & in adulto, & inflammabili homine ſanguinis miſſionem poſcat.

De emeticorum, aut emeto-catharſeos uſu id dico, ea auxilia a nullo variolarum ſtadio, nec ab ipſa aut imminente, aut præſente, aut paulo

paulo ante peracta puſtularum eruptione *contra-indicari*, ſi modo adſit ejus generis commixta febris, quæ hujusmodi remedium petat. Quidquid enim alienæ febri auxilii oppoſueris, id in ipſarum variolarum emolumentum magis cedere, quam aliam quamcunque rem, certus eſto.

Unde morbillorum malignitas, & anomalia ſit.

Quemadmodum variolis, ita etiam morbillis inſidiabatur æſtiva febris, morbumque effecit complicatum, quem qui ſincerum, atque impermixtum exiſtimaſſet, morbillos appellaſſet anomalos, atque etiam malignos. Verum quod alienum a benigno morbillorum ingenio erat, id totum debebatur admiſtæ febri, cui omnibus idcirco adminiculis artis obnitebamur.

Morbilloſos complures curavimus ab exitu veris in adultam usque æſtatem, quos omnes ad unum binis eodem tempore morbis affectos vidimus, uno videlicet morbilloſo, atque altero diſtincto, ac populari.

Quidam multis ante diebus, quam prænuncia morbillorum ſymptomata obſervarentur, ructare aliena cepere, vomiturire, pectore, & ſummo ventre angi, leviculo, frequentique horrore perſtringi, urique caloribus nocturnis, ac ſudatiunticulas, & temulentiam, atque aurium tinnitum pati. His alvus aut clauſa perſtitit; aut pauca, pinguia, olidiſſimaque reddidit.

Aliis hæc eadem incommoda eodem ſimul tempore acceſſiſſe videbantur, quo morbilloſum miasma ſua ſeſe peculiari, ac ſpecifica febre prodidit.

Non paucos initio ſola ægrotare morbilloſa febre vidimus, at ſerius etiam populari.

Pauca quædam hoc modo ægrotantium exempla dabo.

ÆGER

ÆGER PRIMUS.

Morbilli cum febre bilioſo-pituitoſa.

Juvencula 19. annorum, ſemper antea ſana, die 21. Julii e lecto ſurgens febre prehendebatur cum pectoris oppreſſione, reſpiratione difficili, dolore thoracis totius pungente. Hypochondriorum is ſenſus fuit quaſi a fune injecto conſtrictorum, atque ardor. Lumbos, atque artus dolor oberrabat dilacerans. Lenta, mucoſave materies faucibus, & linguæ inhæſit, ægrotanti permoleſta. Ardor urinæ.

A meridie medicus accerſitus ſanguinem miſit, remittente mox artuum rheumatiſmo, laſſitudine vero magis aucta, & corporis, veluti verberibus cæſi, dedolatine.

Ea veſpera denuo ſanguis detractus nil levaminis tulit. Somni tenues, exigui, cum inſomniis.

22. & 23. Jul. ſymptomata eadem. A meridie hujus diei morbilloſa eruptio prodire cœpit Cætera eadem.

25. Nil emendatum. Tuſſis magna: oculorum ardor: coryza: raucedo: ſomni nulli: inſomnia.

26. Prioribus dolor jungitur ardens, lacerans, a ſterno ſupremo ad pubem usque decurrens.

Hac die Noſocomium accedit. Potus dati ex ſale medio mitiori, aqua, melle, & aceto. Nox magis tranquilla.

27. Jul. Oris mucum inſignem, thoracis, atque totius abdominis ardorem queſta eſt. Emeticum. Vomuit copioſam, amaram pituitam,

& crebrius dejecit. A vomitu mox omnia meliora: nullus ardor.

28. Pectoris oppreſſio minor, mitiorque ophthalmia: vox minus rauca. Abdomen, artus, lumbi non dolent. Oris perpaucum gluten, & febriculæ ne quidem veſtigium. Infuſo-decoctum radicis arnicæ cum ſale ammoniaco, & ſyrupo fumariæ.

29. 30. Jul. aliquis artuum noctu dolor: infuſo-decoctum radicis arnicæ cum ſale ammoniaco, & ſyrupo fumariæ.

6. Auguſti ſana eſt.

En febrim bilioſo-pituitoſam morbillis complicatam, quam neglecta ægritudine morbilliosa ſua methodo curavimus.

Bina phlebotomia adeo nil profuit, ut dominantem eo tempore febrim in morbillorum ſocietatem potius invitarit.

Nil ſpecifici hoc in caſu ab arnicæ radice exſpectabamus. Remedio opus fuerat, quod humorum lentori frigido proſpiceret, & fibrarum, ventriculi præprimis, & inteſtinorum laxitati.

ÆGER SECUNDUS.

Morbilli cum febre bilioſo-pituitoſa prægreſſa, comitante, ſubſequente, cum miliaribus, & exanthemate ſcarlatinam referente.

JUVENCULA 20. annorum per annum cephalalgiam ſæpius recurrentem, cordis palpitationes, cata-

Catamenia anticipantia, & album per vices fluorem, eumque non rodentem, querebatur.

A tribus ſeptimanis cephalalgia frequentior, pondus in toto epigaſtrio, & anorexia cum ſiti vexabat. A paſtu ſudatio adfuit, & vomituritio: mane amarities oris: alvus præter morem difficilis. Subinde leviculus horror, interpellante calore mox iterum fugitivo. Levis glandularum utrinque pone jugulares venas intumeſcentia. Tribus ultimis diebus frequens ſternutatio, & ardor oculorum acceſſit.

Die 22. Julii circa veſperam morbilli prodiere. Cætera eadem.

24. Julii ad nos venit, faſtidioſa, capite gravi, vertiginoſo: ore amaro, lingua albida, humida, villoſa: oculis ſcintillantibus, dolentibus. Sputatio ſpumans, frequens, matutina, tuſſiculoſa, & febriens pulſu pleno, forti, celeri, atque æſtu magno, ventre compreſſo. Morbilli proſtant.

25. Os magis amarum, lingua ſordidior. Calor: febris. Dato emetico vomuit multa, bilioſa, dejecitque. Multa emendabantur: maxime caput.

26. Minor amaror: pectus minus oppreſſum: febricula. Exanthemata diſparere incipiunt. Nox melior.

27. Julii mane pectoris oppreſſio rediit. Os magis mucoſum: calor major. Emeto-catharticum multa, mucoſa, ductilia eduxit cum inſigni levamine pectoris, & caloris.

28. 29. 30. noctes tranquillæ: febris nulla: os mucoſum. His ultimis diebus tincturam rhei aquoſam pauxillo ſalis cujusdam medii armatam exhibui. At moroſiſſima fœmina hoc remedii genus præ cæteris nauſeavit, &, cum eodem

 ſe

ſe uti ſimularet, ægrotum cuſtodes aſtute luſit, ut idcirco multo minus, ac jubebatur, oblati remedii acceperit, & rarius multo. Muliebri quoque more multa incongrua, & efflictim expetivit.

31. Julii mane valide febricitabat. Lingua ex albo flava, & os mucoſiſſimum fuit. Dolebant præcordia, & thorax. Ad meridiem plurimam, tremulam, ductilemque pituitam ſponte vomuit. Mox in facie, pectore, & utroque brachio, femore, crure, quaſi ſcarlatinoſa eruptio prodiit.

1. Auguſti maculæ plures, confluentes: fauces prærubræ, punctulis rubris, miliformibus obſitæ. Os mucoſiſſimum, & valida febris.

5. Aug. in antibrachio, & circa carpum ſiniſtrum multa miliaria proruperunt. Aphthæ: præcordiorum ingens oppreſſio. Emeto-catharticum propinatum ingentem pituitoſarum, bilioſarumque ſordium molem ore, atque alvo excuſſit. Præcordia allevata ſunt, & febris plurimum cicurata.

3. Aug. ſputatio continua: vomitus ſpontanei per intervalla, pituitoſi, allevantes: ardor præcordiorum: febris: exanthemata: alvus frequens: ſomnus vix ullus.

4. Ptyaliſmus, & cætera, uti pridie. Alvus fluens.

5. Efflorеſcentiæ pauciſſimæ: omnia remiſſiora. Frequenter dejecit.

6. Aug. vix aliqua febris. Secceſſus multi: cætera bona.

7. Et conſequentibus diebus bene per omnia.

29. Sana, & viribus ſpe citius recuperatis confirmata diſceſſit.

Uſa eſt hæc ægra jam inde ab initio menſis Au-

Auguſti corticis peruviani decocto cum oxymelle ſimplici, ſale ammoniaco, & arcano duplicatio.

Morbillos & præceſſit, & commitata eſt febris bilioſo-pituitoſa, quam ſolam inter medendum reſpeximus.

Proſtantibus efflorefcentiis morbilloſis alvum, atque emeſin ſollicitavimus valenti pharmaco, impune, cum emolumento, & quin exanthema fuerit introverſum.

Febris ſcarlatino-miliaris, quæ morbillos excepit, eandem æque parentem habuit, ac altera morbillorum prodromus, & comes, pituitam videlicet in ventriculo maxime, atque inteſtinis fluctuantem. Vomitus ſpontanei, arte concitati, levantes, multa prava educentes, & venter profluens ſaluti fuere. Ea erat materiæ peccantis moles, isque habitus, ut, qui ea neglecta morbi cauſam in miaſmate quæſiviſſet ignoto, & contagioſo, ridiculus fuisſet.

Non memini, ulli ægrorum noſtrorum in Noſocomio primum miliaria prorupiſſe; at eas efflorefcentias ad nos allatas frequentiſſime vidi. Atque etiam hæcce puella eam, quam reliqui, a miliaribus immunitatem procul dubio ſortita eſſet, ſi primo confecto morbo curam ex mente noſtra *confirmatoriam* feciſſet, eamque & ægritudini prægreſſæ parem, & diuturnam.

Miliarem febrim nunquam obſervavi absque luculentis ſignis ſyſtematis gaſtrici prava fæce redundantis. Nec petechias, nec eryſipelas, nec exanthema urricatum, aut ſcarlatinam unquam vidi puro ventriculo, & inteſtinis.

Vim ſpecificam contra febrim milliarem in cortice peruviano non quæſivi. Animus mihi

erat imbecillam firmare fibram, & novæ pituitæ geneſin prohibere. Corticis peruviani decoctum egregie roborare, ſtringere partes laxas, & miti aromate ſuo ſanguinem non exagitare autumabam. Interea ſale ammoniaco lentorem ſolvere anniſus ſum, ſolutamque ſaburram per vices ejicere vomitu, atque alvo commotis.

Multos curavi miliaribus affectos, tuto, atque intra breve tempus. Plerique peruviano cortice non indiguere, at omnes ad unum uſque emeto-catharſi.

ÆGER TERTIUS.

Morbilli cum febre bilioſa-pituitoſa miliari.

Viginti unius anni juvencula pauca quædam variolarum, quas olim pertulit, veſtigia referens die 10. Junii hujus anni noſtram opem expetiit.

Catamenia omnia altera, vel & tertia ſeptimana ab aliquot jam annis redeunt, & largo fonte.

Annus eſt, ex quo florem album perfert, ferme aſſiduum, & erodentem. Is initio, quo primum viſus eſt, mox cum acredine venit, & mictu dolente: albida ſemper materies fluit, nunquam vireſcens, nunquam flava, aut ex utraque commixta. Cæterum ſana.

Die 5. Junii veſperi febri corripitur. Nox inquieta.

6. Jun. febris, cephalalgia, coryza, ardor oculo-

oculorum, anorexia, & oris amarities ægram tenuit. Pectore oppreſſo erat, & præcordiis quaſi faſcia injecta conſtrictis, ac tuſſiculoſa. Venter nihil reddidit. Noctu vigiliæ, Multusque ſudor.

7. & 8. Jun. omnia intenſiora. multus oris amaror. Hucusque obambulans ægrotabat.

9. Pejus habuit : decubuit. Venæ ſectio. Noctu copioſos inter ſudores exanthemata prodiere morbilloſa miliaribus rubris commixta.

10. Jun. in Noſocomium recepta pulſus fortes, celeres, & plenos exhibuit. Faciem, & artus ſuperiores levis tumor tenuit. Calor urens. Paucus ex naribus ſanguis ſtillabat. Os amarum, lingua bilioſa, & aſſumtorum alienus ſapor. Pectus oppreſſum, & tuſſicula frequens. Præcordia non ſine multa moleſtia contrectabantur. alvus moroſa.

Cum eo die potu multo, & refrigerante uteretur, veſpere ſponte vomuit amara, flavo-viridia, pituitoſa, perquam multa. Sera veſpera emeticum propinabatur, quod ſalubri naturæ conatui ſuppetias ferret. Vomuit inde denuo æque multa, ac ante, atque indolis ejusdem. dejecit ſæpius. Nox inquieta.

11. Jun. ſub auroram ſemel ſponte vomit. Febris multo mitior : lingua hirſuta, mucoſa, ex albo flaveſcens : pectus non emendabatur. Tuſſis inanis, crebra : cardialgia inter tuſſiendum, & ad attactum. Veſperi ſponte bilem multam multæ commiſtam pituitæ revomuit. Miliaria diſparuere. Cutis anſerina : morbilli, pallent, & fugam meditantur. Fauces prærubræ ſunt, dolent, absque tumore. Sitis, febris : alvus undecies mota.

12. Morbilli nullibi jam, niſi in brachiis,

iique pallidiſſimi. Brachii dextri lata quædam plaga quaſi ſucco ribeſiorum illita, & intenſe rubens. Tuſſis rarior, mitior, minusque dolens: vix ulla cardialgia. Lingua flaveſcens: ſapor bonus: urinæ ſanorum: ſitis nulla: febris pauca: alvus multoties mota.

13. Febris nulla. Ventriculus, & pectus emendata.

14. 15. 16. Apyretos. Reconvaleſcere viſa eſt. Tuſſicula rara.

17. Jun. ſæpius tuſſitavit, per vices incaluit, ſitivit: lingua impurior.

18. Ad heſterna ſymptomata vomendi conatus acceſſit. Lingua ſordidior: os muco redundans. Potus multi, ſalitique eo die propinabantur, ut apte evacueri ſoluta poſtmodum illuvies poſſit.

19. Jun. Exhibito emetico multa bilioſa revomuit. Febris poſt emeſin vix ulla; at veſperi, frigus, calor, ſudor.

20. Jun. absque febre eſt. Hucusque ſolis ſolventibus, ſalinis, & emeto-catharſi utebatur.

21. Febre caret. Hoc die corticem peruvianum adjecto ſale medio exhibebamus, ut quod alieni reſtitarat, id ope remedii roborandis ſubigeretur.

23. Juu. Os amarum denuo: ructus amari: febricula. Dato emetico multam pituitam evomuit. Levamen. Mixturam poſtea ex ſale ammoniaco, aqua ſimplici, & ſacharo confectam per intervalla hauſit.

24. Mane ſponte multa pituitoſa vomuit cum multo levamine. Febris nulla.

26. Corticis peruviani decocto, adjecto oxymelle, & pauco ſale medio, & reſiduam diſſolvere

vere materiem intendebamus, & corpus laxum corroborare, ac gaſtricæ imprimis œconomiæ proſpicere, ne nova alterius generari pituita queat.

Protracto horum uſu, & præſens morbus, & prava corporis prædiſpoſitio tollebatur.

Fœminas morbilloſas hoc anno plures habuimus, atque eas præ cæteris laxas, & pituitoſas; viros vero perpaucos. At neminem, mas, fœminave fuerit, morbillis correptum vidimus, quem febris ejusdem tempeſtatis bilioſa, pituitoſa, aut ex utraque conflata inſalutatum prætериiſſet. Eam febrim fere ſolam perſequebamur, & non perfunctorie. Hinc nullo non tempore morbillorum emeticum exhibebatur, ſi id poſceret morbus complicatus; nec eorundem idcirco introverſio, aut nulla anomalia obſervabatur.

Morbilloſos hyeme ſicca, & veris initio ſanavi in Hungaria non paucos. At cum eo tempore inflammatio dominatum exerceret, pleuritis, & peripneumonia præ cæteris, facile erat morbillorum cum inflammatione conjunctio, & frequens. Inde ſanguis cum emolumento, & iterato, & quovis morbi tempore detrahebatur, magnaque remediorum emollientium utilitas fuit.

Hæc febrium variarum cum morbillis conjunctio non obſervata hunc morbum abnormen ſubinde fecit, pertinacem, malignum.

Febrim pituitoſarum feliciſſima criſis vomitu, atque alvo peragitur, dummodo materies mobilis effecta fuerit, & viribus emeto-catharſeos opportuna. Difficillimam e contrario criſin judico per poros cutaneos, & periculi plenam.

Immanem non raro pituitæ copiam, & vicibus repetitis, ſponte, coacte, vomunt, ut eam

tantam materiem in abdomine antea latitaſſe non ſuſpiceris, ſed revomitam ab univerſo corpore, atque exoneratam intra ventriculum, atque inteſtina facilius credas, ſalinis, eccoproticis, emeticis, emeto-catharticis identidem ſollicitata.

In eo genere febrium, quas pituita gignit, maximopere intereſt remediis ſolventibus, & emeto-catharſi repetitæ non diutius inhærere, quam par eſt. Quemadmodum enim hæcce auxilia, ſolventia nempe, & emeto-cathartica, multam, quæ in ſtomacho, & inteſtinis, conſedit, pituitam educunt, ita fibrarum quoque vim reſolvunt. Sed hac reſoluta alienam de novo materiem colligi oportebit. Inde eſt, quod inveterata jam febre, præmiſſisque ſolventibus, & vomitoriis corroborare ventriculum neceſſe ſit remedio ſubadſtringente, auſteriuſculo, aromatis non urentis, quodve ventrem non cohibet. Interponi ſubinde, ſi nova illuvies naſcatur, emetica blandiora debent, moxque iterum roborantia ſubjungi.

Quæ de uſu roborantium remediorum promota jam febre dixi, momenti maximi eſſe puto, & attentione perquam digna. Quippe ſi æger ea citius, & emeto-catharſi non facta, & non præmiſſis ſolventibus aſſumat, in maligniſſimam incidet malignitatem, & vitam perdet. At ſola ſolventia, & ſolæ emeto-catharſes, uti in morbo non difficili, neque multum ultra ſyſtema gaſtricum progreſſo ſufficiunt, ita, ubi febris imbecilliori corpori, atque altius inſederit, multaque hominem pituita inundat, ægrum initio allevatum tractu temporis diſſolvendo peſſumdant.

ÆGER

Æger Quartus.

Morbilli cum febre vernali bilioſo-pituitoſa.

Operarius 45. annorum robuſtus, & ſemper a puero ſanus, die 17. Maji venam tundi curavit, annuæ conſuetudinis ergo, at illæſa valetudine.

18. Maj. non appetiit: faſtidioſus, atque ore amaro: nauſeavit, & ingeſta evomuit cum paucis mucoſis, & amaris: inhorreſcens, incaleſcens alternis vicibus, & membra dedolatus. Tuſſitavit crebro, & ſicce, & cum dolore ad infimum ſternum.

29. Febris: vomitio frequens aſſumptorum, mucoſorum, bilioſorum. Cætera, uti pridie, ſed intenſiora. Obambulavit.

20. Maj. decubuit. Exacerbata omnia.

21. Ægre ſurrexit, & obambulavit. Eadem.

22. Mane morbillis ſe pictum videt. Symptomata priora. Hucusque quotidie vomuit.

23. Non vomuit. Cætera eadem. Vomituriit.

24. Maj. ad nos venit. Nil emendatum. Pulſus fortis, plenus, naturali non celerior: urinæ bilioſæ: calor.

25. Maculæ morbilloſæ palleſcunt. Lingua ex alvo flava: tuſſis aquoſa, mucoſa: modica febris. Urinæ cum hypoſtaſi furfuracea ex albido rufeſcente. Emeticum; inde paucam pituitam evomuit cum bile non multa: aliquoties dejecit. Vix febris, poſt emeſin, & raro tuſſit. Vix ullus ad cardiam dolor.

26. Alvus frequens: maculæ nullæ: tuſſis rarior: dolor exiguus. Non calet.

27. & 28. Bene ſe habuit : appetit. Rariſſima tuſſicula. Reconvaleſcit.

Die 3. Junii ſanus ad ſuos rediit.

Vomitus ſpontanei, mucoſi, bilioſi, itemque ii, quos pharmaco movimus propinato, ingenium commixtæ febris docebant ; ſed etiam valetudo citra negocium, & brevi reſtituta medendi methodum commendabat.

Phlebotomiæ ante morbum factæ eventus hic felix non debebatur. Quid enim ſanguis emiſſus in bilem poſſit, & ſtomachi pituitam ! pugio plombeus in leonem ! qui clava herculea excipi debet, emeto-catharſi.

Miſſio ſanguinis adeo non profuit, ut etiam nocuiſſet, ni corpus habuiſſet & valens cæteroquin, & huic jacturæ ſufficiens.

Neſcio, qui phlebotomiarum conſuetudo, quas prophylacticas appellant, adeo, hiſce præcipue in terris, invaleſcere potuerit, ut ſeu fœmella chlorotica ſit, imbecilla, atque orba bonis ſuccis, ſeu ſenecio frigidus, ſe vivere ſanos poſſe non opinentur, niſi ſanguine bis, terve per annum dapſiliter profuſo.

Ea in re etiam οι των ιητρων παιδες multum peccant, & endemicum morem, ac epidemicum fidi ſervant. Quid enim obvium magis, quam vel leviſſimo febriculæ motu percepto, quem quies, & eſuritio, & idonens potus facillime compoſuiſſet, educere ſanguinem, ſæpiſſime non reum ? quem *quidem inciſa vena mitti* (ut ait Celſus) *novum non eſt*; *ſed nullum pene morbum eſſe*, *in quo non mittatur*, *novum eſt* : novum etiam, nullam eſſe propemodum tempeſtatem, *bilioſiſſimam* licet, qua non mittatur.

ÆGER

ÆGER QUINTUS.

Morbilli in conſortio miliarum, & petechiarum.

NON hujus anni hiſtoriam narro, ſed præterlapſi. Ea mihi præ aliis ejus anni multis placet.

Adoleſcens decimum quintum ætatis annum agens, qui tyro ſutori operam navabat, die 1. Julii 1776. capite dolere cœpit.

2. Jul. eadem cephalalgia. Suo adhuc opificio fungitur.

A miridie ejus diei frequens horripilatio cum intermixto calore. Pectore oppreſſo eſt, laborioſe reſpirans, ſiticuloſus, tuſſitans, crebro ſternutans, oculis lacrimoſis, & ſcintillantibus. Coryza: noctu multa inquies, & jactitatio.

3. Jul. ad nos venit. Gravius laborat: decumbit: ſponte bilem vomit. Præter dierum præcedentium ſymptomata intenſum genarum ruborum vidimus, & linguam aſpectu bonam quidem, ſed ex ſenſu ægroti velut pilis obſeſſam. Sitis non multa, & ſapor, ſi quid aſſumſerat, non pravus. Tuſſis crebra, ſputa aquoſa, mucoſa, multa, cum paucis coctis. In latus ſiniſtrum difficulter decubuit, difficillime reſpiravit, & erecto plerumque corpore, ac ſedens. Calor multus: pulſus celer, fortis, durus: petechiæ lenticulares, fuſcæ: miliaria in thorace maxime, & dorſo multa, alba, rubra.

Eo die potum copioſum exhibui cum aceto, melle, & ſale medio mitioris conſtitueram ea adhuc veſpera emeticum propinare, ſed non niſi pauco

pauco detracto ſanguine, quo facilior vomitio eſſet, & minus diſcriminis ab ejusdem turbis. Sex ſolum uncias ſanguinis emiſi, miſſurus plus, ſi commode tuliſſet. Sed en, ne hilum emendari pectus, quin opprimi magis cœpit: &, vena vix deligata, deliravit. Intra verba plerumque deſipuit, atque ita, ut cum auffugere per vices vellet, facile reduceretur, & minis auſcultaret.

Poſt phlebotomiam vomiturire, quin & vomere, ſed laborioſe, & pauca cœpit, ac blilioſa. Mox ipecacuanham grano uno tartari emetici armatam exhibui, unde multa, & bilioſiſſima evomuit, reſtituta poſt emeſin plena mente, & ſerena. Noctu plus quietis. Prorupere morbilli.

4. Jul. vomuit bis, terve, ſponte, aquoſa, mucoſa. Febris pauca, & pectus multum allevatum. Aliquoties dejecit.

5. Modiciſſima febris. Alvus crebrior.

6. Morbilli magna ex parte evanidi, quidam pallidiſſimi: miliaria rara: raræ petechiæ. Alvus movetur. Omni leviora.

9. Jul. nullum exanthema: nulla febris. Bene ſe habet: convaleſcit.

Uſus continuo eſt ſolventibus, ſalinis, eccoproticis. Ultimis diebus ſtibium diaphoreticum non ablutum dedi, ut, quæ forte materies in vaſculis minutis hæſerat, lenta, & tenax attenuetur, & expediatur. Tandem ſtomachicis ventriculo cautum.

Delirio phlebotomiam mox inſequente, valdopere gaudebam, quod ſanguinis haud plus ſelibra detraxeram; at pœnitebat, vel tantillum detraxiſſe. In conſimili poſtea, nec infrequenti caſu non facile ullas in corpore turbas ab emetico

tico timui, nec, ut illis proſpiciam, antea venam ſecui; febrium enim gaſtricarum ingenium melius identidem edocebar, earumque in viſcera nobiliora etiam diffita poteſtatem. Didiceram earundem inſultus graves non timere, & multifarium emeticorum uſum, multiplicemque exhibendi ſcopum quotidiana obſervatione pervidi.

Multa ſuperſunt commiſtionum hujusce generis exempla. At ea lubens prætereo, cum, quod iſta ſufficere videantur aſſerto demonſtrando, tum, ut ne legentibus abutar, & tempore, ſi ultra, quam par ſit, in narrandis hiſtoriis diffundar. Conſtare abunde opinor, morbillos ſemper, & ubique *eosdem*, perraro ſolos eſſe; plerumque adſciſcere ſibi comilitonem popularem morbum, eumque alium, atque alium, prout alia fuerit tempeſtas anni.

Ex his quoque autores medicos conciliabimus, diverſiſſima ſentientes, cum de medendo variolis, & morbillis quærunt. Quippe & hos, & illos recte obſervaſſe, atque vera ſtatuiſſe comperies, utut diſſenſerint, ſi eos non de ipſis aut variolis, aut morbillis, ſed de varia iisdem commixta febre differentes accipias.

Hinc utrosque a vero quam longiſſime abduci patet, qui morbum omnem hujusmodi, morbillos ajo, atque variolas, aut ſemper emeticis tentandum ſtatuunt, aut ea præſidia, magna licet, ac unica perſæpe, ex medicina varioloſa, morbilloſaque penitus proſcribunt, & nihil crepant præter antiphlogiſticam medendi methodum, quam fere unice in phlebotomiis & largis, & repetitis ponunt; quaſi vero aut ſola phlebotomia febrilem æſtum reſtinguat, & intendat nunquam, aut præter hanc calores temperet res

nulla

nulla. Enim vero vix video, quæ alia poſſit eſſe magis noxia, & turpior empiria.

Potus frigidæ æſtuante corpore hauſtus febrim invitat epidemicam.

Diverſum ab eadem cauſa effectum haud raro vidimus temporibus diverſis, a potu videlicet perfrigido, ſi quis eo ſe proluerat ſudore multo dimanans, atque ex itinere, vel exercitatione quacunque excalefactus. Iis enim, qui hyemis rigente gelu æſtuanti corporis frigidam ingeſſerant, pleuritico more pectus inflammabatur; at qui per æſtatem id fecerant, epigaſtrio gravari, horrere, caleſcere, faſtidire, & amaris ructibus vexari cœperunt. Illis ſanguis mitti & iterato, & largiter debuit, his emeticum dari; cum illos *inflammatoria* febris corripuerat, hos vero *ললioſa*, ab eadem utique genitrice cauſa, ſed non eadem tempeſtate.

Terroris noxæ, & in producenda biliosa febre poteſtas.

Terrorem novimus nervoſo imprimis ſyſtemati inimicum. Morbum ſacrum inducit perſæpe, aut alia ratione nervos irritat. Sed præter hæc, qui terrentur, ea potiſſimum tempeſtate, cui bilis imperat, in febres incidere bilioſas mox ſolent, ut morbi initium ab eo tempore exacte computemus, quod id animi pathema fuerat incuſſum. Miram certe terroris vim vidi in conturbanda bilis officina, morbisque bilioſis, putridis, malignis producendis.

Uti etiam mœroris.

Sed & mœror diuturnus, & ærumna, & ſomni neſcia ſollicitudo ſtomachum, & inteſtina reſolvit, & gaſtricos humores vitiat, tuncque maxime, ſi & anni tempus conſpiret. Inde longa infirmitas nonnunquam, at quæ ægrum obambulare ſinit, anorexia, exigui calores, & levicula horripilatio, ſapor amarus aſſumptorum, & marcor naſcitur, eaque rerum facies, ut *chronicam febriculam bilioſam* non inepte compelles.

Qui-

Quibuſdam tandem ea diatheſis in febrim erumpit luculentam, bilioſam, malignam, pituitoſam, artis plerumque præceptis non auſcultantem. Fœminas ſic ægrotare præ cæteris obſervari, easque ex infima plebe, qua inexorabile fatum & conjuge orbarat, cum eoque & vitæ præſidiis, alendæ numeroſæ proli non jam pares.

Magis noxiam iram mihi videor obſervaſſe per æſtatem, quam hyeme ſoleat. Non enim infrequens eſt audire homines, qui, cum evidenti bilioſa febre teneantur, morbi dies ſupputens *a prægreſſa gravi ira.* Id, ni fallor, æſtate audivi; vix unquam, aut nunquam hyeme. atque ira.

Nonnulli, quos venus impura male mulctavit, curam antivenercam apud nos, ex artis legibus, & auſpicato exorſi ſunt. Eorum aliqui nil alieni ab ordine ejus morbi conſueto experti ſunt, aut ſi quid erat non ex uſu, id ejuſmodi fuerat, ut huc non faciat, quodve aptius alibi dicetur.

At fuere, qui medicatione vix inchoata febrire tenuiter primo, atque erroneo modo cœperunt, dein etiam intenſius. Ejus rei cauſam in ventriculo, aut inteſtinis, utpote antea purgante repurgatis, & in homnibus cæteroquin ſanis, nullam quæſivimus, nullam in hydrargyro, multa cum cautela, & parca manu propinato. Interea etiam illa ſymptomata acceſſere, quæ febrim æſtivam ſolebant comitari; mox conſtitit, quæ nos pura arbitrabamur, ventriculum, & inteſtina, ac pharmaco deterſa, fæce multa bilioſa turgere.

His illico febrim adventitiam conſueta eo anni tempore ratione curavimus; eaque profli-

gata, ac viribus diu confirmatis, curam de novo antiſyphiliticam reſumſimus.

Febris æſtivæ complicatio cum colica ſaturnina, ejusque colicæ plenior deſcriptio.

Aliam quoquæ æſtivæ febris complicationem multoties vidi, nempe ubi illa cum colica ſaturnina conjungebatur. Quæ circa hocce utriusque morbi connubium obſervarim, dicere non poſſum, niſi prius ingenium admirandæ hujus affectionis a plumbo natæ, cum ea ſola eſt, & ſimplex, & nulli alteri morbo ſociata, explicuero.

Id vero, ut modo faciam, multa prohibent. Etenim & ingens obſervationum huc attinentium mihi ſilva crevit, quæve novis indies incrementis ditatur, ut peculiarem ea res pertractionem ſibi poſcat; &, ſi etiam huc trahere ejus materiæ partem vellem, vereor, ne, ſi nudos de eo morbo aphoriſmos promam, nec teſtes afferam quam plurimas hiſtorias, rem exequar dubitationibus abnoxiam, & liti. At vero enarratio eorum omnium caſuum, quos numeroſos obſervavi, deſcriptosque repoſui, longiori, quam par eſt, epiſodio a febrium hujus anni contemplatione nos ſevocaret.

Ea hujus colicæ apud nos frequentia, isque hominum eo morbo laborantium ad hoc Noſocomium concurſus eſt, ut facere quamcumque ſponſionem auſim, non facile plures alibi hoc morbo correptos ægros inventum iri. Hominum in hac urbe non exiguus numerus eſt, qui aut figulino opere occupantur, aut pigmentario, & plumbi præparatis, ceruſſa, minio, lithargyro utuntur.

Hic morbus toties a nobis viſus, methodisque variis tentatus, ſanatus toties hanc opinionem nobis indidit, ea de re nos poſſe confidentius diſſerere, mererique præ multis fidem.

In-

Interea, donec peculiari diſſertatione, & plenius proſequi hunc morbum queam, obſervationum ſolum ſummam dabo, atque earum ſolummodo quæ propius ad rem facere videbuntur, caveboque, ne aut aphoriſtica offendam brevitate, aut longa narratione, & ejus morbi hiſtoriis recenſendis nos noſtri propoſiti faciam oblivisci.

Primo morbum ſimplicem, atque impermixtum deſcribam ad eum exacte modum, quo hunc ipſi nos oculis uſurpavimus quotidie. Addam deinde curationem: tum quæ variatio ſubinde ab adventitia febre, eaque potiſſimum populari, accedat, quave ea ratione medendi methodum mutet, exponam.

Qui hac colica laborarunt, ad unum omnes plumbata tractarunt. Alium nullum vidi hoc genere morbi unquam vexatum.

Non dubito hanc colicam eſſe *ſpecificam*, & *ſui generis*; etſi enim peculiares notas, nullique alteri morbo communes non habeat, ſi eas ſingulas, & ſeorſim ſpectemus, earumdem tamen *collectio*, ac *complexus*, ſi morbus non jam intra initia verſetur, ſed adoleverit, colicam ſaturninam ab omni alia evidenter diſcriminabit. Etſi hic eam quæſtionem ex inſtituto non agitem, an cum aliis confundi ſpeciebus colicæ poſſit, an a ſolo plumbo, vel alia quoque ratione oriatur?

Colicæ ſaturninæ ſymptomata multa, & varia collegi, quorum catalogum hic dabo:

Ægrotaturis venter adſtringi incipit, qui antea liber fuit, & facilis, cum ponderis in epigaſtrio ſenſu, & borborygmis. Dolor dein abdomen, ejusque diverſas plagas invadit, varius, ardens, lancinans, &, ut phraſi ægrotantium

 utar,

utar, ac ſi evulſa inteſtina contorquerentur, terebrans, gravisque omni modo.

Artus quoque dolere incipiunt, quaſi ab acutiſſimo rheumate, brachia, femora, crura. Quibusdam lumbago eſt, aliis iſchias ad uſque malleolos decurrens. Aliis articuli digitorum, manuum, pedumque præ carnibus dolent, atque aliis hæ præ illis.

Sunt, quibus in exiguo ſpatio gravis ardor eſt, quaſi a viva flamma. Loca dolentia manum ferunt etiam rudius contrectantem, nec inde augeri dolor ſolet: quorumdam tamen præcordia attactum averſantur.

Subinde res intra ſolam artuum dedolationem, aut ſenſum reptantium formicarum, aut quandam virium muſcularium impotentiam ſubſiſtit. Ardor accedit thoracis, & difficilis per vices ſpiritus.

Quidam morbi acceſſum præſentiunt ex mœrore animi inſolito, & præter rationem. Sub ipſa initia infirmitatis temulenti fiunt, vertiginoſi, ſtupidi, inſomnes. Oculorum per vices, & repente obtuſa acies, & vigente jam morbo amauroſis temporaria, ſubito ceſſans, ſubitoque iterum recurrens. Viſus varia ratione depravatus. Aſpectus quaſi maniacorum, atque alieni quid habens, attonitus, furioſus, minas cogitans, meditabundus, mœrens. Animus quibusdam anxius, aliis turbulentus, impetuoſus, neſcius eodem diutius loco eſſe, aliud, atque aliud appetens, & impatienter. Linguæ, & faucium is habitus, qui bilioſam alias notare febrim ſolet. Senſus rei per æſophagum reptantis, ſtrangulatio, & hyſtericus globus. Singultus, vomituritio, ructus amari, acidi, acido-

do-auſteri, putridi, dulces. Vomitus crebri, bilioſi, ingeſtorum, fœculenti, laborioſiſſimi, difficillimi, & ſubinde cum boatu potius, quam hominis clamore.

Abdomen ſæpius molle, ſubinde durum, inæquale: raro introtractum umbilicum vidi, etſi in graviſſima alias infirmitate. Dolorifica cutis in abdomine corrugatio: mammæ vel unius, vel utriuſque tumor, & induratio variabalis, & temporaria. Stupor unius ſubinde lateris: vocis abolitio, aut vox vix perceptibilis: pavores, terriculamenta, noctu præcipue: ſubita cum terrore evigilatio, & repentina ex lecto exiſilitio, & fuga.

Alvus pleriſque nulla eſt, & pluribus diebus, nec ullo clyſterum genere provocanda. Subinde fæx pauca, dura, caprilla prodit. Anus introtracta, inteſtino recto quaſi fune conſtricto, & clyſterem aut non admittens omnino, aut admiſſum abſque effectu explodens. Teneſmi dolentiſſimi, mucoſi, cruenti.

Quidam nihilominus dejecere, & crebrius ſolito, & copioſa, & inde aliquid levaminis habere videbantur præ iis, queis venter ex toto, & diutius compreſſus manſit. Hæmorrhoides.

Urina cryſtallina, copioſiſſima, creberrima, parciſſima: ſtillicidium, ſtranguria, dyſuria, iſchuria; ardor ad pubem, micturitio continua, inanis: mingenti lotium repente ſubſiſtit retracto pene, perexiguo facto, ac ferme evaneſcente, pone radicem quaſi injecta faſcia conſtricto. Corrugatio, & ſubita ſcroti relaxatio. Teſticulorum amborum, unius, rotatio dolorifica, tractio, retractio ventrem verſus: compreſſio quaſi manu facta.

Convulſionum omne ferme genus in hoc morbo

bo adparet, ſed illud maxime, quod graviſſimum eſt, & univerſum incurſat corpus, epilepſia nempe, quæ nullo non tempore, & non opinantes projicit, decedit, repetit.

Quoſdam apoplexia ferit prius convulſos: ea plerumque ſolvi ſolet: atque inter multos duo periere ea non ſoluta, recenter ad nos venientes, & nondum ullo remedio uſi.

Mira pulſuum durities eſt, qualem non in alio morbo ullo unquam obſervavi. Arteriæ filum ferreum, valideque tenſum referunt, quod æquabili motu, & tardo, vibranteque tangentem digitum ferit. Unicum vidi, qui hos arteriarum valentes ictus non habuit, ſed e contrario molles, remittentes, intermittentes, atque omni inæqualitatum genere inæquales.

Repetita etiam phlebotomia, quam aut ægri fecerant domi adhuc ſuæ, aut noſmet in Noſocomio, duras arterias ne hilum emollivit. Eductus ſanguis nil vitii monſtravit, niſi morbo jam longius progreſſo, ubi corium craſſum, ut in pleuritide aſſolet, exhibuit, atque id ideo fortaſſe, quod ictibus arteriarum is ſanguis diutius fuerat ſubjectus.

Hæc pulſuum durities præ aliis quibuſcumque ſymptomatibus diutiſſime perſiſtit, & eorum ultimum plerumque agmen claudat.

Characterem hujus morbi deletum, ægrove ab ejus recrudeſcentia ſatis proſpectum non arbitrabar, niſi & pulſus obſervaram remiſſiores, & quales eſſe in ſanibus oportet.

Nihilominus quidam ſanitatem recuperaverant conſtantem, etſi ea pulſuum peculiaris durities, & vibratio indelebilis perſtaret.

Quidam ſanata hac colica in maligniſſimum morbum incidit, ope peruviani corticis, & cam-

camphoræ percuratum. Ea arteriarum vibratio, rigore toto febris decurſu ſemper obſervabatur.

In morbo ſimplici & ſolo nullus præter ordinem conſuetum calor fuit.

Tubercula multis, iisque imprimis, qui hac ægritudine ſæpius, & gravius tentabantur, in dorſo manuum oriuntur pone tendines digitorum, quibus etiam arctibus plerumque cohærent. Hæc fabam, aut dimidiatam avellanam æquant: dolent recenter nata, & inter principia digito prementi cum dolore cedunt, ſed ſuo mox elatere reſtituuntur citra veſtigium preſſionis. Tractatu temporis indureſcunt, nec loco moventur, nec dolent, & tendinem, cui aſſident, prohibent moveri.

In uno multa tubercula una ſerie collocata ad pubem, & utrinque pone annulos abdominis, & ſupra eoſdem, & hinc inde in cute abdominis vidi, evaneſcentia ferme repente, & renaſcentia.

Subinde jam in morbi principio hæc manuum tubercula naſcuntur, quin propterea eorum ortus a ventre tormentum avertat, aut revocet, ac ſolvat. Quibuſdam ſignari manus eo genere tuberculi dolentis cœpit, priuſquam ullum exſtaret aliud imminentis mali ſignum, terminibus ſerius ſecutis.

Fuere, queis manuum dorſum dolentiſſimo tumore intumuit ferme totum, uti ab rheumate inflammatorio contingit.

Id autem in omnibus, quotquot hic decubuere, conſtanter experiebar, omnia hujusque enarrata ſymptomata, dolores potiſſimum rheumaticos appetente veſpera, & noctu fuiſſe in-

 ſignio-

ſigniores, gravioresque, & denuo ſub auroram delinitos.

Hanc legem exactius vidi, & evidentius obſervari in colica ſaturnina, quam venereum rheuma ſoleat, quod aliquando irregulariter exacerbatur, atque ita, ut acerbius ſubinde per diem inſtet, de nocte mitius, aut continuo affligat. Hæc enim dolorum, de quorum ſyphilitica origine dubium non ſuperfuerat, anomalia diligenter a nobis aliquoties adnotabatur.

De paralyſi ſaturnina hæc obſervavi: plerisque non niſi diutius protracto morbo aboletur artuum vel ſuperiorum, vel inferiorum, vel omnium omnino facultas motrix, perſtante tactus ſenſu.

Reſoluta membra dolor plerumque cruciat ardens, dilacerans, aut pungens: arteriarum in iiſdem vibrantes, tardi, & validiſſimi ictus ſunt, etſi diuturna artum reſolutio teneat, & carnes tenuentur, ac evaneſcant.

Plumbeum pondus articulos gravat, humeros, ſed cubitos magis, & carpos præ utriſque, qui curati omnium ultimo, & tarde vigorem recipiunt, humeris primum emendatis, dein cubitis.

Artuum ſuperiorum frequentior paralyſis eſt, & in his manuum, ubi aut eæ totæ, aut unus, alterve ſolum digitus reſolvitur. Id mali in utroque ſubinde artu eſt, eſt etiam in alterutro. Rarius crurum impotentiam vidi, eamque numquam ſolam, ac brachiis ſanis. Ubi omnium artuum vis ſemel periit, ea citius rediit infernis.

Varia mali intenſio eſt, cum ſubinde ex trunco brachia pendeant ferme emortua, marcida-

cidaque, nonnunquam vero moveri queant, ſi æger intenſis omnibus nervis connitatur.

Contingit, ut res intra metum ſæpe ſolum ſubſiſtat, atque artus non exſolvantur, utut ad motum ineptiores, graves, dedolati, confracti.

Nec eodem in omnibus tempore acceſſit hæc exſolutio. Aliis ſiderari digitus, aut manus, aut brachium propemodum repente, atque intra paucas horas cœpit, quin ullum præſentiretur ullibi incommodum, aut ventris tormen: aliis nonniſi jam exantlato per dies aliquot inteſtinorum cruciatu, vel etiam ſerius artus emori, quin mitius idcirco a doloribus abdominis haberentur, quos nunquam in tanto ægrorum numero aut tuberculis judicari, aut artuum exſolutione vidi.

Id addo, vix uni inter quindecim partem aliquam corporis ſiderari: & inter ægros quinquaginta vix duos eſſe, queis omnis omnino brachiorum, crurumque vis, ac motus pereat in longum tempus; at ſi cui ea perierint, nec rediverint intra triduum, eum multo egere tempore, & cura valente, non interrupta, donec priſtina vis revertatur, qua etiam reſtituta prior tamen muſculorum toroſitas non redibit.

Inter omnes, quotquot ex ea colica ſanavi, nemo fuit, qui, ſi artus integros ad nos attulerat, eorum uſum in Noſocomio amiſerat. Quos membris exſolutos vidimus, ita male multati jam advenerunt.

Stabilitum dierum numerum hæc colica non habet, cum & intra paucos ſubinde dies concludatur, ſubinde proferatur in diutinum tempus, ſeptimanas multas, & menſes. Sunt, qui per integros annos huic malo conflictantur ſua tunc potius diuturnitate moleſto, quam vehementia.

His alvus irregularis eſt, nunc cita, nunc vero adſtricta. Eſt illis & morſus inteſtinorum, atque oris ventriculi, & vagum rheuma, & ſpiritus per vices repente difficilis, repente denuo facilis effectus: mens anxia, tædium, & fuga hominum. Suo interim artificio vacant.

Vidi quoſdam, perpaucos tamen, per octodecim, aut plures adhuc annos operam pigmentariis locaſſe, eamque unice ferme in conficiendis pigmentis, ac iis ut plurimum ſaturninis, conſumſiſſe, terendo videlicet ceruſſam, minium, & conſimilia ſuper marmor levigatum, quos vis veneni ad id uſque temporis intactos reliquit, & ſero tandem proſtravit.

Novi, qui intra non multos annos vigeſies octies ex hoc morbo decubuit, etſi ceruſſa in pollinem conterenda, & parandis pigmentis, labore utpote præ cæteris nocivo, ſemper abſtinuiſſet, & ſolum pingendo occuparetur. At is multoties calentis malagmatis plumbati vapores ore hauſit.

Figuli, qui lithargyrium in tenuiſſimum pulverem comminuunt in aëra evolantem, eodem morbo tentantur; ſed hujus generis paucos habui, & pauciores, quam pro numero eorum, qui lithargyron tractant: an quod lithargyros figulis minus noceat, quam ceruſſa pictoribus, an alia per acidens ſubſit ratio? non ſcio.

Nonnullis peculiari modo, & gravius, & citius, frequentiusve plumbum nocet.

Quam corporis diatheſin hoc venenum vel averſetur, vel amet, exquirere nondum potui. Id ſolum mihi videor obſervaſſe, mercenarios duris antea laboribus exercitatos, duros ipſos & animo, & corpore, ubi operam ſuam ad terenda pigmenta converterint, minus ab iiſdem pati-

ti-

ti; minus etiam illos, queis venter quotidie, & ſæpius, ac facile reddit; & minus omnes ac mitius, æſtate, quam hyeme.

Fortaſſe uberior bilis, & minus vividus ventriculi ſenſus, quas duas res in omni homine, atque omnibus æſtatibus plus, minusve eſt obſervare, apparitionis hujus rationes habet. Quippe æſtiva bilis venenum curabit, enervabit, & ventriculum defendet, qui & ipſe languidior a plumbi ſtimulo minus afficietur.

In omnibus, quos in opere ſaturnino verſari noveram, duo deprehendi, faciei nempe, & oculorum habitum non deſcribendum, atque alienum ab eo, quem homines ſanæ mentis habent, & in quibuſdam vere maniacum, etſi morbum aut nunquam paſſi adhucdum ſint, aut ex eodem fuerint perſanati.

Altera res eſt iis ipſis hominibus, hisque præcipue, ſolennis, arteriarum tenſarum plenitudo, durities, vibratio, vel ſaniſſimis cætrroquin.

Epilepſia, apoplexia, affectionesque aliæ multæ huc pertinentes vario morbi tempore ægros incurſare, & eventu vario obſervantur. Quoſdam obambulantes, & aut nullis adhucdum, aut per exiguis torminibus admonitos vis morbi ſubito proruit, humique ſtravit epileptice convulſos. Alios non niſi provecta jam ægritudine, alios vero jam reconvaleſcere viſos fœdiſſimum id malum inceſſit. Hos gravius, & diutius afflixit, illos ſolummodo perſtrinxit, & levius. Pauciſſimis ea acceſſio non ſolvebatur: hos tandem apoplexia enecuit, multis antea, & repetitis inſultibus epilepticis interpolata.

Duos habui, mitiſſime, ut apparebat, ex ea colica ægrotantes, qui recenter ad nos venientes,

tes, vixque de morbo interrogati, & priusquam ingerere quidquam poteramus, convulſi, apoplectica mox morte periere, non averruncanda.

Quidam inter ſæviſſima tormina ventris diu noctuque per lectum volutati, nil tamen convulſivæ, aut apoplecticæ affectionis unquam perpeſſi ſunt, ubi alios vix dolentes funeſta acceſſio convulſit, convulſosque jugulavit.

Sed & lentam ex eo morbo mortem vidi, eamque hydropicam. Syſtema europoieticum plumbi vires præprimis experitur, convulſum, conſtrictum, & lotii juſtam ſecernere copiam, atque excernere præpeditum. Unde retenta urinæ materies, aggeſta, in caveas compulſa non ſuas, hydropem facit, quem opio ſquillæ juncto in ægro quodam multum levavi, non curavi.

Duo alii mihi alia ratione periere, ex febre videlicet maligna, quæ huic colicæ, priuſquam ad nos deportarentur, ſupervenerat. Morbum offenderam jam ultra eos limites proſiliiſſe, quam ut eum revocare ars inde valeat, quibusque ſuperatis is exlex fertur. Belle diſtinxeram utrumque morbum, atque utriusque morbi peculiaria ſymptomata: at cum febri malignæ medebar, efferari ſaturnina affectio cœpit, & vice verſa.

Opii præſtantem uſum, eumque in hoc colica ſæpiſſime unicum, uti poſtea referam, junctæ febris malignitas averſabatur.

Reſerato cadaverum cranio vaſa omnia encephali ſolito multo ampliora, & ſanguine turgidiora deprehendi, quam in aliis ſoleat alio ex morbo demortuis.

Nunc, quam medendi rationem, quove eventu amplexus ſim, & quam ego epidemicæ febris cum hac colica ſocietatem obſervarim, exponam.

In

In omni colica ſaturnina duo potiſſimum reſpexi, morbum ipſum videlicet, atque ejuſdem peculiaria quædam effecta. Quippe quos vomitus vexabat, facilius, celeriusque ſanari obſervavi, facilius etiam eosdem, queis venter fluxit: difficillime vero, qui nec alvo, nec ore quidquam reddidere; etſi hi levius fortaſſe multo doluerant, & illi gravius. Cura colicæ ſaturninæ.

Qui vomuerant ob morbi vim, biliosiſſima, & plurima ſemper vomuere, qualia non facile quisquam in biliosiſſima febre, & biliosiſſima tempeſtate, emetico licet propinato. Sed & iis, qui abſque vomitu ex colica ſaturnina decubuere, lingua, & ſapor aſſumptorum ſupra modum bilioſa fuere.

Colluvies hæcce bilioſa jam ante morbum adeſſe poterat, utut innoxia forſan, & mole minor. At accedente irritamento ſaturnino vellicari ventriculum, inteſtina, & ſocia eorumdem viſcera, & violenter emulgeri opinabar, ſuccorumque gaſtricorum proventum ultra, quam ſanis conferat, augeri. Id etiam accidere autumabam ex eodem venenato ſtimulo, etiamſi nulla aliena materies intra ventriculum jam præexſtiterit.

Biliformi igitur ſaburra ſimul laborare, undecumque, nata, & ratione quacumque, omnes illos, quos ex plumbo ægrotare conſpexeram, ſufficienter conſtabat.

Hinc duo mihi agenda rebar, videlicet, ut ſtimulum enervem ſecretiones gaſtricas nimium quantum ſollicitantem, utque, quod erat hucusque jam collectum, & ob copiam nimiam vitioſum, evacuem.

Quodſi alterutrum tantum perficerem, parum me facere arbitrabar. Quid enim emeſis concitata, aut

aut potentiſſimis pharmacis ſollicitata alvus proderit, cum, rejectis licet humoribus copioſis, alienisque, perſtet antiqua ex plumbo irritatio, & nova accedat ab ipſo remedio evacuente?

Hæc methodus nonniſi in levioribus colicis ſubinde mihi ſatisfecit, ubi ſtimulus ſaturninus potius ſponte quiverat, repurgatis ventriculo, & inteſtinis. At ſæpiſſime nil effeci: ſymptomata augebantur ab emeticis, & purgantium, quorumcumque vires alvus pertinax eluſit. Invitus ab ea methodo, quam alibi tam efficacem in ea colica legeram, & nonniſi multoties deluſus, diſceſſi. Invitus opium arripui, utut ab Haenio deprædicatum, tum quod credideram pertinaciſſimam alvum magis iri cohibitum, cum etiam, quod bilioſis, quales omnes ſaturnini fuere, id genus remedii nullatenus conducere poſſe exiſtimabam.

Ejulatu cujuſdam ægri commotus, cui a ſeptem jam diebus alvus nulla ratione provocari poterat, quive inter immania tormina per vices vomuit, opium dedi: unde mox ſponte ſolvi venter cœpit, & multa aliena reddere, doloresque, & vomitus ſilere.

Opio poſthac liberalius uſus ſum, quod aut ex oleo bibendum dedi, aut ex infuſo florum chamomillæ. Inde feliciſſimas curationes, celeresque feci, & confirmatas, easque numeroſas.

Nihilominis in quibuſdam ea ſymptomata conſequebantur, quæ non a veneno jam proficiſci, ſed a ſaburra primarum viarum exiſtimabam, quam mirifice increviſſe a multo ingeſto oleo, & emollientibus decoctis, ac vetuſta inteſtinorum fæce conſpexi. Quidam enim ex colica jam reconvaleſcere viſi, nauſeare de novo, incaleſcere, inhorrere vago more, aut cardialgiam denuo, ventris-

triſque moleſtias quæri, febrire ex fomite putrido, vel etiam maligne, iisque varie encephalum affici, & perniciose, etſi nil hucusque in victu fuiſſet, aut in medendi ratione mutatum.

Ex eo tempore utramque methodum, quas ſingulas ſeorſim hucusque ſecutus ſum, conjunxi, *evacuantem* videlicet, & *narcoticam*.

Ubi nullam morbus ipſe evacuationem fecerat, nec ullum urgentius ſymptoma celerem opem popoſcerat, curam a ſolvente, ſalino, mannato remedio exorſus ſum, alvumque movi, aut etiam emeſin, anni præcipue conſtitutione bilioſa. Largam dein opii doſin ex chamomilla hauriendam proponavi, oleo neglecto. Sic aut omni altero die eccoproticum dedi, atque anodynum, aut utrumque quotidie, eo modo, ut eodem die nunc opium ſumeretur, nunc blandum evacuans.

Hæc ratio fortunatiſſime ceſſit, iisque incommodis omnino caruit, quibus ſingulæ methodi, ſi eæ ſolæ adhibebantur, ſubjacebant.

Quos violenta, & frequens vomitio exercuit, evacuantibus non ſum aggreſſus, ſed opio: neque ii hoc genere remediorum habebant opus; queis alvus facilis erat, vel etiam fluebat, quod in pauciſſimis obſervavi.

Doſes opii largas hic morbus exegit, & frequenter repetitas, & diu. Plerumque intra viginti quatuor horas ſequentem mixturam abſumebant, per plures plerumque dies continuatam: ℞. Aq. flor. chamom. unc. vj. Extract. flor. chamom. drachm. j. cum dimid. Syrup. flor. chamom. unc. j. ſem. Opii puri, & camph. ā gr. x. ſumat omni quarta hora ſextam totius partem, donec omnia intra viginti quatuor horas fuerint abſumta.

Qui-

Quidam in violentiſſimo vomitu ſaturnino una nocte grana tredecim opii, & camphoræ cum emolumento ſumſit.

Camphoram ſerius addidi non omnino neceſſariam; quippe & ſolum opium perbelle hunc morbum ſanat, & ſola camphora nunquam, etſi eamdem matigare aliquoties ſit viſa.

Opium neutiquam morbum *palliat*, ſed cum perſeverantia *ſanat*. Id multis alio tempore, locove alio narrandis ægrorum hiſtoriis comprobabo. At dignas tanto malo oportet doſes dare, & diuturnas.

Mirabar multoties, alvum, nulla antea ratione reſerandam, præmiſſo largo opio, aut ſponte reſpondiſſe, aut enemati auſcultaſſe, licet antea frequenter, & inutiliter injecto; aut tandem miti purgante fuiſſe provocatam.

Reconvaleſcentibus quotidie ſex, octove opii grana partitis doſibus propinavi, remedio cuidam amaricanti, & ſtomachico remixta. Hi alvum plerumque facilem, & leviter fuſam habuere ſua ſponte.

In his ægris opium videbatur incommodis illis caruiſſe, quæ ejus uſum alias, atque aliis in morbis comitantur, temulentiam ajo, & carebariam, inſomnia, pavores, ſudatiunculas pruriginoſas, aliaque multa: ſenſuum hebetudinem ſuſtulit, languorem artubus excuſſit, & mentem alacrem, promtamque reddidit, ac caput leve.

Opium non ſepoſui, etſi æger ab omni moleſtia plane vacaret. Requirebam præter hanc a doloribus immunitatem etiam pulſuum antea vibrantium mollitiem, & experientia edocebar, nondum omnem veneni hujus characterem deletum eſſe, niſi pulſus emollirentur.

Ar-

Arteriarum duritiem phlebotomia non emendavit, etſi larga, & repetita.

In graviſſima colica ſaturnina vomitibus crebris ſtipata, & imminente delirio, quin jam præſente, terna, & profuſa venæ ſectio nil profuit: opium illico mentem reſtituit.

Quidam leviorem ex plumbo colicam experiebatur, ſine vomitu, & alvo clauſa. Cura, non præmiſſa evacuatione, ab opio cœpta eſt. Mox æger ſoporoſus fieri, leviterque ſubinde convelli, & modice deſipere per intervalla. Datum emeto-catharticum temulentiam excuſſit, hominemque ſibi reddidit.

En opium ibi profuiſſe, quod hic nocuerat, fors quod ibi ſola vis plumbi mentem infatuarit, cui rei opium apprime dicatum eſt; hic vero caput affecerint humores gaſtrici, nimii, intra abdomen concluſi, atque huc a leviori licet ſtimulo ſaturnino proliciti. Sic opium nocuiſſe debuerat, & emeto-catharſis prodeſſe.

Evacuantibus omnes indiguere, quoſcumque tormina ſicca excruciarunt, alvo videlicet concluſa, & absque vomitibus ſpontaneis.

Id genus remediorum ſaturninos abdominis cruciatus adeo non cicuravit, ut eosdem plerumque intenderit. Hinc in hiſce nullum ipſius colicæ auxilium quæſivimus, contenti, eorum ope ſyſtema gaſtricum ab obſutura illuvie liberaſſe, & remediis antiſaturninis feciſſe locum.

Idcirco cavimus, ne citra multam neceſſitatem evacuantia reſumeremus, aut eorumdem uſum protraheremus diutius.

Id etiam nobis auſpicato evenerat, ſi poſt finitam actionem pharmaci non multum temporis labi ſiveramus, quin juſta mox opii doſi conſopiremus, & novas haſce ab ipſo remedio in-

ductas turbas, & illas veteres a plumbo, priuſquam colligi denuo humores gaſtrici copioſius, quam par eſt, poſſint.

Purgans, aut emeticum citra ſaburram, & convaleſcenti datum, faciles relapſus facit. A ſolo enemate eccoprotico recrudeſcere morbum multoties vidi.

Cum alvum facilem habere convaleſcentibus contulerit, remedium dedimus, quos ex opio, camphora, ſale polychreſto, & ſtomachicis coaluit.

Colicam ſaturninam ſubinde difficulter dignoviſſemus ab ea, quam bilioſam dicunt, quamve evacuantia ſola fere ſanant, & narcotica intendunt, niſi ejuſmodi nobis ægri obrigiſſent, quos in opere ſaturnino verſari conſtabat.

Ex hucusque dictis patet, utramque hanc colicam conjungi poſſe, poſſe & ſaturninam bilioſa excipi: atque id reapſe non raro fieri, obſervationibus evictum novi.

Præter hanc colicæ bilioſæ cum ſaturnina conjunctionem alia quoque complicatio obſervatur, ſi quando æſtiva febris eos una invaſit, quos morbus ſaturninos afflixerat. Hi periculoſe decubuerunt. Medebamur æſtivæ febri *directe*, & torminibus ſaturninos non niſi *per ambages*, opio in initiis non propinato, dein vero caute, & furtim. Narcoticis enim ingraveſcere febrim, & minari malignitatem vidimus. Ab oleo æque abſtinui, bilioſe febrientibus non proficuo.

Conſtitutione anni phlogiſtica, hyemali, verna, ægritudo ſaturnina vitio bilioſo plerumque caruit, aliamque in ſocietatem adſcivit ſæpenumero pernicioſam, inflammationem nempe inteſtinorum. Ea res emeto-catharſes omnino averſabatur, medendique rationem invertebat;

phle-

phlebotomiæ enim, quæ in hujus morbi cum febre æſtiva connubio non profuerunt, hoc in caſu neceſſariæ erant, largæ, & repetitæ cum potu multo, tepido, emolliente, oleoſo, hisque interponi opium debuit.

Difficillimum erat dijudicare, anne inflammatio una adſit, aut ſolus excruciet ſaturnus. Certe diriſſimos dolores vidi, ægrosque per lectulum præ eorumdem ſævitie volutatos, etſi nulla in abdomine inflammatio adfuerit, quemadmodum *a poſteriori*, a methodo videlicet medendi argutabar, ſolis utpote narcoticis, ſpirituoſis, & carminantibus uſus. Verumtamen lethalis in alio caſu hæc colica fuit, gravisque in abdomine diſſecti cadaveris inflammatio reperta, etſi æger obtuſius, aut vix doleret, & ægritudinem facile, & erectus ferret.

Infida ſalutis prædictio, dubiaque fuit, nonnunquam enim non valdopere ægrotare viſos epilepſia corripuit, atque etiam enecuit in apoplexiam, converſa. Quosdam etiam convaleſcere incipientes fœdum id malum repente ſuſtulit.

Quas in ſanando hoc morbo leges ſecutus ſim, exponam.

Temporibus bilioſis curam adhibui compoſitam, *antibilioſam*, & *narcoticam*, catharſin, emeſin, emeto-catharſin, & opium, multum, jugem, & antibilioſum potum.

Tempeſtate vero inflammatoria cura *antiphlogiſtica* fuit, potio multa, emolliens, mucilaginoſa, oleoſa, cataplaſmata, balnea, ſubjuncto ſerius narcotico.

Subinde & *antibilioſa*, & *antiphlogiſtica*, & *narcotica* eodem in ægro uſuvenere, prout varia mali complicatio occurſabat.

Hæc de colica ſaturnina, atque in univerſum de varia febris æſtivæ cum diverſiſſimis morbis commiſtione connotavi.

CAPUT XIII.

SEPTEMBER.

PRIMIS duodecim menſis hujus diebus venti aſſidui, impetuoſi: pluviarum copia, & frigus. Inde vero a vento quies, peramœna ſerenitas, & calor non meridie ſolum, ſed & veſperi, & mane. Ultimum triduum frigus acutum, & boreas exaſperavit, ſereno cœlo.

Hoc, & antecedente menſe lues quædam tuſſi, coryza, & extrema macie multos canes enecuit.

Fructus horæi pauci, immaturi, inſipidi.

Die 22. Sept. calor atmoſphæræ maximus in therm. Reaum. fuit $17\frac{1}{2}$. gr.

Diebus 14. 29. 30. Sept. calor minimus 8. gr.

Calor medius $12\frac{5}{6}$. gr.

Die 17. Sept. altiſſima barometri ſtatio 28. dig. $5\frac{1}{2}$. l.

Die 3. Sept. infimus ejuſdem locus 27. dig. 7. l.

Iidem ferme hoc menſe morbi, ſi genium ſpectes, ac illo præterito; ſed numerus eorum, & ratio inter ſe invicem multo diſpar. Etenim pauciores fuere *continuæ* febres, & quæ remiſerant per intervalla, id evidentius iſto, quam menſe priori fecerunt, ut ferme apyrexiam potius, quam remiſſionem diceres. *Continuarum* retuſa pauliſper acies, & minor furor fuit, ſed du-

durato longior. *Remittentium* magna in *intermittentes* proclivitas, quam unius in alteram converſionem hauſtus ſalini, & emeſis felici augurio effecerunt.

Febrium continuarum, & remittentium in intermittentes converſio.

Major adhuc materiæ morbificæ lentor huc menſe, quam prægreſſo fuit, ſed minor copia. *Continuarum* & *remittentium* febrium minor numerus, ſed *intermittentium* major; cum earum, quæ a principio perfecte intermiſerant, tum ex *remittentibus* in *intermittentes* abeuntium.

Pauciſſimæ dyſenteriæ. Icteri quidam ſponte orti: oculi febrientium hoc menſe ſæpe icterici.

Febrifugum noſtrum.

Cortice peruviano frequentius opus fuit ad difficiliores intermittentes comprimendas, cujus vim floribus ſalis ammoniaci martialibus feliciter acui, ubi is ſolus impar fuit.

Tertianarum anomaliæ.

Tertianæ præ reliquis crebræ, earumque variæ formæ, ut modo omni tertio die calor ureret ſine frigore prægreſſo, aut ſudore ſubſequente; modo acerbior tantum cephalalgia vexaret.

Icteri remedia.

Icteros hauſtus ſalini, emeſis, amara, extractum anagallidis flore luteo potenti virtute ſolvente donatum, & flores ſalis ammoniaci martiales pulchre ſanarunt.

Pauciſſimas hoc anni tempore pleuritides biliosas vidimus, easque non jam ſinceras, aut impermixtas, ſed quibus aura frigidor jam inflammatorii quid adſperſit, ut præmitti emetocatharſi phelebotomia debuerit, vel ſubjungi, & repetitim, prout vel phlogoſis, vel bilis eminebat.

Febris æſtiva quamdam hoc menſe mutationem ſubire cœpit.

Cum quamdam febrium potiſſimum continuarum variationem fuiſſe, atque æſtivam febrim mutato aliquantium ſub ſchemate prodiiſſe ſupra-

pra dixerim, juvabit eam rem hic reſumere, & explicare.

Popularis æſtatis febris ſub finem prioris menſis, & primo Septembris dimidio in plures, quam antea, ſeptimanas protrahi, lente increſcere, lente provehi, & ſub falſa benignitatis ſpecie ægrum diu affligere, ſero tandem eidem valedicere ſolebat, cum judicium ſubierat laborioſum, & tardum.

Pulſibus & urinis non malis febris gravis. Symptomata hoc tempore eadem fuere, quæ per æſtatem febrim bilioſam comitabantur, niſi quod pulſus, & urinæ, calorque ægrotantis plerumque parum quid habere a ſanitate diverſum viderentur, etſi is nihilo mitius ſe habebat, & & cum ingenti cephalalgia. ingentem cephalalgiam, temulentiamque querebatur; at frequenter quaſi attonitus, atque obtuſius ſentiens, ſupinus, cruribus divaricatis, ad pedes defluens, decumbebat.

Utut vix febrire plerumque ægrum diceres, fuit nihilominus ſubinde acer calor vel uno tantum in brachio, vel in utroque: at quaſi diffringi ſibi caput præ dolore, & ardore ſemper aſſerebat. Oris amarorem perpetuo, & inappetentiam accuſabat.

ac tædioſa diarrhæa. Quotquot ex febre populari hocce tempore decubuerunt, omnibus diarrhœa ſupervenit, primo levans, ſed quæ poſtea, cum perſiſteret, abſque ulteriori levamine vires fregit.

Multi, qui morbi initia, & primos progreſſus ſpreverunt, quacumque medendi ratione in auxilium vocata, colliquantes ſeceſſus, & largam ſub nocturna præcipue tuſſitatione ſputorum pituitoſorum copiam patiebantur, & pertinax crurum œdema.

Hæc febris in *Phthiſin hanc pituitoſam* lichene islandico, & poly-

polygala, frictionibus aromaticis, & victu reſtaurante plerumque ſanavimus, ubi alvinæ lubricitati pulvis radicis arnicæ pulchre opitulabatur. phthyſeos quandam ſpeciem abiit, eratque non bilioſa, ſed bilioſo-pituitoſa.

Febrem hanc non jam *bilioſam* appellabamus, ſed *bilioſo-pituitoſam* ob amareſcentem pituitam, quam queſti identidem ſunt, & potione emetica revomuerunt.

Ejus cura.

Medebamur eidem eadem ferme ratione, qua *ſimplici bilioſæ febri*, niſi quod diuturniora adhiberemus ſolventia, & ob præcognitam morbi diuturnitatem viribus mature proſpiceremus, datis gratis cardiacis, & antiſeptica arnicæ radice, aut decoctis herbarum, & radicum aperientium amareſcentium &c.

Quod ſi primæ emeto-catharſes morbum in incunabulis non præfocarant, & quæ ſerius inſtituebantur evacuationes, nil amplius in materiem poterant, fors intra vaſorum ſyſtema jam dilapſam, viribus conſervandis imprimis ſtudebamus, ut materiem, quæ vim remediorum *directam* jam eluſerat, fugam ex ventriculo intra ſanguinis territorium capeſſendo, naturæ vis ſic conſervata attenuet, eliminet, aſſimilet, ſive coquat.

Inepte, & cum ægri diſcrimine morbum ejusmodi longius provectum neglectumque valentioribus vexares, ſi ejus te forte tarditatis lentæque ſanationis tædium caperet. Hic illud valuit: Sat cito ſi ſat bene.

Linguarum hoc menſe conditio.

Ægrorum horum linguæ rarius bilioſæ, aut limo quaſi flaveſcente conſpurcatæ comparuerunt: frequentiores fuerunt prærubræ, glabræ, reſiccatæ, ſplendentes, & quaſi vernice obductæ.

CAPUT XIV.

OCTOBER.

Siccitas frigidiuſcula, cœlique ſerena facies, noctibus pruinoſis ad octavum uſque menſis diem: eo die inſignes pluviæ. Inde frigus humidum, nebularum defluvium, pluviarum inanes minæ. Die 19. rediit ſiccitas, & frigus, cum glacie nocturna, & matutina, fœtente, craſſaque nebula ad 25. uſque pluviis madentem. Inde mane, & veſpere copioſæ, denſæ, depluentes nebulæ, multusque mador, ſole ſub meridiem claro, & frigore miteſcente.

Ultimo triduo cœlum molle, auſtrinum, tepidiſſimum, capiti grave, atque univerſalem languorem inducens, ſole per eos dies languidiſſimo, nebulisque tenuiſſimis ſuffuſo.

Dominabatur hoc menſe multus humor, isque in medio menſe frigidior.

Die 3. 4. 5. 31. calor atmoſphæræ maximus fuit 16. gr.

Die 24. Calor ejusdem minimus 3. gr.

Calor medius $9\frac{2}{3}$. gr.

Die 21. Oct. altiſſima barometri ſtatio 28. dig. $2\frac{1}{2}$. l.

Die 3. 30. 31. ſtatio infima 27. dig. $7\frac{1}{2}$. l.

Dominantis febris mutatio.

Anno ulterius provecto, atque ad ſuum quaſi ſenium producto frigidum, ſiccum, immite, mutari rerum facies cœpit, atque æſtivi morbi ab hyeme ſuccedente diſſolvi. Etſi enim hujuſce temporis febres eaſdem, ac per æſtatem perio-

periodos, exacerbationes eaſdem, certas, incertas, obſervarint, rariſſime nihilominus ſinceram bilem atque αμιγη matrem ſalutarunt.

Multæ continuæ remittentes febres, ſive peculiarem quamdam impeterent corporis partem, ſeu decurrerent absque topica invaſione, a materie naſcebantur lenta, ductilique, non ſemper amareſcente, aut, ſi etiam bilis ſaporem referret, excolori, & molis non magnæ. Hæc ſpecies fœminas præ viris invaſerat, easque pallidiores, inordinate menſtruantes, & affectas fluore albo. **Idea malignitatis in hac febre.**

Numerus hoc modo ægrotantium non magnus fuit, ſed morbus longus, difficilis, laborioſus. Pleræque ad nos venere, miſſo jam ſanguine; quare ægritudo altiores radices egit, pertinacior effecta, & periculoſior. Sed emeto-catharſis minus efficax in hiſce fuit, phlebotomia nempe fractis & morbi longitudine, priusquam nobis committerentur. Vomuerunt tamen cum aliquo levamine, ubi emeticum propinabamus, utut haud promto, nec eminenti.

Binis, raro ternis vicibus per omne morbi tempus vomitorium dedimus.

Materiem vomendo rejectam ante deſcripſi, pituitoſam, & paucam, & rarius, & modiciſſime biliformem. Hanc morbi genitricem materiem parcius intra ventriculum, & inteſtina collectam, at magna ex parte per omne corpus diſpenſatam exiſtimabam, febrimque ex eo genere eſſe, *ubi medicum non oportet tumultuari, multaque, & magna moliri.*

Omnibus tentatis id experiebar, ſatius eſſe, *vacuato, ſi vires ferant, ventriculo, vim vitæ ſuſtentare, & urgenti, ſi quod accederet, ſymptomati occurrere, & operiri, donec febris ſe ipſam* **Canon in ſananda hac peculiari hujusce fe-**

 con-

bris malignitate obſervatus.

conficiat, & materiem morbificam ſenſim aut aſſimilet, aut ſubactam variis, viis, & tempore vario eliminet, blande, pedetentim.

In uſu remedium mihi fuit ex aquæ aut communis, aut ſtillatitiæ, e. gr. menthæ, ſemilibra: pulveris radicis arnicæ drachmis duabus — tribus: ſacchari Thomæi unica ſemis, & ſpiritu vitrioli drachma una. Nonnunquam primis præcipue morbi temporibus drachmam aut ammoniaci ſalis, aut arcani duplicati admiſcui. Sed morbo proviĉtiore, & increſcente debilitate, aut ventre profluente a ſalibus abſtinui.

Potui dedimus aquam ſimplicem cum oxyſaccharo.

Hac uſus methodo rarius, aut nunquam nimium elatam febrim vidi, ut ideo phlebotomia opus non fuerit, quam omnes ferme aut una, aut etiam altera vice inſtituebant ante adventum in Noſocomium, eamque non neceſſariam, vel etiam noxiam.

Remedia validiora, & ſtimulantiora ingerere nolui, ne tenacem morbi materiem minutis vaſculis altius impingam, nulla amplius poſthac ope extricandam, neque deprimere vitæ vim, ne non ſufficiat coquendo.

Moleſtiſſimæ diarrhϾ in hac febre cura.

Plurimum negotii, & tædii non parum lubriciſſima nonnunquam alvus fecit, quam promtam habuiſſe, & facilem multum profuerat, at fuſam, nocuerat plurimum. Id ubi evenerat, omni altera hora drachmam dimidiam, vel & integram pulveris radicis arnicæ exhibuimus, qua re effecimus, ut parcius dejicerent, & conſiſtentia.

Quam hic memoravi febrim, ab ea menſis præteriti *bilioſa - pituitoſa* non differebat, niſi quod iſto tempore & ſolas ferme fœminas corripe-

riperet, easque imbecilliores, & humoribus lentis; cum e contrario elapſo Septembri etiam viros afficeret præter fœminas & paulo acutior, ac freqnentior illa eſſet præ hac hujus menſis, atque admixtæ bilis haberet plus.

Remiſſiones hujus febris incertæ fuerunt; invaſio lenta, lentus inceſſus, & morbi totius duratio longa: nullus eminentior dies criticus, nec ulla luculenta-criſis, ſed morbi fatiſcentia ακριτιμος. Nullibi dolor inſignior, at magna dejectio virium. Mens omnibus conſtitit. Pulſus habuere paulo citatiores, & calorem modiciſſime auctum: cutem arentem, linguas glabras, prærubras, ſiccas abſque cruſta: urinas naturalibus magis flavas, & nebuloſas. Color faciei identidem mutabilis, ita, ut, genis quaſi minio fucatis, teneret ora, pallor, & narium ambitum, aut ut alteraruberet gena, pallente altera cum virore, vel ut inſignior rubedo totam mox faciem perfunderet, eamque totam mox virens pallor. Querelæ paucæ, & quies. Somni leviculi.

Moleſta tuſſis provecto morbo ægrotantium pulmones concuſſit, extuditque pauca, mucoſa ſputa. Superveniens vomitus, aut liberior alvus hanc ægritudinem thoracis allevabat. Raro contigit, ut eo in morbo id incommodi præverteremus, & tunc ſolummodo, ubi ægri nondum nimis progreſſa infirmitate, & iis vitæ viribus ad nos venerunt, quæ repetita emetica ferre poterant. Tuſſis permoleſta febri ſuperveniens.

Hanc febrim plerumque ſinceram, & unius pituitæ prolem, *pituitoſam* appellabamus.

Quædam tamen hoc menſe febres non unius originis erant, ſed parentum diverſorum, & hybridæ. Fuerunt enim & filioſo-pituitoſæ, & Febres hybridæ.

& biloſo-inflammatoriæ, aut triplici vitio prognatæ, bile videlicet ab æſtate reſidua, pituita, & ſanguins ſuccenſo.

Prudens æſtimator & temporum, & temperamentorum, & ætatum, aliorumque, quæ uſu diſci, deſcribi nequeunt, non operoſe definiebat, biliſne, an pituita, aut ſanguis excalefactus magis peccet, quove cum ægrotantis diſcrimine.

Hinc non una medendi ratione utebamur.

Hæc varia morbificarum cauſarum intenſio, prædominium, conjunctio, methodum medendi variam effecit. Hinc ſolvendum plerumque multo diutius fuit, quam elapſis menſibus: mittiſanguis frequentius debebat, ſubjungi emeticum ſerius, aut omitti penitus. Non raro nec emeſi, nec phlebotomia indigebamus: ſolis ſolventibus ubi nulla materies turgebat, & ſale medio, mitiori, pauco, aqua, aceto, melle multos ſanavimus, quibus ea ratione omnia εὔροα fecimus, viasque omnes expeditas, dum interea febris deferveret.

Metaſtaſes hoc menſe plures, rheumata ſuppurationes, ichores eryſipelata, bubones, carbunculi.

Sub exitum prioris menſis, & initio Octobris ad ejus uſque medium hæc febris autumnalis id habuit peculiare, atque a febre æſtiva diverſum, quod amarit metaſtaſes non criticas, difficilesque, & ipſa febre graviores. Multis enim uno ante, alterove die placide febricitantibus repente carnes brachii induruere cum tumore non diſcolori, ſed dolentiſſimo, & ablata movendi illius artus facultate. Quibusdam muſculi femoris pone inguem ligni inſtar rigebant, dolebantque; tumebant & glandulæ iſtic loci. Aliis glandula ſub axillis ſita tumefiebat: atque aliis manum, brachiumque eryſipelaceus rubor perfudit, quem mox phlyctænæ, & plaga gangrænoſa inſequebantur, & rodens ichor, qui lon-

longos ſub carnibus cuniculos agebat, & telam celluloſam longe, lateque depaſcebatur.

Tumores hocce inguinum, & ſubaxillarium glandularum morbum ipſum non ſolverant; nec ipſimet diſcuti potuerunt, ſed omnes tarde maturuere, tarde ſuppurarunt, & coaluere tardiſſime.

Suppuratos carpos antiſepticis ſanavimus & admotis gangrænoſæ plagæ, & ingeſtis. Hunc in finem omni altera hora drachmam pulveris radicis arnicæ exhibebamus, camphoræ junctam, vel & ſine eadem. Fateor, me profuſiſſimas ſuppurationes, & ichoroſas cum tabifica febre immutaſſe, coercuiſſe, ex toto perſanaſſe hujusce ſolius radicis ope.

Menſe ultra dimidium progreſſo, vergenteque ad finem, compoſitæ hæ febres in alterutrum thoracis latus irruerant. Pleuritis ea erat inflammatorio-bilioſa, dolore late diffuſo, atque a ſumma clavicula decurrente ad oſſis ilei criſtam uſque. Plerumque cruenta ſputabant, æſtuantes, pulſibus plenis, elatis, quive digitum exploratorem inſtar vibrantis chordæ ferirent, ore mucoſo, & amaro, ac cardialgia. Sanguinem cum emolumento miſerunt, aut absque ſaltem detrimento, priuſquam ad nos deportarentur. Multo potu refrigerante, leviterque ſalito, & diutius ingeſto, tandem emeto-catharſin fecimus, mox allevantem. Pleuritis inflammatorio-bilioſa.

Subinde præmitti emetico phlebotomia debuit, aut ſubjungi, aut utrumque hoc genus præſidiorum alternis vicibus adplicari. Sanguinis emiſſi corium plerumque denſum fuit, flaveſcens, vireſcens; aut flavo, viridique latici innatabat.

Mor-

Morbo jam inclinato ventrem modice profluere multum profuit.

Profligata jam ægritudine dolor non raro pertinax, ſed levis, atque inter tuſſiendum ſolummodo latus vellicabat, quem adplicatum veſicans diſpulit, cum interim opium tuſſim ipſam a morbo reſiduam, noctuque moleſtiorem comprimeret.

Colicæ bilioſæ ſubinflammatoriæ.

Colicæ bilioſæ etiam hoc menſe comparuere, paucæ numero, ſed graves, ſanatu difficiles, & ſubinflammatoriæ, quas ſanguis iterum iterumque miſſus, & anodynum mitigavit primo, deinde pharmacum evacuans percuravit.

Febris rheumatica.

Multi febriebant ex rheumate artus omnes oberrante, & noctu ſæviori. Pleriſque articuli, aut extimæ femorum carnes, aut lumbi mirum doluerunt. His lenia ſalina, quæ & alvum mollirent, & urinas cierent, mirum profuere. At ubi febri conſidente dolor remanſit, veſicante ſæpius, variiſque in locis adplicato, conticuit.

Puerperæ qua ratione hoc menſe valuerint.

Puerperæ hac tempeſtate immunes ab ea febre manſerunt, quæ omnes omnino laceſſivit, quotquot æſtivo tempore apud nos pepererunt, at nullam gravius afflixit.

Quartanæ,

Quartanæ ſub initium autumni caput extulere; ſed quos hujus ægritudinis tædium cœpit, primum altero Octobris dimidio, & ſub finem ejus ad nos venerunt.

Quotquot habui hac febre per autumnum vexatos, ab aliquot jam menſibus febriculoſos fuiſſe, adcurato examine comperi, ad id uſque tempus, quo ea diatheſis febriculoſa in febrim quartanam maturuerat; neminemque, quantum novi, ſaniſſimum ante, is morbus eſt, velut ex inſidiis adortus, & repente.

Sali-

Salibus multis, ſale præprimis ammoniaco, & concitata ſubinde vomitione reſerare obſtructa connitebamur, amaricantibus dein remediis, queis flores ſalis ammoniaci martiales miſcuimus, inertem ventriculum exſtimulare: tum demum morbus fugam capeſſivit, vel ſuapte, vel cortice peruviano profligatus. earumque curatio.

CAPUT XV.

NOVEMBER.

PRIMUM menſis quatriduum multum intepuit ſole continuo, claroque. Dein nebulæ craſſæ; madidiſſimæ, phœbum ut plurimum eripientes, tepore perſiſtente.

Die 3. Aurora borealis.

Die 8. Frigus humidum, & nubes. Inde ad 17. uſque varia cœli facies fuit, cum pluviæ tenuiſſimæ, ſol; nebulæ, nubes, alternis ſe vicibus exciperent, vento non raro rudius interpellante, at frigore non magno.

Die 17. Acutius frigus. Poſtea multa intemperies, & tempeſtas frigida, pluvioſa, ventis procelloſis, & grandine horrida ad 25. usque, & ſole carens. Ea dies primitias hyemis prima tulit, tenuiſſimas nives nempe, ſed quæ vix natæ defloruere.

Inde glacies, ſerenitas, & ſiccum frigus. Hoc menſe frigus minus, quam pro anni tempore intendebatur.

Die 1. Nov. calor maximus + 0. 13. gr.

Die

Die 28. calor minimis —— 0. $1\frac{1}{2}$. gr.
Medius calor —+— 0. $4\frac{3}{4}$. gr.
Die 5. barom. altiſſ. ſtatio 28. poll. 3. lin.
Die 9. 10. infima ejus ſtatatio 27. poll. 5. lin.

Major hoc menſe ſalubritas.

Hic menſis præ cunctis aliis anni temporibus pauciſſimos morbos tulit, æſtiva utpote febri nunc ferme ubique emortua.

Hos ipſos pauciores morbos, multum etiam benigniores vidimus, periculo vix ullo, atque acie penitus retuſa. Febres priorum menſium aut penitus diffugiſſe viſæ ſunt, aut in febriculoſas ſolummodo diatheſes converſæ, catharros, cardialgias, cephalalgias, & paucorum dierum non grave rheuma, quasve facile, & obambulantes tulerunt.

Hæc de numero febrium per hocce tempus, eorumque miti indole innotuere.

Materiem morbificam eamdem deprehendimus, quam menſe præcedente, pituitam videlicet, ſed bili rariſſime commixtam, & mole paucam, quæve peripneumonias nothas, pleuritides, tuſſes ſtomachicas, tormina, doloresque articulorum fecit, prout diverſis corporibus diverſimode applicabatur. Hæ febres pituitoſæ varia etiam ratione intendebantur, aut remittebant, eamdemque medendi rationem ſibi vindicebant, ac illæ menſium præteritorum; ſolventibus enim præmiſſis marhartico - emeticum una, aut pluribus etiam vicibus aſſumptum easdem aut ſuſtulit omnino, aut valde imminuit, vel vero in intermittentes convertit.

Peripneumoniæ nothæ.

Peripneumoniæ nothæ, ſive pituitoſæ, itemque pleuritides ejuſdem indolis in hunc menſem inciderunt, etſi numero non plurimæ; cum omnium univerſim febrium hac tempeſtate vis paucu fuerit.

Fe-

Febris ex claſſe remittentium fuit, ſed non intenſa valdopere, obſcuris acceſſionibus, & vagis. Laborioſiſſime reſpirabant, veſperi maxime, & noctu, ac ſedentes, ac ſi viis ſpiritalibus anguſtatis intra thoracem quid ebulliret, ſibiloſo cum ſtrepitu. Cephalalgia, vomituritio, & vomendi molimina laborioſa, mania, aut cum modicæ pituitæ rejectione: vomitus ingeſtorum, crebriorque a paſtu, & veſpere. Thoracis totius ardor, aut pungens dolor, aut gravior multo cardialgia, graviorque in epigaſtrio toto inter tuſſiendum dolor. Sputa in initio perpauca, plura dein, ductilia, tremula, ſubinde herbaceo hinc inde colore tincta. Inappetentia: vix ulla ſitis. Tuſſis multa, ſonora, ſono quaſi ex cavo prodeunte. Urinæ ſaturate flavæ, & pleni pulſus, naturalibus non multum citatiores.

Sartorum quorumdam hic morbus fuit, & fœminarum, haſque inter pauperiorum præcipue, aut corporis obeſioris. earumque cura.

Venæ ſectione non indiguimus, qua tamen illa Sydenhamo peripneumonia notha compellata carere non poterat, cum plus forte phlogoſeos jam conceperat, quam morbus hic noſter in noſtris terris, & hocce menſe minus frigido, quam is aliis annis ſoleat.

Hinc ſatius erat, alvum moviſſe, aut quod expeditius viſum fuerat, moviſſe emeſin una cum alvo, idque pluribus plerumque vicibus. Aſt prætermittere, & interponere, & ſubjungere ſalina remedia oportebat. Vomuere pituitam meracam, ſubinde mediocriter bilioſam, paucam plerumque, ſed cum levamine non pauco.

Ægram habuimus, cujus hiſtoriam infra recenſebo, quæ quam plurimam pituitam vomuit

eodem morbo, quantam non facile quiſque in ventriculo, & proximo inteſtino fluctuantem crederet, ſed potius ex omnibus corporis vaſis emulctam, rejectamque ad ventrem, & inde per os, atque alvum, tanquam gemina via regia crudiſſimarum ſordium, eliminatam.

Vis ulli in univerſum ſanguinem miſimus, atque ubi ejus rei neceſſitas fuit, eum parce & una ſolum vice detraximus.

Colica hujus menſis.

Colicarum eadem curatio fuit, ab eadem utpote pituita profectarum, etſi hic aliter corpus afficiente. Ægri plerumque difficillime reſpirabant, tuſſitabant, his non multum abſimiles, quos peripneumonia notha tenuit, niſi quod nihil memoratu dignum extuſſitarent, & abdomine graviter dolerent. Obſcure febriebant. Interrogati numquid pectore oppreſſo eſſent, aut dolente, quod libere ſpiritum trahere prohiberet, tuſſimque redderet permoleſtam, negabant, aſſerebantque, dolere ſibi abdomen ſolum, & epigaſtrium tantum pondere gravatum videri, ut levare thoracem ad aërem captandum, & tuſſire abſque magno ventris cruciatu non poſſint.

Orthopnœas a ſolo abdominis vitio plures vidi.

Quam elapſis menſibus non raro videram febrientium diarrhœam, tunc præcipue, ubi morbus ſui juris erat, & neglectus, aut inepte curatus, longam & artem, & ægri vices exhaurientem, hoc menſe non offendi. Ventres omnibus univerſim fuere ſicciores.

Pauciſſimas id genus metaſtaſes, non criticas, ichoroſas ad artus, & ad glandulas habuimus; quales adulta æſtate, & ſub initium autumni ſæpius comparuerunt.

Iſte-

Icteros quosdam prægreſſa miti febricula bilioſæ notæ exortos extractum martis pomatum cum ſale ammoniaco, aut, ejus flores *martiales* cum decocto abſinthii, & cardui benedicti promte ſolvebant: at præmiſimus & ſalinos hauſtus, & vomitorium. Ictericorum cura.

Tuſſis pleraſque hujus temporis febres aut comitabatur, aut excipiebat. Ea veſperi maxime, noctuque importunior erat, ſiccave in initio, dein lentam, ductilemque ranarum ſpermati non abſimilem materiem excuſſit, & paucam. Thorax plerumque non doluit, niſi morbus ipſe princeps aut notha pleuritis fuerat, aut peripneumonia notha, aut ea tuſſis pectus diutius exagitarat. At doluit & ſub ipſa tuſſitatione, & paulo ante eamdem, cardia, epigaſtrium, vel & media ventris regio, vel mollitudo hypochondrii utriuſque, quaſi funibus conſtricti, aut acute compuncti. Tuſſis ſtomachica.

Quibusdam hæc ſola tuſſis aderat, de eaque ſola conquerebantur.

Cauſam intra abdomen reſidere, ſive tuſſis ea alterius morbi ſymptoma fuerat, ſeu ipſa morbum primarium effecerat, ex communibus coinquinati ſyſtematis gaſtrici notis conſtitit, atque ex ipſo tuſſientium ſono peculiari, veluti profunda e ſpecu edito. Ejus origo

Cum ruſticum ea tuſſi affectum de pectore interrogarem, num quid ibidem doleret, negavit, addiditque, *ſe non ex pectore, ſed e ventriculo tuſſitare, atque etiam eum ſolum male habere.*

His, qui ſic ægrotarunt, ventriculum curavimus ſolvendoque ibidem aliena, dein ανω & κατω eliminando. & cura.

Pleriſque ea medicatio ſola profuit, & cito.

 Qui-

Quibusdam vero tuſſis perſtitit, utut moderatior: at ſtomachicis, & corroborantibus remediis intra breve tempus comprimebatur.

Frequens hæc tuſſis eſt, & in phthyſin abit.

Id obſervavi, ſtomachicas haſce, aut abdominales tuſſes quovis anno frequentiſſimas eſſe, & male ſæpenumero pro pectoralibus haberi, & emollientibus, tepidis, oleoſis, quæ in tuſſi ab inflammatoria pulmonum diatheſi ſumme alias proficua eſſe ſolent, intendi, ventriculum lædi magis, & ipſos denuo pulmones continuis ſuccuſſibus conquaſſatos infirmari, & trahere jam proprium vitium, variumque, crudorum videlicet ſuccorum congeſtionem, vaſorum imbecillium dehiſcentiam, & anacatharſin pituitoſam, puriformem, cruentam, purulentam, tabificam.

Extiſpicia tabidorum.

Cadavera ſecui ex ejusmodi tabe demortuorum, qui ſimplici tuſſi ſtomachica in initio afficiebatur, ſed non cognita, neglecta, phlebotomiis &c. in ruinam pulmonum, & totius demum corporis converſa. Pulmones deprehendi duris ex parte nodis obſeſſos, partim vero eroſos, emarcidos, abſumtos.

Recentem tuſſim, & non ultra multas ſeptimanas progreſſam absque negotio ſuſtuli, & brevi, at ubi illa per aliquot jam menſes inveteraverat, ad duas res animum adverti, in duasque morbi epochas inveſtigavi: 1. an ea tuſſis, cujus cauſam ſtomachus continuit, ſolum adhucdum ſympatica ſit, pulmonibus aut integris aut ita parce læſis, ut correcto ventriculo, etiam hi ſuapte conſaneſcant? 2. An forte jam ea labes pulmones teneat, diu utpote, valenterque concuſſos, ut ii, ablata licet ſympathicæ tuſſis cauſa, & emendato ventriculo, nihilominus proprio in ſinu foveant multiplicem idiopathi-

pathicæ tuſſis cauſam, tubera, vaſorum varices, ſaccos ichore, pure plenos, ulcera?

Has phthyſes hacce origine prognatas plures vidi, quam alia quacumque ex cauſa, easque ſartoribus, ſutoribusque, hisque ultimis potiſſimum inſidiantes, & rariſſime capaces ſanationis, raroque ſolaminis longioris. Quinam huic phthyſi magis obnoxii ſint.

Autumnum tabidis infeſtum novimus, ſed his præcipue, qui expoſita ratione contabeſcunt.

Lichenis uſum, & polygalæ amaræ hic magni fecimus, ubi altera morbi epocha aut nondum aderat, aut nondum diu, repurgato tamen prius ventriculo, ſi quis malus adhuc fomes in eo occultabatur.

Præter peripneumoniam, & pleuritidem notham, colicas, ac tuſſes hucuſque deſcriptas, alius etiam morbus obvenit frequentior, ac paſſim arbitrantur, & habens quædam peculiaria, ophthalmia nempe ex ventriculo oriunda aut pituitoſo, aut bilioſo. Hæc multis ſæpe ſeptimanis, & menſibus ægros vexat. Oculus multum rubet, illacrimatur, & quaſi ab injectis pulviſculis, aut arenulis dolet, lucis impatiens per diem, & dolore ad veſperam, noctuque intenſiore, continuoque, at interdiu aut nullo, aut miti, & interrupto. Rubor aſſiduus: dolet etiam alterutrum tempus ægrotanti oculo vicinum, & latior ſubinde capitis ex eo latere plaga. Cornea tranſparens opacatur, albidæque ſubinde veſiculæ in eadem excitantur. Peculiaris, & frequens ophthalmia, quam auctor gaſtricam appellat.

Alia ſymptomata ægri plerumque ſuapte non queruntur, at curatiori facta perveſtigatione conſtabit, ventriculum, cibique deſiderium per id tempus languere, amareſcere os, aut mucro redundare præter ſolitum, gravari epigaſtrium,

 ob-

obſcuriſſimos motus febriles per vices recurrere, horripilationes nempe, ſudatiunculis, & calore levi, ac ſubitaneo interſtinctos, idque veſperi, & noctu magis. Inquies per noctem, & fœtens ſudor: inſomnia.

Et quæ ſubinde pro venerea impoſuit.

Diuturna ejusmodi ophthalmia mihi ſemel pro ſyphilitica, impoſuit, cum præter nocturnas exacerbationes multa quoque alia concurrerent ab hac ſuſpicione non aliena. Ægram quamdam id genus ophthalmia laborantem, meque una multo affeci tædio, multa, & tædioſa uſus curatione, donec innotuerat, rem a ventriculo profiſci.

Pauca tantum exempla e multis ſeligam, quæ morbos hoc menſe præcipuos exhibebunt.

ÆGER PRIMUS.

Febris hujus menſis.

VIDUA 38. annos nata, quæ marito ante dimidium annum orbabatur, & tres ſuperſtites puſillas proles, easque ſæpius ægrotantes, ærumnoſe alebat, cum die 1. Novembris mœrori, & fletui ob mariti defuncti memoriam nimium indulgeret, inhorruit, atque incaluit complures horas.

Altero die ſalis amari unciam unam cum dimidia ſumſit: probe purgata, non allevata eſt: febriens, lecto affixa.

7. Nov. ad nos defertur, debiliſſima, obſcure, & tenuiter febricitans, ſurdaſtra adeo, ut, niſi auribus valide inclamaris, nil audierit. Stupor, confuſio ſenſuum, memoria vacillans. Anteactorum hiſtoriam ex quodam ejus vicino homine collegimus. Lingua glabra, ſicceſcens.

Mix-

Mixturam ſolventem ex ſale medio, aquam item cum melle, & aceto potui dedimus.

8. Nov. lingua fiſſa, prærubra, ſicca.

9. Emeto-catharticum. Vomuit inde pituitam amaram, paucam: dejecit. Rediit auditus mox ab emeſi: mens præſentior, & lingua humectata.

10. Mixtura ſalina cum pulveris radicis arnicæ pauca doſi, potuque multo, aquoſo, ſaccharato, & medico vitrioli ſpiritu acidulato.

11. Eadem remedia. Auditus denuo difficilior: lingua ſicca: moroſitas.

12. Nov. emeticum: vomitus pituitoſi: ſeceſſus. Rediit auditus denuo, & mentis alacritas, & linguæ mador naturalis.

13. Perſtat audiendi facultas, & mentis vigor. Obſcura febris, & ſi illam ex pulſu, & corporis calore metiaris, ad ſpeciem mitis. Tinnitus: caput grave: tuſſis nocturna. Poſt ultimum emeticum eamdem, ac antea, mixturam dedimus.

14. Nov. nulla febris.

16. Amaricantibus ventriculo proſpici cœptum eſt. Caput allevatur: tuſſis ſopitur.

19. Nov. vix ulla tuſſis. Surgit: obambulat.

Poſt initium Decembris ſana ſuos repetiit.

Mœroris vim in corpus humanum, ejusque in producenda prava febri poteſtatem & hic & alias frequenter advertebamus. Mœroris effectus.

Purgante pharmaco ægra non juvabatur, ſed inde pejus habuit. Febrim purgante, etſi non valido, exaſperatam, at emeto-catharſi ferme ſubito enectam multoties obſervabamus. Vomituriorum utilitas.

Nulla materiæ turgentis ſigna, ſi ea unice ad vomituritiones, cardialgiam, ructus nauſeoſos, & depravatum guſtum, ac oris ſordes re-

ferre velis, comparebant. Nihilominus vomitorium præſentem opem tulit linguam humectavit, auditum, ac mentem reſtituit, & ante actorum memoriam, ut ipſa mox ab emeſi morbi hiſtoriam exacte narrarit.

Profecto qui efficaciam emeticorum in morbis quam plurimis, ſive longi ii ſint, ſive acuti, probe norit, ſtupendos ſæpe effectus mirabitur, quos a quam plurimis ignorari multum doleo.

ÆGER SECUNDUS.

Hiſtoria pleuro-peripneumoniæ hujus menſis

Vidua 50. annorum, lotrix a ſex fere menſibus ſæpius repente ortos calores quæritur, ſana cæterum.

10. Novembris horret, caletque per vices. Caput temulentum: nox inquieta, inſomnis: ſitis: anorexia.

11. Nov. horror, calorque alternantes, validi, crebri. Decubuit. Reliqua, uti pridie.

12. Omnia pejora.

13. Amaror oris: intenſa febris: dolor punctorius ad latus thoracis dextrum, & ad infimum ſternum, quaſi thoracem transfigens, porrectus ad locum medium inter ſcapulas: leviculæ artuum omnium ſubinde convulſiones, dolorque per intervalla artus inferiores perſtringens. Dedolatio: gravis cephalalgia: illacrimatio: cibi faſtidium & ſitis. Epigaſtrium dolentiſſimum ſic contrectetur. Tuſſis multa: ſputa ductilia, parca, mucoſa, herbido ſubinde colore tincta, crocea, cruenta: lingua ex albo flaveſcens. Nil hucuſque remediorum adhibebatur.

14. Nov. nobis commiſſa eſt. Omnia, uti pridie.

pridie. Potui aquam, mel, & acetum cum pauco ſale medio dedimus.

15. Eadem omnia. A meridie emeto-catharticum. Vomuit bilioſo-pituitoſa: dejecit. Dormivit tranquille.

16. Pulſus, & calor naturalis: pectus bonum omnino. Cephalalgia non emendata. Veſperi frigus, calor, tuſſis, & ſputa lenta, mucoſaque rediere: rediit noctu & dolor pectoris.

17. Nov. emeticum. Vomuit pituitoſa, omnia leviora, ſolo lateris dolore non allevato. Veſperi lateri dolenti veſicans applicatum eſt.

18. Pauca febris: dolor lateris nullus: nulla tuſſis.

19. Nulla febris: tuſſis nocturna: ſputa albida, ductilia. ℞. Aq. ſamb. unc. v. Oxymellis ſquillit. unc. ij. Tart. emet. gr. ij. M. pro 24. horis: omni quarta hora ſextam partem hujus mixturæ ſumat.

20. 21. Nov. alvus crebra: tuſſis rara.

22. Nulla tuſſis. Decoctum lichenis iſlandici.

23. Surgit ex lecto. Decocto lichenis, & dein ſtomachicis, amaricantibus uſa perfecte convaluit, & primis Decembris diebus domum petiit.

ÆGER TERTIUS.

DIE 12. Novembris juvenis 24. annos natus, qui ſuam in conficiendis ex lana pileis operam magiſtro locabat, nos adiit. Morbi anamneſis hæc erat. Ophthalmia gaſtrica.

Ante tres ſeptimanas alvus citari cœpit inter levia ventris per vices tormina, cæterum non

calenti, appetenti. Hanc nucis moſchatæ pulvis ſuppreſſit.

Triduo inde vix elapſo dolere caput, gravari multum, & obortis demum achoribus perfundi, calores creſcere, & appetitus imminui. Achores inſperſo pulvere quodam ſiccavit, cæteris non emendatis.

Ante octiduum, cum operi ſuo pileario pone aquam ebullientem vacaret, repente dexter oculus inſolito dolore valide compungebatur, ſenſim ex illo latere caput acrius infeſtante, interdiu benigniori, noctu exaſperato, & ſomnum omnem arcente. Incaluit magis, præſertim ad ſinciput. Amaror oris: horror nullus: ſitis multa. Pars alba oculi quaſi ſanguine ſuffuſo rubet cum ardore. Pulſus naturalis: lingua impura, ſicceſcens. Ventriculo, aut abdomine non dolebat. Facies ex rubro flava: lucis impapientia: lacrimarum pluviæ: corneæ tranſparentis incipiens obſcuritas.

Aqua ſimplici cum melle, aceto, & ſale polychreſto utebatur. Oculo nil remedii unquam admovebatur.

Die 14. Nov. cathartico-emeticum. Pituitam multam cum pauca bile vomendo refudit, dejecitque cum levamine evidenti, celeri, magno. Ardor nullus: rubedo multo minor: lucis tolerantia, nulli calores: tota nocte dormivit.

Die 15. Nov. poſcam, & mulſam cum ſale polichreſto ſumſit. Nullus rubor: nebula tenuiſſima corneæ adhuc obtenſa: cætera bona.

Ex illo tempore invigorare ventriculum cœpimus. Bene habuit. Oculus paucos poſt dies ſaniſſimus.

ÆGER

Æger Quartus.

Puella 23. annorum elapſo abhinc anno rubore, doloreque oculi dextri, & corneæ opacitate laborabat per annum integrum durante, catameniis irregularibus uſa, ſana cæterum. Cum appetente veſpera dolor intenderetur rubore non magno, & corneam opacitas fere totam teneret, varia diu & ab aliis, & a me quoque præſcripta fuere; tandem omnibus incaſſum adhibitis mercurialia ob latentis venereæ labis ſuſpicionem in auxilium vocata. Nil provectum eſt, ægrave ſingulari potius naturæ benignitate, morbum una, noſtramque erroneam medicinam vincentis, convaluit, quam artis ope. Ophthalmia chronica, & originis gaſtricæ.

Die 26. Nov. denuo ob ſimile alterius oculi affectionem Noſocomium adiit, dura potius neceſſitate coacta, & ex heræ, cui ſervierat, mandato, quam ob fiduciam recuperandæ apud nos ſanitatis, utpote longæ, & ipſo morbo pejoris curationis, quam nuper ſubierat, nondum oblita.

Ante quatuor ſeptimanas veſperi ſubito dolore capitis ſe correptam fuiſſe narrabat, primum obtuſo ſupra orbitam oculi ſiniſtri, dein acuto totum caput pervadente. Mox & rubor, atque ardor eumdem oculum cœpit cum acris, fervidique ſeri profluvio copioſo: paucos poſt dies obſcurari cornea in ejusque medio bullula naſci, quæ ſponte diſrupta foveolam reliquit.

Ex eo tempore dolor & oculi, & temporis vicini ſub veſperam quotidie revertebatur, tota nocte increſcens, & acutus ſupra modum, donec diluculo remitteret paulatim, & in obtuſum fatiſceret doloris ſenſum ad nonam matutinam. Inde

Inde capite gravi quidem, ſed indolente fuit ad ſtatam uſque horam veſpertinam.

Etſi interdiu dolore omni vacaret oculus, & capitis vicina regio, tamen nunquam illius rubor, nec unquam acrium lacrimarum vis defuit.

Cum tribus ferme ſeptimanis hæc ægritudo ſtatis horis recurreret quotidie, ægra obambulante, cæterum nil incommodi conqueſta, & appetente, en cibi faſtidium accedit, & aſſumtorum amarus ſapor, & ſitis.

Ophthalmiæ exarcebationem nocturnam nullus horror præceſſit, nullus ſequebatur ſudor, at comitari ſolebat calor major naturali.

Atque ita quatuor ſeptimanas exegit domi ſuæ, variis uſa remediis, collyriorum omni ſpecie, & terna phlebotomia, & aſſiduis purgantibus, ita ut per integrum menſem diu noctuque, & quotidie crebro dejecerit.

Ea corneæ opacitas fuit, cum nos adierat, ut res objectas non dignorit, etſi ambitus amplioris, & ſole multo illuſtres.

Per biduum poſcam, & mulſam hauſit copioſam, & arcani duplicati eam quantitatem, ut alvus quidem emolliretur, at citra ejuſdem fluxum.

Die tertio valens pharmacum potavit, duos videlicet ſcrupulos radicis ipecacuanhæ grano uno tartari emetici armatos. Pituitoſa, & bilioſa revomuit cum eximio levamine. Rubor vix ullus ab emeto-catharſi, nec poſthac ulla doloris reverſio. Noctes tranquillæ, & cum ſomno.

Triduo vix elapſo, rubere oculus ex toto deſiit, incepitque perlucere.

Vires, quas pervigilium, & phlebotomia, alvusque aſſiduo fluens jam extra Noſocomium con-

confregit, intra non multum tempus ſequenti remedio reſtituebantur : ℞. Flor. ſalis ammoniac. martial. Pulveris cort. peruv. Elect. diateſſ. ā ſcrup. j. Fiat bolus, & fiant tales N. VI. Sumat omni quarta hora bolum.

Major indies corneæ pelluciditas rediit, ut die decima Decembris res minutiores dignoſceret.

Nullum collyrium aculo ægrotanti hucuſque admovimus.

En alvum aſſidue, copioſeque fluentem uni vomitui adeo non parem, ut purgantibus augeri morbi materies, intendique viſa fuerit, quam unica emeto-catharſis exterminavit.

Cum hæc juvencula poſt medium Decembrem uberiorem victum intempeſtivius expeteret, & alvus aliquot diebus ſegnis evaderet, redire aliquis pone tempus vicinum dolor, viſusque minui cœpit. Mox ægræ ventrem ſolvimus, diæta tenui aliquandiu injuncta. Tandem ad roborantium uſum revertebamur, ea lege, ut alvus quotidie bis, terque reſponderit. Tum demum oculum ſæpius aqua frigida, cui ſacchari ſaturni pauxillum admiſtum fuerat, irrigari curavimus, eo eventu, ut ſub ultimos Decembris dies nil doloris experiretur, atque oculo denuo uteretur non diſcolori, utut paulo minus expedite, & ſi eumdem attentius inſpexeras, modiciſſime nubiloſo.

Complures id genus ophthalmias vidi, temporibus bilioſis imprimis, atque ex ventriculo oriundas. Ineunte hoc menſe fœminam e Noſocomio dimiſi, cujus hiſtoriam, omiſſis aliis, ex meis adverſariis huc transferam :

ÆGER

ÆGER QUINTUS.

Ophthalmia ſimilis priori.

HÆC fœmina trigeſimum ætatis annum attigerat, quinque prolium mater, quarum natu minimam unius anni hucuſque ſuo lacte enutriit. Circa medium Octobrem Noſocomium adiit, aitque, ſe a quatuor ſeptimanis cum gravi ophthalmia conflictari. Quadam veſpera oculum utrumque repente dolere quaſi compunctum, atque rubere occepiſſe: ea nocte ob vim doloris non dormiviſſe: die altero a dolore quidem vacaſſe, at perſtitiſſe ruborem inter aſſiduos acrium lacrimarum imbres. Veſpera denuo appetente reverſos immites oculorum cruciatus eſſe cum pervigilio. Eam mali acceſſionem, remiſſionemve quotidianam fuiſſe: non appetiiſſe, faſtidioſam, ſitientem: dedolatam: ore mucoſo, inſipido: animo per noctem ſæpius deficiente, hypochondrio ſiniſtro duro, tenſo, dolente: ventre ſegni: obambulaſſe febriculoſam.

Ultimis duabus ſeptimanis exacerbatam ophthalmiam horripilatio præceſſit, quæ antea non obſervabatur: noctu incaluit, & ſub auroram ſudavit.

Bis ſanguinem toto hoc tempore eduxit, e brachio una vice, atque altera ex pede, & purgans aſſumſit proprio marte, at levamine exiguo, minimeque diuturno. Tandem pectus opprimi cœpit, ejusque ſiniſtrum latus amplo dolore corripi ad ſcapulam vicinam, indeque per omne brachium excurrente. Cephalalgia.

Sic affecta ad Noſocomium venit.

Curam exorſi ſumus a potu multo, mellito, poſca, & arcano duplicato. Dein emeto-ca-

thar-

tharſin inſtituimus. Vomitus, ſeceſſusque pituitoſi, bilioſi, copioſi; mox allevantes, & perſeveranter. Venter, mediocriter, atque aliquot diebus fluxit.

Tandem nauſeantis ventriculi pigritiam ereximus remedio amaricante, ſtomachico.

Oculis affectis nihil admovebamus.

Sanguinis miſſionem bis inſtitutam facilius tulit, quam multi ſoleant in morbis ejuſmodi ab ea cauſa prognatis. Id forte corporis robori debebatur in fœmina ruſticana, & anni tempori aliquantulum jam refrigerato.

Certe autumno, eoque potiſſimum jam provecto, adulto, atque in hyemem proxime deſituro unam, quin & alteram phlebotomiam febres bilioſæ non raro exigunt, antequam tuto, & utiliter ventriculus ſubvertatur, quæve ſanguinis miſſionem non poſcunt, eamdem tamen abſque periculo plerumque ferunt.

Conſultius agi obſervaveram, ſicubi ſanguinem detrahere in febre bilioſa placuerit, eumdemque & parce demere, &, ſi ægro conduxerit, potius repetitim. Contingit enim, ut, licet ingens initio mittende ſanguinis neceſſitas viſa fuerit, ejus te largius extracti poſtmodum pœniteat.

Deleteria opinio eſt, poſſe jacturam humoris hujus abundantius ſemel profuſi auxiliis aliis reſarciri. *Falſa, & pernicioſa quædam opinio.*

ÆGER SEXTUS.

DOLIARIUS 20. annorum ante annum ſcabiem e contagio traxit, unguento quodam articulis inuncto poſtmodum diſcuſſam, qua diſparente labo- *Pleuritidis hiſtoria.*

laborioſe ſpirare cœpit, tuſſitatione frequenti, pectoris oppreſſione, & dolore utriuſque lateris punctorio per intervalla vexari. Sputabat pauca, alba, mucoſa.

Sub finem prioris menſis (28. Octobris) valide tuſſitanti reſpiratio difficilior fiebat, a dolore totius ſiniſtri lateris multum impedita. Caluit cum ſitu multa, & anorexia, at guſtu non pravo, & alvo naturali, ac epigaſtrio non dolente. Sudores.

Die 29. Octobris, qui dies Mercurii erat, omnia pectora. Erecto corpore ægrotabat.

Die Jovis, & Veneris decubuit tota die: ſudavit.

Die Sabbati parumper allevatus eſt, ſurgit; domo exit. Veſperi dolor acutiſſimus latus dextrum invadit cum ſpiritu laborioſo, tuſſi multa, ſiti, æſtu cephalalgia.

Die Dominica e lecto ſurgere non poteſt. Nil emendatum.

Die Lunæ ad nos venienti difficillima reſpiratio quaſi aſthmatica: lingua albida: multa febris, omniaque quemadmodum die Sabbati ad veſperam. Decubitus facilis in omnem partem.

Die Martis emeto-catharticum. Vomuit amara, pituitoſa: ter dejecit. Oppreſſio pectoris multo minor, dolor lateris nullus, paucula febris, & rara, facilisque tuſſis. Somnus.

Duobus ſubſequentibus diebus, iiſdem, quibus ante emeſin, remediis utebamur, ſalinis, ſolventibus. Febris vix ulla, remanente levicula adhucdum pectori oppreſſione.

Die Veneris denuo emeticum. Paucam pituitam vomuit, ter dejecit. Nulla oppreſſio: omnia emendata, ſi linguam excipias, quam ſerius plerumque, & nonniſi excuſſo languentis

ven-

ventriculi torpore, viqne coctrice reſtituta, ad habitum naturalem redire in reconvaleſcentibus advertebamus.

Intra paucos dies ſub uſu ſtomachicorum exacte convaluit.

Linguam aut faucium, nariumque, aut pulmonum, ac aſperæ arteriæ, aut gaſtrici ſyſtematis affectus fideliter notare conſtat. Nihilominus ſubinde linguam offendi ne minimum vitioſam, etſi multus alienus humor ventriculum onerarat, quo vomitibus refuſo ea primum albeſcere cœpit, aut flavo viridique muco turpari, ac fieri villoſa. Diagnoſis ex linguæ conditione.

Ex lingua ſola nondum naturaliter ſe habente, ubi reliqua bona fuere, iterandæ vacuationis neceſſitatem nullam collegimus. Suus enim linguæ color naturalis redit, ubi ſuus ventriculo vigor redierit.

ÆGER SEPTIMUS.

Puella ſeptemdecim annorum ter tantum hucusque catamenia experiebatur, & ante dimidium annum ultima. Ab eo fere tempore frequenter tuſſitabat, noctu præcipue, ſputave rejecit copioſa, & flava. Pectore opreſſa erat, nauſeabat, vomebat per vices paucam pituitam, reſpirabat cum labore. Subinde levia tormina querebatur. Tandem die 22. Novembris epigaſtrium totum opprimi videbatur. Cardialgia, tuſſis crebrior, & difficilior ſpiritus. Interim nil ita graviter tulit, quam, uti ajebat, catarrhum hunc tamdiu perſiſtentem, & blanda noctis ſilentia importuniſſime turbantem. Tuſſis chronica, & gaſtrica.

Die 25. ad nos venit, Remediis primo ſol-

ventibus, ſalinis, dein emeto-catharſi pectus, & abdomen emendabantur.

Refractas poſtmodum tartari emetici doſes exhibebamus, quæ vomitum non moverant. Tandem auxiliis roborantibus integre, & non intra multum tempus convaluit.

ÆGER OCTAVUS.

Peripneumoniæ nothæ hiſtoria.

Vidua 56. annos nata, amplo, & obeſo corpore, initio menſis, Maji hujus anni faſtidire cœpit, cum a longo jam tempore integra valetudine frueretur. Vomiturit: tandem a paſtu ingeſta vomuit cum pauca in morbi exordio pituita, dein copioſiori, tenaci, inque longa filamenta ductili. Satis: oris amarities: ſpiritus, ſub motu corporis anheloſus, noctu vero ſibiloſus, & ſtrepens, inſtar aſthmaticorum, ut ideo nocte inſomnes, erecto corpore, ac ſedens tranſegerit. Ventris multa ſegnities, duras utpote, aduſtasque, & cum doloribus fæces, ac raro reddentis.

Alvo enematibus ſollicitata, exoneratave major animo hilaritas rediit, majorque facta eſt reſpirandi facultas.

Auxilium a medico quodam efflagitabat, quo ne hilum proficiente rem ſoſpitatrici naturæ commiſit.

Appetente æſtate, & cœlo calidiore commodius valuit. Vomitus rarior, rejectorumque minor moles. Tandem omnino non vomuit, at reſpiratione non expedita.

Ingruente autumo priſtina mala recruduere, quibuscum ſeptem circiter ſeptimanis miſere conflictata die 3. Novembris nos adiit. Aderat-

rat cephalalgia, amaror oris, ciborum faſtidium, vomendi deſiderium, vomitusque per vices meracus, pituitoſus, horis ſubinde matutinis, ſed plerumque elapſo quodam tempore a paſtu. Reſpiratio fervens, aſthmatica, & tuſſis non raro propemodum ſuffocans. Nullus thoracis dolor: ſputa vix ulla: abdomen tumidulum, modice dolens, ſi contrectabatur: multa ſitis: calor moderatus: lingua impura: alvus difficilis: pulſus fortes, pleni, durique.

Præmiſſis ſolventibus ſalinis 5. Nov. propinato emetico, ſcrupulis nempe duobus radicis ipecacuanhæ cum grano uno tartari emetici, tantam pendulæ pituitæ copiam ventriculus refudit, quantam intra ejuſdem ſolius, aut viſcerum vicinorum cavum contineri potuiſſe nemo facile fuiſſet ſuſpicatus. Ter dejecit. Omnia multo meliora: liberius reſpiravit, dormivit.

6. Nov. ſpiratio denuo ingraveſcit: vomiturit denuo, & paucam pituitam ſuapte vomit: cætera bona. Solventia ſalina.

7. Emeticum. Eadem rejectorum quantitas fuit: ſeceſſus frequentes, copioſi, multum levantes.

8. & 9. Alvo liquidiore conſervata commode ſe habuit.

14. Nov. vomiturit denuo, libere reſpirans, non calens, & pulſu naturali. Veſperi irritatum ventriculum compoſiturus pauxillum opii propinavi. At die ſequenti ægram offendi valdopere, & quantum antehac nunquam, febricitantem, temulentam, areſcente, contractaque lingua, & laborioſe ſpirantem. Decocto radicis graminis, & taraxaci cum oxymelle, & ſale medio aliquot diebus, tandem uſa lenioribus amaricantibus allevabatur ita, ut:

14. De nulla moleſtia conquereretur. Die ſequenti cibum indulſimus minus tenuem.

17. Nov. denuo difficilius reſpiravit. Semel paucam pituitam ſponte, & cum levamine thoracis vomuit. Eo die ſolvens denuo decoctum repetebatur.

Elapſo biduo ſolam ipecacuanhæ radicem vomiturienti dedimus. Mitiora dein roborantia, a potentioribus enim lædebatur, & victûs apta ratio, & ventris libertas valetudinem confirmarunt, eamque, cum diutius periclitandæ perſeverantis ſanitatis gratia in Noſocomio retineretur, extra relapſus metum repoſuere.

Canon in repetendo emetico obſervandus.

Etſi pluribus vomitoriis hæc ægra indiguerit, eorumque repetitio multis aliis in caſibus nobis ſumme neceſſaria viſa ſæpius fuerit, ſollicite tamen cavimus, ne, quotieſcumque aut lingua ſordeſceret, aut os illuvies mucoſa inundaret, aut ventriculus doleret, etſi pluribus æger vomitoriis, aut emeto-catharticis hucuſque uſus ſit, iiſdem evacuationibus continuandis inſiſteremus. Si enim aliena in morbi initio, ejusque progreſſu repetitis vicibus evacuaveris, ab introverſo humorum motu, & ſuccis gaſtricis largius confluentibus, & ventriculi debilitate, oris habitum, anorexiam, & ſtomachi faſtidia facile repetes, & invigorantibus auxiliis emendabis. Id certe fortunate nobis compluries ceſſit.

Subinde curam confirmatoriam datum lenius emeticum utiliter interrupit, præcipue ſi æger in diætæ leges peccarat, aut ea morbi indoles fuerat, ut identidem aliquid morbificæ materiæ ab univerſo corpore ſeceſſerit, & partitis vicibus intra ventriculum, & inteſtina fuerit rejectum.

Criſes haſce partiales morbis ad finem decurren-

rentibus, atque etiam in reconvaleſcentibus ſæpe advertebamus, videlicet aut ſudores levantes, aut diarrhœam in reconvaleſcente, ſponte obortam, proficuamve, aut vomitum ſpontaneum cum multo emolumento.

Si vero ventriculus, vel venter convaleſcenti repente dolebat, quin cauſam in diætæ erroribus offenderemus, ſi quando gaſtrico morbo æger antea laborarat, aut tali, qui aut ſuapte, aut artis ope evacuationibus gaſtricis ſolvebatur, portionem materiæ morbificæ reſtitantem ultima hac criſi fuiſſe intra primas vias depoſitam facile ſuſpicabamur, quam ſi natura ſuapte eliminare neglexit, noſmet-ipſi aut ore, aut alvo, aut utraque hac via regia exterminavimus.

Hanc agendi rationem, medendique canones non ex nuda ſpeculatione decerpſi, ſed eoſdem uſu multiplici quotidiano, & certo ſum edoctus.

At difficillimum judico, earum rerum deſcriptionem adcuratam tradere, quæ non niſi per innumeras obſervationes diverſo tempore, & diverſis in ægris induſtrioſe collectas, interque ſe comparatas innotuere, quaſve & uſus fere ſolus alios docebit.

Confirmatoriam curam nunquam impune aut negligi, aut æquo celerius abrumpi, ſæpiſſime obſervabamus, in iis præcipue morbis, quos vera plerumque fibrarum debilitas, inertiaque aut efficit, aut comitatur, gaſtricos ajo, bilioſos, pituitoſos, putridos, malignos. *Curæ confirmatoriæ neceſſitas.*

Phthyſes quam plurimæ, pertinaces articulorum dolores, morbi rebelles cutanei, chloroſes, & albi fœminarum fluores, & œdemata frigida, & diuturni alvini fluxus, totave frigidorum *Frequentiſſima hoc menſe phthyſis &c.*

morborum cohors vix ullo artis auxilio pervincenda nobis hoc menſe frequentius occurſabant, non raro quidem in inadæquatam æſtive febris curationem, plerumque tamen in omiſſam *confirmatoriam curam* refundenda.

Reconvaleſcentes fœminas haud facile manu mittendas cenſeo, priusquam a morbo catamenia fluxerint, qualia antea ſanis ſolebant.

ÆGER NONUS.

Metaſtaſis peculiaris.

JUVENIS, ſartor, 18. annos natus, valetudine ſemper integra uſus, initio Octobris horruit, caluitque per vices, ſudore largo inſequente. Non appetiit, dolorem tenſivum ad nucham queritans. Caput antrorſum ita flectebatur, ut mento ſupremum ſternum contingeret, neque ulla eſſet id alio commovendi facultas. Decubuit primo quatriduo, aſſidue, ſed tolerabiliter febriens.

Elapſis octo diebus, cum deferbuiſſe febricula videretur, rediretque ciborum deſiderium, tumor ad nucham dolens, latus non diſcolor increvit, capite, uti antea, antrorſum flexo, immotoque; dolor quoque, isque non gravis, totum brachium lævum quaſi rheumaticus occupavit. Præter dolentium partium aromaticas frictiones nil adhibuit, & haſce abſque emendatione.

Die 11. Novembris Noſocomium adiit, mento, ut dixi, ad ſternum depreſſo, capite gravi, temulento. Tumo pugni magnitudine ſupra colli vertebras exſtabat. Pectus, & abdomen liberum, lingua impurior: nulla febris: ſiniſtri brachii dolor. Sumit ſolventia ſalina.

12.

12. Nov. emeto-catharſis. Vomuit pauca bilioſo-pituitoſa : aliquoties dejecit. Noctu ſudor : ſomnus.

13. Caput levius, minus depreſſum : nullum in brachio rheuma. Solventia ſalina.

14. Emeto-catharſis. Vomuit pituitoſa minus amara : dejecit. Caput liberum, ejusque erigendi poteſtas multo major.

Alvus fluens, & frictio tumoris reliquias brevi diſpulere, erecta denuo, & mobili cervice.

CAPUT XVI.

DECEMBER.

Binis ordientis menſis diebus mador, & colles nivibus conſperſi tenuibus, at nuda planities : nubiloſa cœli facies, & auræ mollities multa, auſtrina. Die 3. aurora borealis. Inde ſerenum, ſiccum, congelatio.

6. Nives exiguæ in locis editioribus; in vallibus pluviæ nivibus commiſtæ.

7. Congeluit denuo. Siccitas : frigus.

Die 13. quæ aquas glacie leviter adſtrinxerat, diſſolvi iterum, diffluereque in plano nives cœperunt manente molli, atque auſtrina pluvia.

At mox iterum leviuſcule frigus intendebatur, aquilone per vices incurrente, donec die 17. aura denuo molleſceret ſub auſtri flatu, pluviæque nives vicinis collibus decuterent.

18. Nivium altiſſimarum ubique copia, atque a

a vento quies. Ex eo tempore nives perſtitere, cœlo miti.

Hæc rerum facies uſque ad 28. menſis perſeveravit. Conſequentibus diebus pluviæ, nivesque ſparſim, atque interruptim cecidere, frigore vix ullo, & nulla glacie.

Tempus fere omne auſtrinum, humidumque.

Die 1. Decembris frigus minimum —|— 0. $6\frac{1}{2}$. gr.

Die 25. frigus maximum — 0. 5. gr.

Calor medius totius menſis —|— 0. $\frac{1}{3}$. gr.

Die 11. & 12. Dec. altiſſima mercurii ſtatio 28. poll. 6. l.

Die 5. maxima ejuſdem depreſſio 27. poll. 3. l.

Pauciſſimos hic menſis morbos progenuit, at plures accepit ab elapſa æſtate, atque autumno tranſmiſſos, lentos & pernicioſos.

Non pauci hoc menſe ad Noſocomium venerunt ab exanthlata æſtiva febre graviſſime mulctati, quemadmodum milites vulnerati ſolent acie excedere, ſeque recipere, quo reficiantur.

Tabidorum funera frequentia. Hanc anni partem, utut a ſalubritate eximia commendatam, nihilominus tabeſcentibus, atque his fere ſolis infeſtam vidimus. Pleraque in Noſocomio funera tabes dedit.

Tabes ex febre æſtiva. Tabidorum hiſtorias, quanta maxima diligentia poteram, conquiſivi, ut, quæ tabis ea ſpecies eſſet, & unde nata, intelligerem, intellectave cum iis compararem, quorum me compotem extiſpicia facerent.

Ejuſdem generatio, ratio, modusque. Tabis originem febris basilioſa dedit, menſibus bilioſis hominem aggreſſa, quæ morbificæ materiæ portionem pulmonibus infigebat, inde poſthac non extricandam. Ea metaſtaſis tuſſes aſſiduas fecit, multum exagitantes, laxo viſceri valdopere nocivas, & quæ ſanguinem ſubinde ex-

extundebant. Non interruptus intra thoracem continuo ſollicitatum pravorum ſuccorum affluxus, infarctus, compagis ſolutio, ulceratio pulmonem, & univerſum demum corpus peſſumdederunt.

Quibuſdam febris bilioſa nil vitioſæ materiæ ad pulmones rejecit, ſed eos ſolum per conſenſum affecit, ventriculo cauſam morbificam continente.

Hæc *tuſſis ſtomachica*, febris bilioſæ comes, neglecta, curata methodo non ſua, phlebotomiis, emollientibus, oleoſis, aſſiduo pulmones ſuccuſſu labefactavit, eamdemque ſero tandem ruinam intulit, quam ante dixi a bilioſa metaſtaſi eveniſſe.

Intermittentium febrium, quarum nulla, aut inepta curatio fuit, ea in tabem converſio non rariſſime occurrebat.

Neque *valida* febre opus erat, ut inde tabes naſceretur; ſuffecerat huic pravo partui vel lenior febricula bilioſa, vel ſola id genus prædiſpoſitio.

Certe *catarrhos hoſce bilioſos*, ſeu febriles fuerant, ſeu abſque febre, frequentiſſime abire in phthyſin vidimus immedicabilem. Quid ſit catarrhus bilioſus.

Conſumtorum cadavera diſſecta multiplicem pulmonem labem exhibuere, nodos, & tubercula variæ magnitudinis, ac dura, quæve viſcus aquis injectum infra earumdem ſuperficiem detruſerant. Tota quoque pulmonum ſubſtantia albidis, miliformibus granis diſtinguebatur, aut duris ex toto, & aut puriformem materiam, ſi diſſecueras, fundentibus. Quibuſdam pulmones graviſſimis fuere, atque amplo volumine, ut intra thoracis caveas difficillime viderentur potuiſſe contineri: atque hi ſuffocati periere. Secta coſumtorum cadavera.

Nonnullorum pulmonibus cava inerant aut puriformi materie repleta, aut vacua, collapſave, & cum aſperæ arteriæ ramificationibus quaſi reſectis communicantia.

Moriebantur abſumptis carnibus, & exhauſti aſſiduis ſeceſſibus, vel & nocturna, copioſaque ſudatione, etſi fuerint, qui minui identidem, conſumique conſpecti ſint, quin aliquid memorabile vel alvus ſubduceret, vel ſudor.

Pleriſque glandulæ menſentericæ intumuere tumore flaccido. Emarcida quoque, & colliquata abdominis viſcera oſſendebantur, hepar imprimis, & lien.

Quodnam in medendo huic phthyſi conſilium ſimus ſecuti, & quo eventu.

Ægritudinis initia ſæpenumero fortunate repreſſi ſaturato radicum graminis & taraxaci, & demum iſlandici lichenis decocto. Dubito, an morbum curaverim invaleſcentem, & confirmatum: inveteratum ſanavi nunquam, utut non unum in medendo conſilium executus.

Cura lactea huic tabis ſpeciei non congruebat.

Diætam lacteam ſic tabeſcentibus nunquam injunxi; injunctam ab aliis vidi, ſed eventu non bono: rebusque illico in pejus ruentibus abſtinendum denuo a lacte fuerat.

Pleuritides bilioſæ inflammatoriæ.

Menſe medio aliquot pleuritides inflammatoriæ offerebantur, quarum una alterave ex ſæviſſimis fuit.

Neceſſum fuerat repetitim ſanguinem educere, & dein emeſi, aut emeto-catharſi ventrem repurgare. Subinde utroque auxilio, emeſi, & phlebotomia alternis vicibus utebamur.

Miſſione ſanguinis repetita rarius peccabatur, etſi, quouſque illa iterari debuerit, difficillimum fuerit determinatu. Sola antiphlogiſtica, methodus morbum aut in malignum commutavit, aut in diuturnum: nonnunquam eundem mitificavit ſolummodo, febrimque in *febri-*

briculoſam potius *diatheſin* convertit, quæve arrepta vel levi occaſione magno impetu denuo prorupit, & cum diſcrimine majori.

Difficultas ſanandi morbos ejusmodi complicatos e. g. bilioſo inflammatorios. Unde ea difficultas naſcatur,

Sed etiam emeticum nocuit æquo citius propinatum, & ſanguine prius non detracto. Indagare oportuerat, an inflammatio prævaleat bilioſo vitio, an vero hoc illam ſuperet, & quæ utriusque intenſio ſit, atque undenam celerior pernicies inſtet.

Verum hæc perquiſitio cauſarum non una vi, nec uno cum eventu agentium miram animi contentionem depoſcit, & ſubinde vel attentiſſimum fatigat: diſcriminis plena eſt, & errori obnoxia, quam nullo magiſtro diſcimus, ſed uſu ſolo, diuturno, ac patienti.

Ubi hyems ſuccedens æſtivo ſolvere morbos incipit, aut hyemales in æſtivos tranſmigrant, atque in ipſo diverſarum conſtitutionum concurſu facilis deceptio eſt, & artis exercitatio ſupramodum difficilis. Fit enim nonnunquam, ut pro ſimplici bilioſa febre habeas, ſeductus analogia, & numero majori per id tempus morbo conſimili ægrotantium, etſi gravis ægrotum inflammatio teneat: aut inflammatoriam putes bilioſam eſſe.

Neque luculentos ſemper utrique huic febri diagnoſticos characteres eſſe quis aſſerat, atque indubitatos; obſervationum enim me copia docuit, dari periculoſas inflammationes, quæve primam medentis attentionem, & omnem antiphlogiſticam curam exigunt, etſi multa adſint bilioſorum ſymptomata: dari & febres bilioſas, putridasque abſque ſolennibus ſuis ſignis, atque inflammationem mentientes: utrumque etiam vitium ſubinde conjungi.

& quibus

Ea deceptio vix unquam *vigente* conſtitutione qua-

anni temporibus. quadam, ſed *emoriente* potius, aut *ordiente*, atque in ipſa unius in alteram migratione frequentius locum habet.

Hisc temporibus inter binas conſtitutiones mediis peculiarius, attendendum, agendum majori cautela, ſubinde cunctandum, neque ad heroica facile, & deciſiva remedia confugiendum, niſi res aperta ejuſmodi auxilia petat. Antiphlogiſticæ methodo diutius indulgendum, & ab eadem ordienda curatio erit. Venæ ſectio non larga, ſed parca, exploratoria, & ſi ferat æger, ſi allevetur, repetenda. Solventium blandiorum uſus copioſior, & diuturnus; parcior, tardiorque emeticorum, atque hæc inter, mitiorum.

Cautela præprimis neceſſaria. Cavendum eſt ſæpenumero a ſe ipſo, ne fortunatæ videlicet, celeriterque hucuſque peractæ curationes, & quædam in dijudicando promtitudo felici artis exercitio comparata in eo ancipiti conſtitutionum tranſitu nos decipiat, ne quid æquo properantius, aut tumultuoſius moliamur.

Ægrum amiſi ex febre bilioſo-inflammatoria decumbentem, quem, ſi plures præmiſiſſem ſanguinis miſſiones (ternas inſtituit) & ſerius propinaſſem emeticum, fors conſervaſſem. Verum proſperi eventus antibilioſæ methodi me aut minus attentum fecerant ad inflammationem commixtam, aut, utut attentum, nihilominus deceperunt. Adeo oculatum oportet eſſe & contra ſe ipſum, & contra fauſtas curationes!

Quo anni tempore praxis medica facilior ſit. Qui praxim medicam alicubi orditur, hos conſtitutionum fines contiguos, tranſituſve prudens vitabit, ſuæque famæ magis conſulet, ſi tempus anni ſeligat, quod morbos profert ſinceros, effictosque, atque indaginis hoc ipſo minus tortuoſæ.

Fo-

Febris eryſipelatoſa hoc menſe nonnunquam comparuit exanthemate totam plerumque faciem impetente. Cura antibilioſa, ſolventia ſalina nempe, atque emeto-catharſis febrim una cum efflorefcentiis illico, tutove profligarunt, & abſque auxiliis externis. Febris eryſipelatoſa,

Scarlatinam eodem omnino modo ſanavimus, nec illam ejuſdem malignitatem experti ſumus, quam alii viderunt eadem tempeſtate, ſed alia medendi ratione uſi. Idcirco, & *eryſipelas*, & *ſcarlatina* etiam hoc menſe viſa eſt eſſe congener ægritudo, & originis bilioſæ. & ſcarlatinoſa hujus menſis.

Juvenculam, quæ a quinquennio frequenti eryſipelate faciei corripiebatur, methodo recenſita ſanavimus, & gaſtrico, biliferoque ſyſtemate ope corticis peruviani confirmato, ab ejuſdem infirmitatis recurſu immunem præſtitimus.

Pleraſque puerperas hujus menſis ea febris, quam æſtate, & autumno ferme omnes pertulere, non attigit: unam alteramve ſolummodo vellicavit. Puerperia bona.

Ultimis diebus Decembris major identidem phlebotomiarum neceſſitas fuit, adeo, ut quicumque ferme ægrorum adventarent, difficilem & peripneumonicam reſpirationem incuſarent. Levis aderat pulmonum inflammatio, etſi primaria ægritudo neutiquam ſemper inflammatoria fuerat. Adſperſam huic viſceri phlogoſin ab aëre exiſtimabam frigidiore, cujus vim præ omni alio viſcere pulmo primus experiebatur. Difficiles idcirco periodos circumeuntes humores habebant, & quod decubuerat pravorum ſuccorum, intra thoracem vi frigoris adſtrinctum ægre continebatur, & reſpirationem lædebat. Phlogoſis frequens ſub finem menſis.

Frigidiſſimum hydropicum, totoque corpore tumentem dolore prehendi pleuritico vidi, & va-

valide febrire. Sanguis eductus corium pleuriticum exhibuit, magnumque & oppreſſionis, & reſpirationis, ac tuſſis levamen tulit.

Hoc menſe operarius ad Noſocomium venit, qui per octiduum domi ſuæ erroneo modo febricitabat cum aſſidua cephalalgia, & quotidiano ſanguinis ex naribus ſtillicidio, quin etiam hæmorrhagia. Dolor artuum vagus, femoris dextri continuus, & imminutum cibi deſiderium. Ægrotabat erectus. Leviſſimus oris amaror.

In Noſocomium ſuſceptus femur dextrum exhibuit tumens valdopere, & dolentiſſimum dolore primis diebus aſſiduo, dein remittente, & ſub veſperam noctuque exacerbato, contactus omnis impatiente, & cum ejulatu, donec appetente aurora miteſceret. Leviſſima rubedo erat, & exanthema quaſi urticatum, ac dolor diffuſus, oberrans eum artum, & noctu propemodum intollerabilis. Interdiu mitius febricitavit, noctu intenſius. Stillicidium, & ſubinde hæmorrhagia.

Salibus mediis, poſca, & melle uſus eſt, & dein emeto-catharſi. Mox ab emeſi dolor ante aſſiduus *remittere* cœpit, & hæmorrhagia ſub ipſa emetici actione recrudeſcens, eadem terminata ſuapte conquievit, nec rediit poſthac. Poſt alterum emeto-catharticum dolor *remittens* in *intermittentem* converſus, continuato ſalinorum, & demum amaricantium remediorum uſu una cum febre evanuit.

Superſtes illius artus œdema frigidum atque indolens frictio diſſipavit, & curatio roborans protracta.

Vomitiones ejuſdem fuerunt bilioſæ, pituitoſæ, illico levantes.

Fe-

Febres bilioſas neglectas, aut non ſua methodo curatas abiiſſe hinc inde in phthyſin dixi. Neque hæc ſola ægritudo fuerat, quæ febrim bilioſam excepit. Eodem quippe ex fonte manabant pertinaciſſimi dolores articulorum, partiumque inter articulos mediarum, & ſubinde quaſi ipſi ſubſtantiæ oſſeæ infixi, noctu graviores, cum illius artus, quem affecerant peculiarius, quodam ſtupore, & robore muſculari multum imminuto. Ægritudo hæc & meam, & ægrorum patientiam, & omnem non raro medelam vicit. Ægritudines febrim æſtivam excipientes.

Rem tandem tempori committendam rebar, & auxilium potentius exſpectabam ab æſtivo calore morbificam materiem fundente, atque ad corporis ſuperficiem evocante, præcipue ſi thermæ caloris vim adjuvarent.

Quoſdam tamen veſicantibus, aconito, flammula Jovis, & antimonii præparatis, aliisque in hunc uſum notis ſanavi.

En cadaverum ſectiones quasdam, & morborum hiſtorias, quæ in hunc menſem inciderunt, & quaſdam etiam, quæ ſerius, menſes videlicet Januario, colligebantur, cum eadem & tempeſtatis ratio & morborum utroque hoc menſe obſervaretur.

ÆGER PRIMUS.

Medicinæ ſtudioſus 23. annorum pectore anguſto, collo longo, tenui, & gracili corpore, ac ſcapulis alarum in morem exſtantibus, matre natus hæmoptoica, a longo jam tempore poſt motum corporis validiorem laborioſe ſpirat, nec ab omni tamen ſpirandi moleſtia immunis eſt Hiſtoria phthyſeos poſt hæmoptoëm.

etiam

etiam extra tempora majorum commotionum. Brumali tempore, melius, quam æſtivo valet. Ante annum ira percitus florentis ſanguinis pauxillum ſcreando rejecit.

Ab initio Junii hujus anni (1777) magna pectoris oppreſſio accedit: tuſſit, ſputave mane *puriformia*, & lineis ſanguineis diſtincta, interdiu vero ex albo flava educit. Decubitus omnem in partem facilis. Altius inſpiranti, aut tuſſitanti punctorius dolor, isque validus, ad ſterni mucronem perſentitur. Noctu frequenter, & leviter inſudat. Ventre ſæpius ſponte reſoluto eſt, & cum levamine. Sitis mane e ſomno evigilanti multa, & levis eodem tempore oris amaror quem intenſiorem hac æſtate experitur. Horrores vagi: multis ab annis bilioſiſſima lingua, villisque flavis, quaſi byſſo flavicante contecta. Interdiu aſſumptorum & ſapor bonus, & eorumdem deſiderium: artuum languor.

Menſe Auguſto ſanguinis uncias decem phlebotomia educi curavit cum levamine exiguo, & paucos poſt dies denuo diſparente.

30. Septembris obambulans ſanguinis floridi dimidiam fere libram quatuor horarum ſpatio non operoſe extuſſitavit. Incommoda pectoris magis aucta. Parcam denuo venæ ſectionem inſtituit absque levamine.

Quarta pomeridiana ejus diei ad nos defertur. Pulſus vibrantes habuit, & arterias tenſas. Ventrem eluere frequenti enemate conabamur, eumque ingeſtis per os remediis mannatis, & eccropoticis blande ducebamus. Meliuſcule habere videbatur, educebatque tuſſitando parum ſanguinis, & multo rarius; at die 2. Octobris appetente veſpera nova pulmonum hæmorrhagia rediit, thoracis ardor, & aucta febris.

Illico

Illico ipecacuanhæ duos ſcrupulos cum uno tartari-emetici grano exhibuimus. Unde multa, amariſſima, clarioſo pituitoſa vomendo rejecit. Inter vomendum ne guttula ſanguinis prodiit; & vomitu peracto vix ulla febris. Pectoris jam nullus ardor: bona ſpiratio: perpauca tuſſis: & ea nocte vix ſanguinis lineola comparuit. Somnus.

Die ſequenti, ſcilicet 3. Octobris, circa horam nonam matutinam ultima vice perparum ſanguinis non læti; grumoſique tuſſiendo reddidit. Omnia multum emendata. Remedia eccoprotica, mannata, ſalina reſumebantur.

4. Oct. Eadem remedia. Tuſſitatione non frequenti pauca glutinoſa, & pauciſſima puris formam mentientia prodiverunt. Nullum omnino cæteroquin thoracis incommodum. Veſpere grano dimidio opii a nocturna tuſſi paulo crebriori, & ſomnum interpellante pulmoni cavimus.

5. Mane denuo cruoris nigreſcentis perparum ſputo glutinoſo commixtum ſemel extuſſitabat. Reliquo diei tempore nil ſanguinei conſpectum eſt. Noctu ſomnus, & a tuſſi quies abſque paregorico, & nulla febris. Lingua non emendatur, ſed bilioſiſſima manet. Exhibebantur hac die lenia tonica, amaricantia, alvo conſervata faciliori.

6. Nil ſanguinei: ſputa mucoſa, non amplius puriformia. Bene habet.

7. Bene habet. A meridie ſemel aliquid cruenti ſputis mucoſis infuit. Remedia eadem: noctes bonæ.

Ex eo tempore nil amplius cruenti tuſſitando rejecit. Tuſſis nulla: pectus bonum: nil febriculoſi. Utebatur lichene, polygala, amari-

cantibus aliis, & roborantibus, ita tamen, ut alvum efficeremus facilem, & expeditam.

Circa finem Octobris, etſi multum rogatus, ut curam confirmatoriam protraheret, deleretque characterem alte impreſſum, recuſavit, ſeque vitam modo degere, qualem antehac a longo tempore non vixerat, nempe ſaniſſimam, aſſerebat.

Exeunte Decembri ad Noſocomium redit, aitque ſe a quatuordecim diebus levi per vices horrore perſtringi, incaleſcere more vago, tuſſire maxime noctu, & rejicere puriformia. Hiſce ultimis diebus pauca, & cruenta ſputaſſe: venam ſecuiſſe abſque levamine: non appetere. Decubuit, in quodcumque placuerat latus, abſque incommodo: nullus ullibi in thorace dolor, nulla toto tempore inter reſpirandum ex ægri ſenſu moleſtia, niſi ſi gradum concitaret, ubi ſufficientem attrahere ſe ſpiritum poſſe negabat. Noctu ſæpius ſudabat: valide tuſſitabat. Diarrhœa nulla adfuit, niſi raro, & levior. Opium veſperi propinatum noctes quietas reddidit, & ſudores non auxit, eosque plerumque opio non aſſumpto largiores habuit. Vox ſemper aliquantum rauca fuit.

Ultimo Januarii die 1778. ſedens difficillime reſpiravit, quaſi fune gutturi injecto ſuffocandus.

Sequenti die commode ſe ſpirare, facile decumbere, & belle ſe habere aſſeruit. Nocte media ſenſibus vegetis, & inter loquendum moritur.

In cadavere pulmones reperti ſunt tuberculoſi tuberculis nucis avellanæ, fabæ, piſi, lentis magnitudinem habentibus, aut duris, albidisque, aut puris aliquantum fundentibus, ſi diſ-

diſſecueras. Pulmo dexter durior, graviorque erat, & pluribus ſcatebat tuberculis: arcte etiam cum pleura cohæſit: ſuprema ejus pulmonis portio ſacculos duros ovum columbinum capientes, vacuum alterum, alterum ichore plenum exhibuit. Pulmo ſiniſter ſanguine atro turgebat, & ſocii pulmonis multum vitioſioris vices videbatur ſolus ferme peregiſſe.

Utriuſque pulmonis pondus, reſecto corde, erat librarum civicarum viennenſium quatuor cum quatuor unciis. Reſectæ portiones infra aquæ ſuperficiem natabant.

Pericardium ſeri flavi libram facile continuit.

In abdomine glandulæ meſenterii plures in conſpectum prodiverunt majores, flaccidæ, molles. Majus ſolito, & multo mollius pancreas. Jejunum inteſtinum inflammatum, cætera inteſtina plumbea fuerunt.

Utebatur decocto graminis, taraxaci, cichorei, item lichene iſlandico, & decocta corticis peruviani.

Pulmones imbecillos a natura ſortitus erat, & incitatis humoribus reſiſtere non valentes, nec traductam undecumque materiem alienam promovere, atque expedire.

Diſpoſitio bilioſa ſyſtematis gaſtrici, & febris inde nata, ſæpius hæmorrhagias narium, pulmonum, uteri, concitare obſervantur, repurgato ventriculo & inteſtinis illico compreſſas. Idem evenerat etiam huic ægro. Purgantia enim leniora profuerunt: conſtantius levamen vomitio tulit, & ſanguinis fluxum mox ſtitit.

Hæc phthyſis ulceroſo-tuberculoſa materiæ pravæ, & pituitoſæ ad debiliſſimos pulmones decumbenti debebatur. Imminentem ejuſmodi

tabem avertere ea remedia non raro valent, quæ humores blande inclinant verſus alvum, ut omnis recrementitia materies male hucuſque ad laxos pulmones deponi ſolita ad aptius colatorium invitetur, ad alvum videlicet, quam diu, & moderate ſollicitare oportet. Verum & altera curationis pars eſt exequenda, corroborandum corpus univerſum præprimis ventriculi vis acuenda, & laxi pulmones ſtringendi.

ÆGER SECUNDUS.

Die 17. Januarii 1778 muſicus 62. annos natus, corpore macro, longo, & colore birioſo ad nos defertur, aitque ſe a viginti jam annis ſaniſſimum vixiſſe, & die 11. hujus menſis, ante ſeptem videlicet dies, ſe nuptiis interfuiſſe, easque arte ſua animaſſe rectiſſime valentem.

Die 12. Januarii a meridie vomuit aſſumta, birioſa: perfrivit: incaluit: decubuit. Tuſſitatio continua: reſpiratio laborioſa: dolor punctorius lateris ſiniſtri, & ſterni, pertingens ad latus uſque dextrum. Decubitus ſupinus, & in quodcumque tentarat latus, impoſſibilis: aſſidui horrores.

Die 13. & 14. Januarii omnia eodem in ſtatu perſtiterunt.

Die 15. diarrhœa ſponte oborta. Continuo inhorruit. Oris multa, & aſſidua amarities.

Die 16. nil emendabatur. Noctes implacidæ cum pervigilio.

Die 17. Jan. ad nos deportatus hanc morbi hiſtoriam dedit, confirmatam ab iis, qui hominem nobis commiſerunt. Non levi aurigine perfuſum vidimus, ſtrepere, ſibiloſe & cum labo-

labore reſpirantem, mente per vices emotum, & aliena muſſitantem: tuſſitantem non valide, ſed aſſiduo, & pauca cruenta ſputando rejectantem. Lingua bilioſiſſima: abdomen modice tympaniticum, attamen indolens, pulſus plenus, fortis, & qualis in ſaniſſimis eſſe ſolet: corpus nullibi prætermodum conſuetum caluit: ſitis nulla, nec ullus hoc die jam lateris dolor. Veſperi frequentes leipothymiæ: mentis emotio ultimis vitæ horis plerumque taciturna. Detractus ſanguis cruſtam craſſam *pleuriticam* exhibuit colore tinctam ſaturate auriginoſo, & ſerum ex flavo vireſcens. Poſt mediam noctem convulſus moritur.

Cranio reſecto pia mater inflammationem exhibuit, majorem in latere dextro, minorem in ſiniſtro. Hanc inter & cerebrum, præcipue in ejuſdem anfractibus, rubellum ſerum effuſum reperiebatur. Ventriculi laterales ſolito plus ſeri continebant. Plexus choroidei ruberrimi; varicibus, quaſi nodulis cæruleſcentibus diſtincti.

Pulmo dexter totus inflammatus erat, excepta ejuſdem infima parte ſeptum tranſverſum reſpiciente. Eum pulmonem antiqua, & vaſis ſanguiferis multis, nudoque oculo conſpiciendis interſtincta pſeudomembrana, qualis ex coeunte ſero phlogiſtico formari ſolet, obveſtivit, pleuræ validius connexa. Omnis pinguedo per totum corpus colore vere icterico ſuffuſa. Pulmo ſiniſter per omnia ſanus, ſi pauca hinc inde tubercula dura excipias. Pleura ſaniſſima.

Inteſtina tenuia inflammata, maxime jejunum: duodenum liveſcens. Vaſa ventriculi, & meſenterii pone tubum inteſtinalem ampla fuere, & atro ſanguine turgida. Duos calculos nuci, avel-

 la-

lanæ magnitudine veſicula fellea conticuit. Reliqua ſecundum naturam fuerunt.

Morbum fuiſſe bilioſo-inflammatorium, ſed inflammatione plurimum prævalente, & brevi lethali, abſque negotio pervidetur. Stimulus bilioſus, putridus, acer, ſanguinem ſuccendit.

En dolorem punctorium lateris præcipue ſiniſtri, cum inflammatione pulmonis dextri, & pleura ubique ſaniſſima: enteritis abſque dolore, & cum diarrhœa: inflammatio meningis abſque phrenitide, ſi delirium paucarum ante mortem horarum excipias.

Pleuritis in peripneumoniam infauſta mutatione convertebatur, ubi æger encephalo affecto dolorem lateris non jam ſenſit, ejuſdem licet cauſa perſtante.

Pſeudomembranas ex ſero phlogiſtico formatas, & ruberrimis, innumeriſque vaſis pictas ſæpius offendi, & adſtantibus demonſtravi. Ea res mihi ſemel pro *incraſſata* pleura impoſuit.

ÆGER TERTIUS.

Fœmina facie atrabilaria 40. annorum, aliquot olim prolium mater, initio Decembris horruit, caluitque per vices, nauſeabunda, ore amaro, & ſubinde vomens bilioſa. Sumtis ſolventibus & emetico bene habuit intra breve tempus.

Quatriduo reconvaleſcere viſa, ſubito lateris dextri dolore acuto corripitur tuſſiculoſo, valdopere febriens, & pulſu duro, vibrante. Jactitatio: ſpiratio fervens: mens inconſtans. Crura jam ante morbum a longo jam tempore, & ſub eodem œdematoſa fuerunt œdemate dolentiſſimo, ſi contrectaras, & remanente prementis

tis digiti veſtigio : lingua aridiſſima, lignea, contracta.

Remedia omnia & omnem potum pertinaciſſime reſpuebat. Sanguis emiſſus cruſtam pleuriticam habuit craſſiſſimam, & flaveſcentem ſummopere. Nullum a venæ ſectionibus levamen. Paucos intra dies moritur.

In cavo thoracis dextro libra ſeri colore ſtramineo continebatur; in ſiniſtro vero unciæ decem ejuſdem ſeri. Pulmo uterque dire inflammatus erat, at dexter præ ſiniſtro. Particulæ cujuſcumque pulmonis, & ubicumque reſectæ fundum aquæ petiere. Supremæ pulmonum portiones erant præ inferis diaphragma ſpectantibus magis inflammatæ : pleura ubique ſana.

Veſicula fellea bile tenaci & obſcuri coloris turgebat. Hepatis ſuperficies hinc inde inæqualis apparuit, & veluti percocta : omentum ſubinflammatum : ſeri ſtraminei in cavo abdominis libræ duæ.

Uteri poſtica, & externa facies pone fundum corpuſculum habuit majoris caſtaneæ magnitudine, ex carneo pedunculo non craſſo ſuſpenſum, lardaceum, & duris, oſſeis, cartilagineis particulis per totam ſubſtantiam interſtinctum. Uterus ipſe non in medio pelvis, ſed proxime ad latus ejuſdem ſiniſtrum locatus ligamenta illius lateris breviſſima, alterius vero perquam longa habuit.

Complures habuimus œdemate crurum diu affectos, tuſſiculoſos, laborioſe ſpirantes, corpore laxo, paſtaceo, quos immedicabilis pulmonum inflammatio ſuſtulit. Eorumdem thorax plurimum ſeroſi laticis continuit.

Hydrothorax inflammatorius.

Hydrothoracem hunc inflammatorium in paucis ſanaſſe mihi viſus ſum phlebotomiis repetitis, nitro,

nitro, terra foliata tartari, potuve ex malvæ, & altheæ decocto, adjecta multa liquiritiæ radice. Sanguis corium pleuriticum habuit.

Quandonam etiam hydropicis mitti ſanguis debeat.

Hydropicis ſanguinem ſubinde parce detrahere oportuit, ſi quando pulmonum inflammatio acceſſit, quam aut anni conſtitutio generandæ phlogoſi idonea, aut medicatio nimium excalefaciens vel in frigidiſſimo corpore concitavit.

Ubi moles aquarum in hydrothorace ſuffocationem jamjam intentabat, phlebotomia parca reſpirationem expedivit, atque ad breve tempus mortem diſtulit.

ÆGER QUARTUS.

Enteritis.

Die 19. Januarii vir 38. annorum, cœlebs, & ſcribæ officio functus, ad Noſocomium venit valdopere febricitans, titubante greſſu, atque animo vacillante, tremens. Crebra interrogatione ſollicitatus ægerrime reſpondit, atque inecomplete:

Die 5. Jan. non appetiiſſe.

Die ſequenti æſtuaſſe, & perfrixiſſe per vices, capite gravi, confuſo: mente ſubinde non conſtitiſſe.

Die morbi 3. ad hæc acceſſiſſe contorquentem dolorem epigaſtrii, & oris illuviem multam.

Die 4. inopia preſſum e lecto ſurrexiſſe, & languidiſſimos artus laborioſe foras protuliſſe. At mox fuiſſe correptum dolore abdominis lancinante, diroque, & vomuiſſe reducem ingeſta, atque amara, multaque.

Die 5. purgante, neſcio cujus conſilio, aſſumto, eoque ut videbatur, valentiore, vigeſies

ſies alvum poſuit. Tormina ingraveſcebant.

Ab eo tempore febris, tormina, & mentis inconſtantia perſtabant ad 12. uſque morbi diem, quo phlebotomia inſtituit, & ſanguinem, ut ajebat, phlogiſticum eduxit. Miſſio ſanguinis die ſequenti repetebatur. Levamen nullum.

Die morbi 15. (19. Januarii) in Noſocomium receptus vix ullum abdominis jam a triduo dolorem eſſe aſſerebat, at epigaſtrium ſibi comprimi videri, oppreſſionis ſenſu ad medium uſque thoracem aſcendente. Attactum abdominis facile tulit. Laborioſa reſpiratio: lingua albida, mucoſa. Vix elapſis aliquot horis jactitare ſe cœpit, vociferari, deſipere. Oris aphtæ: ſingultus: pulſus pleni, ampli, fortes. Calor: vomitiones ſpontaneæ, inanes. Venæ ſectio. Sanguis cruſtam habuit cæruleſcentem, diffuſam, tremulam, gelatinoſam, tenuiter cohærentem. Cataplaſma abdomini adplicatum, & propinatæ emollientes potiones: enemata emollientia. Emendatio nulla: mens nulla prorſus. Urinæ naturales, jumentoſæ, mucoſæ, albeſcentes.

Die 20 Jan. nil emendabatur. Venæ ſectio repetita eſt: cruſta plumbea, vireſcens, diffuſa, tenuis, gelatinoſa: mens nulla. Vomitio inanis, crebra. Veſperi data radix ipecacuanhæ perparum pituitæ, bilisque eduxit. Pulſuum debilitas: mens nulla.

Die 21. mane ſumma perfrixerunt: mens præſens: præſentes agnovit: apte locutus eſt. Indolentia: pulſus accelerati, humillimi, evaneſcentes. Sub veſperam moritur.

Recluſus cadaveris thorax omnia ſaniſſima oſtendit.

In abdomine omentum valde erat inflamma-

tum : inteſtinum ileum, & jejunum dira quoque inflammatio tenuit. Hepatis totam ſubſtantiam multa flavedo ſuffudit.

Inflammatio abdominis a fomite putrido diu relicto, & mora ipſa, ac medicina purgante commoto, exacerbato, non evacuato exorta, hominem ſuſtulit.

Profuiſſet in morbi initio jugis & ſolvens potus, &, ſanguine prius miſſo, emeticum.

Inflammatio putrida præverti fauſte non raro poteſt, ſed præſens jam, atque intra viſcera recepta ut plurimum necat.

ÆGER QUINTUS.

SUTOR 42. annorum a longo jam tempore ſanus. die Martis, ſcilicet 20. Januarii, præcedente frigore incaluit: dolor dilacerans lateris ſiniſtri ex epigaſtrio ad mammam uſque aſcendens, ad attactum auctus. Decubitus in latus affectum impoſſibilis erat, & reſpiratio difficilis. Cardialgia, oris amaror: inappetentia, ſitis. Decubuit.

Die Mercurii, Jovis, & Veneris omnia indies pejora. Dolor diffundebatur trans ſternum, ſimulque dextrum occupabat latus. Decubitus ſupinus, & oppreſſio multa. Phlebotomia ſanguinem pleuriticum, atque aliquid levaminis dedit. Ab aſſumto purgante alvus quinquies movebatur.

Febris aſſidua quotidie ſtato tempore ſuam habuit acceſſionem ab horrore cœptam.

Die Sabbati (24 Jan.) ad Noſocomium venit mente nonnihil confuſa. Lingua ſcabra, ſicciſſima, prærubra: reſpiratio difficillima, laborioſa, cum dolore in utroque latere obtuſe dilaceran-

cerante : oppreſſio pectoris ſumma ab infimo ſterno ad ejuſdem medium uſque : cardialgia ad attactum aucta, & abdomen tumidulum, inflatum : color naturalis : pulſus celeres, debiles, remittentes, intermittentes, tremuli. Extrema perfrixerunt.

Circa 10. noctis vehementer incaluit. Pulſus pleni, duri : phlebotomia : ſanguis pleuriticus.

Die Dominica mentis abſentia : pulſus frequentes : calor. A meridie mors.

Thorace aperto pulmo dexter ex toto inflammatus : diſſectus colorem ex cinereo, & rubro mixtum exhibuit. Major inflammatio ſupremam illius pulmonis portionem tenuit.

Is pulmo pleuræ ubique ferme nectebatur nexibus partim antiquis, firmisque, partim novis, & pſeudomembranaceis a ſero coagulato natis. Pleura ipſa ibidem ſana.

Pulmo ſiniſter hinc inde antiquis vinculis membranaceis ad pleuram religatus erat, & abſque inflammatione, at ſanguine atro infarctus. Hunc inter & pleuram, item inter eumdem & diaphragma copioſa erat, craſſaque membrana fictitia, recenter facta.

Ultimam coſtam veram, & tres conſequentes ſpurias ſuccingens pleura plurimum erat inflammata.

In pericardio *puriformis* materies, itemque laciniæ alicujus pſeudomembranæ erant. Aorta, qua ex corde emergit, fuit inflammata; inflammatio tamen ſolam aortæ extimam tunicam penetraverat, quæ poſtmodum eamdem deſerit, & pericardii laminam interiorem, quæ etiam ipſa inflammata obſervabatur, conſtituit. Auricula, & dexter ſinus diſtentiſſimus atro ſanguine :

cor-

cordis ventriculi pleni polypis ex ſero phlogiſtico coagulatis.

Diaphragma, præcipue in parte tendinea, admodum inflammatum.

In abdomine omentum perbreve, & reflexum ſupra colon tranſverſum, ac leviter inflammatum. Coli per latus dextrum aſcendentis initium inflammatum duorum pollicum longitudine. Inteſtinum jejunum inflammatum. Vaſa ſanguifera meſenterii, præcipue qua verſus inteſtina tendunt, ubique ampliſſima, & atro ſanguine repleta. In meſenterio hinc inde amplæ maculæ, quaſi ex inflammatione. Quædam glandulæ atrum ſanguinis grumum potius referebant. Finis coli, antequam in rectum abiverat, binis in locis contra ſe ipſum anfractuoſe reflectebatur.

Totum corpus, & pinguedo omnis colore erat ferme ictericio: item membranæ ſpuriæ ex ſero coagulabili factæ plurimum flaveſcebant.

Ren ſiniſter ſolito major aliquantum: dexter vero ren cum rene ſuo ſuccenturiato, & vaſis ſanguiferis, ac uretere penitus defuit.

En denuo renem originarie deficientem; nam & nuper ejuſdem defectum eodem in latere deprehend: , ſed rene altero magnitudinem ordinariam ibi non excedente.

Pleuram in loco doloris punctorii inflammatam hic prima vice vidi, ſed inflammatione non diriſſima, pulmonemque ibi loci non inflammatum, fors quod ea pulmonum inflammatio tranſſudante phlogiſtico ſero prava criſi fuerit ante mortem ſoluta.

ÆGER

ÆGER SEXTUS.

Sartor 27. annorum elapſa æſtate tertianam pertulit quinque ſeptimanis durantem, neglectam, quæve ſe ipſam tandem confecit. Sanum ex eo tempore ſe vixiſſe aſſerebat.

Die 12. Decembris 1777. a meridie præter morem inhorruit; mox iterum incaleſcens. Dolet epigaſtrium, dolore ad mammam uſque dextram aſſurgente, & punctorio.

13. Decemb. ſanguinem miſit, nil allevatus.

14. Veſperi meliuſcule habuit.

15. Omnia recruduerunt: purgante aſſumto parumper remiſſiora denuo.

16. Decemb. nos accedit. Perfrixit, incaluitque vicibus variis: non ſitivit. Hypochondrii dextri mollis regio ad umbilicum uſque dolore acuto pungitur. Carebaria, & ingentis ad frontem, oculosque caloris ſenſatio ægroto permoleſta, nobis vero manu eum calorem explorantibus non percipienda. Os amarum, linguæ multa ſordities, & faucium gluten. Non appetit: aliena ructat: laborioſa, & accelerata reſpiratio: tuſſitatio ſicca, ſubinde ductilium ſputorum parum quid eduxit. Pulſus frequentes, ſubduri: oris ventriculi dolor, ſi contrectaras. Inplacidus. Ventris libertas: veſperi major anxietas. Fit venæ ſectio: cruſta phlogiſtica, vireſcens, & auriginoſa, diffuſa, craſſa, tenax. Somni mali.

17. Decemb. priora perſeverarunt. Os amareſcens: lingua ſordida, villoſa, ad radicem flaveſcens, ſicceſcens. Non ſiticuloſus, at æſtuabundus calore manum admotam urente. Reſpiratio

ratio decurtata, brevis, frequens. Dolor epigaſtrii, laterisque dextri minor: decubitus ſupinus, in alterutrum latus impoſſibilis. Urinæ ſaturate flavæ, ferme nigreſcentes, chartam immiſſam, uti in ictero, tingentes. Pulſus fortis, plenus, ſubdurus: facies bilioſorum.

Inflammationem incidere viſceribus rebar a bilioſo, putrido, acrive ſtimulo ſuccenſam, quamve hucuſque antiphlogiſtico apparatu demitigare non potui. Statueram præmiſſo emetico, ejectoque acri fomite denuo proſequi eamdem antiphlogiſticam curandi rationem, quæ curæ exordium fecit; at nec emeſis, nec alvus ab ingeſto pharmaco movebatur.

Eo die nil mutabatur. Noctu vero permoleſte habuit. Potus copioſi, antiphlogiſtici, & enemata multa, ut vis medicamenti, quod ſpem fefellerat, & *alterando* morbum auxit, enervetur, atque minori cum detrimento in purgans convertatur. Nil profectum: alvus ægre ſoluta eſt.

18. Dec. æſtus, & epigaſtrii dolorifica tenſio intenduntur. Noctem pervigil, exterrefactus, implacidus tranſegit.

Mane diei ſequentis ſenſuum multa per vices confuſio: amaror oris continuus: lingua ſicceſcens: dolor etiam mollem partem hypochondrii ſiniſtri occupat ad mammam uſque ſiniſtram excurrens: urinæ ſaturate croceæ: pulſus admodum mollis, & celer. Tentata denuo emeſis eſt, ſed ſemel, & pauca viridia vomuit: non dejecit. Injecto enemate quaternos ſeceſſus habuit mucoſos, virides, dyſentericos, non levantes.

A meridie moleſtiſſime habuit: dolor acutior mollem hypochondrii ſiniſtri regionem infeſta-

tinguebatur. Hanc vetuſtiorem membrana afeſtabat. Inſtituta phlebotomia ſanguinem cruſta viridi, flava, craſſa, non contracta veſtitum dedit. Cataplaſmata emollientia, & his nil proficientibus veſicans dolenti loco admotum eſt: emendatio nulla.

20. Decemb. laborioſe, ſibilioſe, ſedens reſpirat. Mens integerrima: facies hippocratica: pulſus celerrimi, tremuli, omni modo inæquales: urinarum color profunde auriginoſus: alvus octies ſponte poſita. Veſperi moritur.

Corporis externus color ictericius erat: abdomen prominens, & tumidum. Thoracis anterior pars ferme intropreſſa, eaque, quæ cordis mucroni reſpondet, convexa alias, hic plana fuit.

Cutis, & omnis pinguedo, & perichondria cartilaginum coſtalium flavicabant.

Reclinato ſterno apparebat pſeudomembrana pleuram anteriorem & lateralem utriuſque cavi thoracici obveſtiens, flavicans, mollis, facile & deglubenda, & lacerabilis, quæve videbatur eſſe recens nata. Infra pulmonem utrumque, qua ſeptum tranſverſum reſpicit, reperta membrana priori omnino ſimillima, & pulmonum baſin cum diaphragmate leviter connectens.

Membrana alia ſed tenaciſſima, ſex hinc inde lineas craſſa, & e pluribus veluti laminis conflata, ægerrime, & non niſi magna adhibita vi dilaceranda anteriorem pericardii faciem, & vicinam diaphragmatis portionem obtegebat, cum iisque firmiter cohærebat, ita tamen, ut abſque alterutrius læſione potuerit deglubi. Hæc membrana ex alvo flavicabat, & *plurimis manifeſtiſſimis*, nudoque oculo conſpiciendis ſanguiferis vaſis in ramulos excurrentibus, & per omnem ejuſdem membranæ ſubſtantiam dimiſſis interſtin-

lia tegebat, recens nata, facile laceranda, abſque vaſculis, & flava.

Thoracis cavum ſiniſtrum continebat libram ſeri flaveſcentis, chartam & lintea colore croceo tingentis, penduli modice ductilisque, ut vinum pendulum aſſolet, & omni nota aquæ ſimillimi, cui aliquid meracæ, craſſæque bilis cyſticæ miſcetur. Dextra thoracis cavitas ejuſdem ſeri unam facile cum dimidia libram habuit. Pericardio diſtento, & leviter inflammato ejuſdem ſeroſæ, tingentis, ductilisque materiæ inerant unciæ decem, cum ſpiſſiore ſimul ſedimento ex flavo albeſcente, vix cohærente, ad internam pericardii faciem depoſito.

Anterior cordis ventriculus modice erat inflammatus.

Pulmonis dextri ſuprema portio inflammata, aquæ, cui injiciebatur, fundum petiit. Reliqua pars ejuſdem, & integer ſiniſter pulmo vitio caruit.

Recluſo abdomine, omentum ſuperficiaria levique inflammatione tentatum conſpiciebatur. Hepar omnino ſanum, ejusque lobus dexter ſolito altius deſcendebat: veſicula fellea bilem multam, craſſam valde, & nigrantis ferme flavedinis continuit. Ventriculus ſolito multo capacior, & flatu turgens. Inteſtina tenuia, & colon tranſverſum multus aër diſtendebat. Inteſtinum jejunum, & contigua meſenterii portio ſubinflammari incœperant. Flexus coli linealis, & deſcendens ejus portio ad initium recti inteſtini anguſtum canalem, contractumque valde, aut potius contortum funiculum referebat.

Thoracis inflammatio gravis a ſtimulo bilioſo, putrido, acrive concitata mihi frequenter obvenit, quæ ſolam utut ſumme antiphlogiſticam metho-

methodum, largiſſimasque ſanguinis detractiones eluſit, ægrumque enecuit.

Ejuſmodi poſtmodum, ſi qui obtigerant, ex duplici vitio ægrotantibus inflammatorio nempe, & bilioſo, duplicem, compoſitamque medicinam feci, *antiphlogiſticam* nempe, & *antibilioſam*, atque hac ratione omnibus ferme ex eo tempore ſalutarem. In hoc ægro emeticum non egit ſtimulum putridum evacuando, ſed eumdem concitando, exaſperandoque. Id rariſſime contigit, contigit tamen; at, ſi quando evenerat, rem inde in pejus ruentem denuo reſtituere potui alterantis remedii vim eliden-do, convertendoque ejuſdem impetum ad alvum. Verum & hæcce praxis me hic deſtituit.

Conſimilem morbum ſubnectam ex inflammatorio videlicet, & bilioſo conflatum, ſed talem, ubi emeſis ex voto ſucceſſit, & inflammantem ſtimulum bilioſum excuſſit. Neque ea inflammatio tanta adhuc fuerat, ut ſubducto acri & inflammante ſorde, non potuerit antiphlogiſtico apparatu vinci.

Dignam hancce hiſtoriam arbitror, & gravem materie, quæ reliquarum, quas hucuſque recenſui, agmen claudat.

ÆGER SEPTIMUS.

FŒMINA 20. annos nata, & maritata, menſe Junio elapſæ æſtatis ex febre tertiana in noſtro Noſocomio decubuit. Bene inde habuit, regularibus poſtea catameniis uſu.

Poſt medium Decembrem oris ventriculi morſu ferme aſſiduo ad 14. uſque Januarii ſubſe-

quentis diem vexari cœpit, cæteroquin ſana.

Eo die (14. Jan.) inter cœnandum animo linquitur, convelliturque epileptico modo. Exacta horæ octava parte mens rediit: horrida per vices atque æſtuabunda mediam fere noctem exegit. Tum ſanguinis læte rubentis, ſpumantisque tantum rejecerat, quantum excipere vola manus potuit. Cephalalgia: cardialgia: æſtus horroribus commiſti: dolor thoracis dextri punctorius, aſſiduus, inſpiratione auctus: inſomnis.

15. Jan. vomituritio abſque vomitu, & amaror oris. Febris, dolorque increſcunt: non convulſa eſt, nec cruenta ſputavit. Alvus aliquoties tenuia, bilioſaque dimiſit.

16. Jan. ad nos defertur æſtuans, toto latere thoracis dextro dolorem acutum queſta. Facies auriginoſa, vireſcens: oculorum flavus viror: epigaſtrium omnem attactum refugiens, & dolentiſſimum: ſitis inexplebilis: leipothymiæ aſſiduæ: pulſus celerrimi, ſub digito evaneſcentes, & ſubinde nulli: lingua albeſcens: tuſſis ſicca. A meridie facies, oculive rubent: pulſus celeres, elati, non duri: multa jactitatio, & ſumma inquies. Paucam æruginem ſponte, & cum levamine vomit. Sumit potus copioſos, mellitos, acidos cum pauco arcano duplicato. Somni pauci, pravique.

17. Oppreſſio pectoris, dolorque pungens augetur. Reſpiratio laborioſa: decubitus in latus affectum impoſſibilis: oris amaror: vomituritio: valida febris. Sanguinis unciæ quinque educebantur, cruſtam flavam, craſſam, tenacem, diffuſamque exhibentis. Potiones eædem continuantur.

A meridie ſumpto emetico vomuit amara, æruginoſa, pituitoſa, dejecitque frequenter. A vomi-

vomitu vix ulla febris : vix ullus præter naturam calor : reſpiratio bona : oppreſſio nulla : decubitus in utrumque latus facilis : repentinum , ingens , & mirum levamen. Oris amaror perſtat.

Hora 10. veſpertina etſi bene habenti , cum pulſum offenderam plenum , vibrantemque , qualem non antehac , in prophylaxin potius inflammationis novæ , quam ſanguine non detracto facile redituram prævideram , phlebotomiam ad uncias octo inſtitui. Cruſta eadem. Noctu , etſi nil amplius incommodi queſta , parum dormivit.

18. Jan. aliquis dolor capitis , & epigaſtrii ; oris amaror : vix veſtigium febris : cætera bona. Urinæ hucuſque aut croceæ , aut prærubræ.

19. Urinæ quædam hypoſtaſin furfuraceam habuerunt. Reliqua , uti pridie.

20. Cephalalgia, & cardialgia augentur: dolor lateris dextri punctorius recrudeſcens , & ſævus : febris , decubitus , ſitis quemadmodum in morbi principio. Tuſſis : ſputa nulla : lingua ſicca : oris intenſior amaror : emeticum. Octies vomuit amara, ductilia , & decies dejecit. Pectus bonum : dolor lateris nullus : exigua febris : mirum in modum, & repente allevata.

21. Jan. omnia emendata. Dormivit.

22. Sedimentum latericium urinis inerat , tuſſis pauca hucuſque perſtat : cætera bona. Appetit : obambulat.

23. Decocto lichenis iſlandici uti cœpit. Ex eo tempore tuſſis omnino ſiluit , rediere vires , & exactis non multis diebus confirmata diſceſſit.

Multæ nobis hiſtoriæ ſuppetunt pleuritidum complicatarum , ſeu *inflammatorio bilioſarum* , hæmoptoës *bilioſæ* , convulſionumque recenſita

 me-

medendi ratione tuto & cito ſanatarum, quas, utpote quotidianas, & oculis multorum Noſocomium SS. Trinitatis adeuntium uſurpatas non referam.

Supereſt, ut de frequenti in meis ægris emeticorum uſu pauca lectores moneam, eos præcipue, qui forte iniquius de eodem arbitrabuntur, aut ita ab aliis edocti aliter opinantibus, aut experiundi occaſione deſtituti.

Vomitoriorum uſum me obſervatio docuit cum mea, tum aliorum, eaque multiplex & caſta: vel mea ipſius infortunia me docuere vel invitum maxime, vel olim longe alia ſentientem, periclitantem methodos diverſas, atque anxie perquirentem, qua ego ratione ipſe mihi ſatisfaciam, minimeque ſollicitum, cujusnam ſyſtema aut corruat, aut confirmetur.

Mirabar multoties Sydenhami nomen in ſcholis medicorum ubique quidem perſonare, & habere innumeros laudatores, at, qui ſequantur eximii viri doctrinam, eamque potiſſimum, quæ præſtantiam emeticorum demonſtrat, perpaucos: mirabar, qui eorumdem uſus a cordatiſſimo viro toties & tantopere deprædicatus, a pluribus nihilominus tanquam alieniſſimus a rationali medicina proclametur: mirabar ſæpenumero, ſanguinariam Botallii methodum denuo revixiſſe, adeo denuo invaluiſſe, ut quidquid febrilium motuum, & quocumque anni tempore, & a quacumque demum cauſa inſurgat, eamdem ſemper & ubique curandi methodum cuicumque febrili morbo allinent, nulla temporum, conſtitutionumque ratione habita, ſeu Syrius igne æſtivo corpora torreat, atque auſtrino, gravique cœlo, ſeu urat acre hyemis gelu, flante Borea.

CA-

CAPUT XVII.

VARIA.

Genitalium gonorrhæa affectorum in cadavere diſſectio.

Die 25. Febr. 1777. genitalia ſecui ex cadavere hominis deprompta, quem gonorrhæa laboraſſe, ſtillicidium materiæ flavo-vireſcentis ex urethra, levis circa orificium ejuſdem, ac verſus frenulum protenſa inflammatio, & rubræ maculæ glandis, item leviter tumentes inguinum glandulæ manifeſto indicabant. Quis ipſi morbus vitæ finem attulerit, prorſus ignoro, cum cadaver ex alio Noſocomio ad inſtituendas a tyronibus chirurgis operationes ad nos fuerit delatum.

Claviculæ, itemque corpora vertebrarum lumbos formantium tophis hinc inde obſidebantur: carnes muſculorum fracidiſſimæ, ſubque manu, ſi contrectarentur rudius, diffluentes.

Sectam urethram deprehendimus leviter inflammatam, phlogoſi ab orificio ad ſemialterum digitum procurrente. Paulo ante bulbum exigua denuo canalis inflammatio. Canaliculorum Morgagnianorum nec unicum obſervavi, ſed eorum loco multas exiguas lineolas albas quaſi tendineas chordulas vidi. Siniſtrum orificium ejaculatorii vaſculi ſolito plus hiabat. Nulla ullibi excreſcentia, nullæ conſtrictiones, atque ulcera nulla. Sanæ reliquæ urethræ partes, uti & teſtes, & veſiculæ ſeminales.

Hominem hunc frequentibus laboraſſe gonorrhæis habitus corporis ſupra deſcriptus videtur evincere.

Mirum tamen eſt, nullas in urethra graviores noxas poſt repetitas gonorrhæas, vel etiam ab ac una certe non mediocri, ortas fuiſſe.

Sententia Morgagniana, quæ ſedem mitioris gonorrhææ in inflammatione potiſſimum canaliculorum per urethram copioſe locatorum ſtatuit, novo videtur argumento corroborari. Aderat equidem inflammatio totius membranæ urethram componentis, at vero illam in ipſis extremis canaliculorum orificiis validiorum fuiſſe, eorumdem in chordulas tendineas coalitus demonſtrare videtur.

Sed unde tanta flavo-vireſcentis materiei, quæ poſt mortem ex urethra profluxit, copia? an ex canaliculis acri venereo irritatis, copioſiorem, ac depravatum mucum fundentibus? at hos deletos diximus. Sed quid, ſi quidam, quin etiam plures ſuperfuerint, licet anguſtiores, coarctatique ex inflammatione, ſed oculum noſtrum vitro non armatum ſubterfugientes? id certe, ut opinemur, neceſſe eſt, cum nullum vel minimi ulcuſculi veſtigium ullibi apparuerit.

Febris petechialis, & ſectio petechiæ viſcerum internorum.

JUVENCULA 20. annorum a binis menſibus laſſitudinem quæritur, moroſa, tarda, & triſtis. Catamenia habuit ordinata, & hoc ultimo bimeſtri ſolito copioſiora.

Die 3. Aprilis ira gravi excanduit: mox febrire, capite validiſſime dolere, in parte præcipue ejuſdem ſiniſtra, & eodem die narium hæmorrhagiam pati. Mediocriter febricitabat, ſed aſſiduo, ore mucoſo, amareſcente ſubinde, ad 16. menſis ejuſdem.

Interea temporis varia domi ſuæ adhibuit, ſalia media, nitroſa, lapides cancrorum, caſtoreata, &c.

Semel

Semel ſanguinem ſecta vena educi curavit, & ſemel ad tempora hirudines poni.

Eo die veſperi (ſcilicet 16. Aprilis) in Noſocomium ſuſcepta eſt. Pulſus ſat pleni, fortes, naturalibus vix celeriores : calor naturali vix major. At hemicrania lateris lævi ingens, inappetentia, ſitis vix ulla. Urinæ aut naturales, aut naturalibus paulo magis flavæ. Datis ſolventibus ex radice graminis, taraxaci, & cichorei, & pauco arcano duplicato, dabatur poſtea emeticum. Melius habuit per aliquot dies, cum decocto graminis, taraxaci, & cichorei abſque ſale medio denuo uteretur poſt emeſin. Verum his diebus e gingivis lateris ſiniſtri prodierunt tres, quatuorve circiter unciæ ſanguinis ſtillando. Os, fauces, & oris maxime fornix multis prærubris maculis pingebatur. Hæmorrhagia gingivarum lævarum, & maculæ hæ exiguæ, prærubræ aqua ſalviæ aluminoſa cohibebantur.

Die 22. 23. 24. & 25., ubi corticis decocto utebatur, febris inſurgebat : jactitatio : inquies : calor, pulſu non debili. Somni pauciſſimi. Petechiæ ſat latæ in thorace, mammis, brachio utroque & facie, numero perpaucæ, colore violaceo, rubro cæruleo.

Toto morbi tempore corpus omne, facies omnis, & labia cadaveroſa albedine tincta, ita, ut nil prorſus ruboris ullibi appareret. Omnia exſanguia. Dentes nigreſcentes : gingivæ, & fauces pallidiſſimæ. Habitabat in cubiculo depreſſo, ſolem nunquam admittente, & humidiſſimo. Mens noctu vacillans.

Die 26. mane convellitur per vices, ſoporoſa eſt : tarda & ſublimis reſpiratio. Veſperi moritur.

Sectum cadaver a me eſt. Pleura, pericardii interna & externa facies, utraque ſuperficies diaphragmatis, pinguedo pone cor, multis maculis petechialibus pictæ obſervabantur, rubris, nigris, cæruleis, lentem, cicerem, fabam latitudine æquantibus, &

totidem *ſugillationes* referentibus, ſanguinem fluidum, ſi diſſecabantur, fundentibus. Sanguis vaſorum majorum nigreſcens, & aquoſæ fluiditatis. Cor ipſum petechiis maculatum.

Raræ in peritonæo & inteſtinis petechiæ.

Inteſtini recti ex extima membrana nigerrima, putridiſſima, atramentum referens. Omentum quaſi nigerrimo carbonum pulvere conſperſum. Uterus quaſdam hinc inde quaſi verrucas albidas in ſua extima habuit ſuperficie. Ovula vero in ovariis ſanguine atro ſuffuſa, tumidiora multo, quam ſoleant.

Capite diſſecto meninges utræque, præcipue in latere capitis ſiniſtro multis, latis, rubris, cæruleis, atris maculis notatæ, multæ in cerebri, præcipue ejuſdem lateris, anfractibus *quaſi ſanguinis extravati* coagula, lentem, fabam referentia, quædam multo majora. Atque is erat in illo latere meningum, & cerebri habitus, ac ſi ingens illarum partium ſugillatio ex vi gravi externa fuiſſet illata. Ventriculus lateralis ſiniſter aqua flaveſcente diſtentiſſimus. Utriuſque ventriculi parietes & ſuperficies maculis petechialibus obſitæ.

Cerebellum maculis, & punctis *innumeris*, rubris, atris, magnisque, & *in ſua ſuperficie* & *in ſubſtantia ſua* diſtinctum, quæ res & ab inflammatione vaſorum, & a punctis pauci rubris, quæ alias in ſano cerebello diſſecto comparent, facile diſtinguebatur.

Petechiæ in ſuperficie corporis externa totam cutem ad uſque pinguedinem penetrabant, illæſa, aut vix læſa pinguedine.

Enteritis & ſectio.

Adoleſcens 13. annorum, tyro ſutor, ante dimidium annum colica cum frequenti vomitu, & diarrhæa laboravit, quam applicatis fomentis ſiccis, & calidis denuo ſopivit.

Ante

Ante 14. dies denuo colicam cum diarrhœa, cum ea nocte alteri accubuiſſet, & amiſſis per noctem ſtragulis nudus jaceret, ac perfrigeraretur, mane contraxit. Dolor continuus: accedit dein vomitus, qui indies frequentior factus ita eſt, ut ultimis diebus decies ſepties, pluriesque vomeret, non aucto tamen dejectionum numero, cum intra nychthemerum quinquies plerumque inter tormina venter redderet.

Per hos dies æger non decubuit, ſed longo ſatis itinere, quod intra horæ ſpatium vix confecerat, ad conſtitutos pauperum medicos vix non quotidie venit medicamenta rogatum.

Die 12. ad Noſocomium pedes ultimo venit, flexis genubus etiam atque etiam, ut ſuſciperetur, rogitans. Alacer, & viribus non imminutis videbatur, & vegeto vocis uſu, & memoria vel in minutiſſimis fida firmaque. Ajebat, ventrem infimum pubem inter & umbilicum graviter dolere, totumque abdomen tendi, & attactum nec minimum ferre: urinam per ultimam noctem hucuſque haud poſſe mittere: vomere ſe frequentiſſime.

Facies erat collapſa, tempora intropreſſa, & refugientes intra cavum oculi. Pulſus celerrimi, & exiliſſimi micabant. Membra ſudore frigido manabant. Alvus hac die, nocteque prægreſſa, æque ac veſica quievit.

Veſpera ejus diei, quo ad nos venit, fere inter loquendum, cum paulo ante hiſtoriam morbi, eo, quem dixi, & animi corporisque habitu interrogantibus ad amuſſim narraſſet, moritur.

Cadaver altero mane ſectum pulmones exhibuit multis in locis longioribus, validisque nexibus ad pleuram religatos, ſanos cætera, ſed ſpumante copioſa materie ex albo flaveſcente inundatos.

Recluſo abdomine odor graviſſimus, qualis gangrænoſorum eſſe ſolet, ſtercoraceo miſtus nares ferit: profluit

profluit aquæ leviter cruentæ, cui liquidiora innatabant, inſignis copia. Inteſtina omnia ampla, dilatataque.

Jejunum, ileum, & totum colon, omentum ex integro, totumque ferme meſenterium partim inflammatiſſima fuere, partim vero, ileum præcipue, gangrænoſa.

In ileo ſpithamæ longitudine ab ejus in cæcum inſertione foramen, quod avellana nux facile tranſiret, *non eroſum*, ſed, ut omnes, qui aderant, unanimes opinabantur, recenter ruptum ibi loci reperiebatur, ubi inſignior inteſtini gangræna fuit.

Glandulæ meſenterii tumebant valde, mollesque, ſi tangerentur, & ſolito multo laxioris compagis erant.

Veſica exigua, contractaque fuit, & vacua, nihilque vitii præter maculam leviter rubentem non magnam exhibuit. Vermis unus, alterve tantum, iique mortui deprehenſi ſunt.

Tantamne peſtem inſidere viſceribus crederet, qui hominem ſpectaret tantum itineris quotidie facientem, uſumque muſculorum viribus integris ad ultimum uſque momentum vitæ, & expeditis?

Nonne in tanta inteſtinorum ſtrage mira eſt ea mentis præſentia, & illæſa facultas?

Enteritis.

Sartor 20. annos natus poſt medium Decembrem anni 1777. reſpirare laborioſe cœpit, pectore opprimi, & pauca mucoſa tuſſiendo educere. Non decubuit. Subinde cohibere gradum debuit, præcipue citatiorem, ut liberius poſſit aſpirare. Sanum ſe antea ſemper fuiſſe aſſerebat. Poſthac autem ſpiraſſe paulo facilius, nunquam tamen expedite ex toto, quemadmodum ante conſueverat.

Die 30. Martii 1778. ex vicino ſuburbio Joſephino Noſocomium pedes adit, iisque, quæ modo retuli, ſequentia addit:

Ante

Ante 17. dies dolore per biduum gravi correptum ſe fuiſſe, hypogaſtrium impetente, paululum poſtea miteſcente, continuo tamen ardente, pungente. Obambulaſſe.

Ante octiduum dolorem hypogaſtrii intendi cœpiſſe, & ad ventriculum uſque diffundi. Vomuiſſe frequenter, per vices, ſponte, maxime a paſtu, pauca, acida, auſtera, amara, pituitoſa. Guſtatum aſſiduo fuiſſe depravatum, & analogum rejectæ materiæ, etiam extra tempora vomitionum. Reſpirationem hiſce octo diebus fuiſſe ſæpius laborioſiſſimam, breviſſimamque, quaſi hominis jamjam ſuffocandi. Caput modice, & per intervalla doluiſſe. Horripilationis aſſiduæ habuiſſe ſenſum, & abdomen vel mollioris etiam contrectationis impatiens, modiceque tympaniticum; urinas vero, quales in ſanitate, & nullos præter naturam calores.

Mane die 30. Martii ſatis alacrem, peditemque veniſſe ante dixi. Levis cephalalgia: lingua alba, ſicceſcens: appetitus prorſus deletus, & amaroris in ore ſenſus. Aſſumpta ructat, angitur, vomit acria, acido-auſtera, amara, fœtidiſſima, mucoſa, viridia. Tuſſis: abdomen tumidulum omnem attactum averſatur, & acutiſſime dolet modice commoto, aut in alterutrum latus ſe convertenti, aut erigenti ſemet, non autem quieſcenti. Alvus, & urina, & calor corporis, quemadmodum ipſi adhuc ſano fuerunt.

Hoc octiduo modo obambulavit, foras etiam non raro egreſſus, modo decubuit. Heri a meridie ita decubuit, ut non amplius ſurrexerit, niſi hodie mane nos petiturus.

Pulſus ad nos veniens naturalibus vix debiliores habuit, vix etiam citatiores.

A meridie ejus diei (30. Martii) alvus, hucuſque ſponte mota, ſubſtitit nullo clyſterum genere ſollicitanda.

citanda. Veſpera appetente arteriarum ictus evanuere. Reſpiratio difficillima, abrupta, decurtata. Anteactorum memoria vel in minutiſſimis illæſa, atque exactiſſima. Animi vigor. Supinus decumbere nulla amplius ratione poterat, ſed erectus ſedebat, vel in alterutrum latus reponebatur.

Summa ſenſuum omnium integritate ad extremum uſque vitæ momentum uſus, & anodyniam, atque a vividiſſimo abdominis cruciatu immunitatem nullam expertus ſera veſpera occubuit.

Sectum cadaver pulmonem ſiniſtrum totum, quemadmodum etiam pericardium exhibuit veluti incruſtatum, obveſtitumque membrana tenaci, laridacea, tres, quatuorve, & quinque hinc inde lineas craſſa, lamelloſa, vaſis ſanguiferis, maniſeſtiſſimis, & qua cum pulmone, a quo poterat deglubi, & qua cum pleura cohæſerat, atque per omnem ſui ſubſtantiam perreptata.

Hic pulmo intra craſſum & membranaceum ſaccum ita concluſus pulmone dextro fuerat multo minor, ab omni alio nihilominus vitio liber, & ſanus. Lævum hoc thoracis cavum pauxillum aquæ turbidæ continebat.

Pulmo dexter, ſuprema præcipue ejuſdem portio tuberculis, nodisque ſcatebat, fabæ, avellanæ, juglandis nucis magnitudinem habentibus, & perquam duris.

Omentum in pelvim uſque deſcendens, craſſum & inflammatiſſimum ex toto nigreſcebat. Inteſtina, præcipue tenuia rubebant, livebant, nigricabant.

Cavitas abdominalis libram unam cum dimidia ichoroſæ cujuſdam aquæ concluſit.

Ejuſmodi intra thoracem membranas ſæpe in aliis offendi, variæ & craſſitiei & tenacitatis, quasve deglubere non difficulter a viſceribus vicinis, iisque illæſis poteram. Non paucæ, eæ præcipue, quæ tena-

tenaciores erat, & eſſe vetuſtiores videbantur, luculenta vaſa rubra nudis etiam, atque inermibus oculis exhibuerunt.

Tranſverſim diſſectæ varia quaſi ſtrata, aut laminas varias ſibi invicem impoſitas, ab ſe invicem paulo difficilius ſeparabiles, diverſæque conſiſtentiæ monſtrabant.

In iis maxime id genus membranas deprehendi, quos ex thoracis inflammatione ſæpius ægrotaſſe conſtabat.

An a ſero phlogiſtico tranſſudante, & inflammationem non optima criſi ſolvente naſcebantur? an ex numero laminarum ejuſmodi membranam conſtituentium exantlatas olim pectoris inflammationes ſupputabimus? at unde hæc nova vaſorum progenies?

Paralyſis ſaturnina.

Raro occaſio fuit paralyſeos ſaturninæ remediis tentandæ, cum, in tanto licet ex colica ſaturnina decumbentium numero, nemo artubus caperetur, qui eoſdem integros & expeditos habuit, cum nos accederet.

In quinque ſolum ægris, quos inter duo vigente adhuc colica mihi committebantur, brachiis domi jam ſideratis, atque e trunco pendulis (tres reliqui ab aliis ſinguli medicis ſuæ quivis domi a torminibus liberati ad Noſocomium mittebantur) vires ignis electrici experiebar.

Atque hi ultimi brachiis nervinorum remediorum uſu jam aliquantum invigoratis & incipientibus moveri, & ſuccreſcente denuo eorumdem carne ad electricam machinam ſtata quotidie hora accedere juſſi ſunt, ut curationis ibidem compendium & complementum faciant.

Factitii fulminis ictus vix uno octiduo exceperant, nervinis

nervinis domi ſuæ non ſepoſitis, cum brachia denuo tenuari, eorumque elaterem elangueſcere conſpiceremus, abolita iterum illa exigua motrice vi, quam ad machinam attulerunt. Recruduit etiam artuum dilacerans, & gravis dolor.

Ab incepto, utut inviti, deſiſtere cogebamur, & inſiſtere ſolis nervinis, camphoræ, gummi ferulaceis, atque caſtoreo, & ſpirituoſis aromaticisque artuum frictionibus.

Hæc remedia, & ipſum tempus, inſignis ægritudinum chronicarum perſæpe medicus, atque a laboribus ſaturninis vacatio multum emolumenti attulerunt, non vero curationem perfectam. Membrorum officio denuo, ſed moroſius, uti licuit.

Unum alterumve novi ab electrica flamma magis læſum, nec multum adjutum a nervinis: at ſulphuratæ Baadenſium thermæ evidentius profuerunt citiusque, & artus exſolutos effecerunt labori pares.

Novi equidem multorum de vi electrica obſervationes hiſce meis contrarias: neque meas idcirco protuli, ut eas illorum ſubvertam.

Sed quid viderim ipſe, utut in quinque ſolum ægris, non potui reticere. Reſument fortaſſe alii, reſumam & ego eadem experimenta, ut poſthac conſtet, an etiam hanc ſpeciem exſolutionis electricitas ſanet.

An forte paralyſes ſaturninæ ab aliis obſervatæ nervinorum aliorum vi potius, atque ita ſanabantur, ut in auxilium ſimul vocata electricitas ſolummodo *minus nocuerit*, utpote ſuperata ab eorumdem nervinorum poteſtate?

In duobus brachiorum paralyſi unaque & colica laborantibus, poſtquam ventris tormenta conſopivi, virtutis electricæ periculum ita feci, ut ab omni alio remedio ægros tunc prohiberem. Sed manifeſtius lædebantur, quam tres illi ab aliis medicis ad me miſſi, qui una & electricitate uſi ſunt, & aliis nervinis.

Litem

Litem obſervatio dirimet, ſed pluries repetita, & caſta. Soli nempe electricitati committere morbum oportebit, atque aliis remediis non ſuffultæ.

Aliam equidem paralyſin, alia nempe ab origine prognatam vis electrica plurimum emendavit. Virum conſiſtente ætate brumali frigore rigentem, cum cubiculum ingrederetur percalefactum, & accenſo ibidem foco aſſideret, mox ſenſuum confuſio cœpit, brevi iterum evanida, atque artuum ſiniſtrorum, brachii, crurisque, & muſculorum in lævo faciei latere exſolutio perfecta, & permanens. Variis, atque etiam de cantatiſſimis remediis fruſtra diutius applicatis, atque humero ob emortuam muſculorum, ligaminumque vim jam ſemiluxato hominem electricitati ſubjeci quotidianæ, remiſſæ primo, dein identidem intenſiori. Trium fere menſium ſpatio, qui antea pedem non moverat, ſolus jam gradiri firmato talo & perparum claudicante, atque humeri vinculis attractis articulatio reponi. Nulla omnino interim movendi brachii facultas, etſi minus jam emaciati.

Tandem longæ curationis tædio, utut perefficacis, diſceſſit.

Sed redeo ad paralyſin ſaturninam, atque ad ipſam quoque colicam, quam hæc artuum exſolutio non raro comitatur, aut ſequitur, aut etiam antecedit. Mirabar nempe multoties, eſſe quoſdam, qui de plumbo, tanquam peculiaris & ſpecificæ cujuſdam colicæ, & paralyſeos cauſa, movere dubium poſſint, atque hujus veneni quamdam quaſi apologiam ſcribere.

Equidem multi plumbata impune tractant, & multis annis. Verum cum in opere ſaturnino non aſſidue verſentur nec ſufficientem idcirco quantitatem ore hauriant, alvo utantur expedita, & diæta involvente, atque etiam minus irritabiles fortaſſe nervos ſortiti ſint, fieri poteſt, ut diu a *morbi furiis* immunes maneant, etſi non ab omni *morboſa diatheſi.*

Multa

Multa quoque incommoda in alias cauſas refundi ſolent, utut ſaturno in acceptis referenda. Ventris flatus moleſti, & frequentes, ventriculi premens dolor, lotii per vices temporaria & levis difficultas, aſthma fugax, ſed crebrum, mira illa hypochondriacarum, & hyſtericarum affectionum varietas & variegata multitudo, fuga hominum, meticuloſa mentis diatheſis, vertigo, & ineffabilis quædam aſpectus oculorumque conditio, &c. certe in hoc hominum genere plerumque plumbo debentur.

Tinctores exteri, qui in ſua quivis patria artem impune exercuerunt, Viennæ haud longo tempore a morbo inſalutati perſiſtunt. Phænomeni hanc cauſam reperi, quod Viennæ præ alio Europæ loco pigmentorum plumbeorum uſus & frequentiſſimus ſit, & maxime profuſus. Id exteri, quotquot ſanaveram, unanimes fatebantur.

Colicæ hujus, & paralyſeos frequentia, quo utroque malo ſuos ſaturnus mulctat, vel ipſum in vulgus nota eſt.

Atque hinc multorum oculis magis, quam opinioni paucorum credendum puto.

Vis antiſeptica radicis arnicæ.

Quantis viribus radix arnicæ in putridiſſimis dyſenteriis comprimendis polleat, ſolertiſſimi primum Collinii noſtri experimenta demonſtrant, cui genuinum præſtantiſſimi hujus remedii uſum grati debemus, tum aliorum etiam, meaque.

Nullum certe medicamentum novi, quod *ſpecifici antidyſenterici* compellatione majori ſibi jure poſſit vindicare.

Habebunt in poſterum medici, qui exercituum ſanitati præſunt, quo hanc caſtrorum peſtem efficacius, quam quacumque alia hujusque reperta methodo, profligent.

In

In pernicioſo alvino fluxu, qui febres malignas non raro comitatur, & excuſſa licet ſaburra ob atoniam inteſtinorum permanet, atque univerſim in omni omnino diarrhœa a viſcerum abdominalium imbecillitate nata radicem arnicæ cuicumque alteri remedio anteire alibi demonſtravi.

Sed etiam iis hæc radix, eaque ſola, ſalutem attulit, qui amplo quodam vulnere externo conſumebantur, ingentem forte puris vim ichorisve profundente.

Quoſdam largo profluvio puris, colliquante febri, ſudore nocturno, & alvi fluxu. Jam ad incitas redactos, hac ſola radice ſanavi, qui antea magnas corticis Peruviani doſes incaſſum devorarunt.

Eam remedii hujus confidentiam habeo experiundo comparatam, ut rebus propemodum conclamatis, in *hac conſumptionis ſpecie* non deſperem.

Urgente malo omni altera hora drachmam pulveratæ radicis exhibui, ut intra 24. horas uncia una cum dimidia fuerit abſumpta.

Perraro vomitum commovit, atque ſolum initio, & cui, utpote ſuapte ceſſaturo, non medebamur.

Quantum emolumenti medicina caſtrenſis capiet, ſi eximiæ vires medicamenti tantopere antiſeptici magis fuerint vulgatæ!

Capitis læſiones.

Juvencula 24. annos nata ad Noſocomium deportabatur. Qui ægram nobis commiſerunt, narrarunt, eam ante tres ſeptimanas ex prima domus contignatione per gradus ſcalæ fallente greſſu devolutam cecidiſſe. Ad ſinum frontalem ſiniſtrum levi & cutaneo vulnere, quod intra quatriduum coaluerat, fuiſſe perſtrictam. Inde a lapſu vomituriiſſe frequenter, excaluiſſe, leviterque inhorruiſſe variis vicibus,

& quotidie : noctu mentem obſcure plerumque ægrotaſſe : cephalalgiam interdiu adfuiſſe in toto occipite, & capitis latere ſiniſtro. Sanguinem ſemel e pede extractum eſſe.

Die 14. Octobris 1777. ad Noſocomium venit. Febriculæ vix veſtigium, ſi pulſum, & corporis calorem conſulueramus, quam maxime naturales. Lingua prærubra, præcalida, glutinoſa : delirium mite, & per vices.

Eo die aquam cum melle & aceto multam hauſit, adjecto pauco ſale medio. Delirium mite, & conſtans.

Alterius diei veſpera emetico propinato pauca viridia revomuit. Deſipientia minor & per intervalla ſolum, & :

Die 16. Octobr. mens firmior. Solventia, ſalinaque continuantur.

Die 17. denuo paulo valentius emeticum hauſit ex ſcrupulis duobus radicis ipecacuanhæ, & granis totidem tartari emetici confectum. Vomuit multo plura, amara, pultacea. Mens inde omnino firma.

Decocto dein radicis graminis, taraxaci, & cichorei uſa eſt. Verum cum in diarrhœam permoleſtam incideret, & vires abſumentem, radicem arnicæ propinabamus, ſi cui alvus fluxerat ob inteſtinalis tubi atoniam, quod genus alvini fluxus ægrorum noſtrorum pleroſque per æſtatem, atque autumni initia vexavit.

Morbo jam declinante tuſſis nocturna acceſſit cum epigaſtrii dolore, maxime inter tuſſiendum, & anacatharſi nulla, aut pauca mucoſa.

Prout ventriculus & inteſtina vigorem receperunt, ita tuſſis componebatur.

Die 11. Novembris non tuſſivit, e lecto ſurrexit. Reconvaleſcit.

Complura exempla habeo febrium bilioſarum malignantis naturæ lapſum ab alto conſecutarum. Func-

Functiones animæ multum inde turbatas ea ipſa medicatio reſtituit, quæ febrim ipſam bilioſam aggreſſa eſt, & illuviem præcordiorum emetocatharſi exantlavit.

Scio, in non diſſimili caſu caput trepano fuiſſe perforatum, cum æger a lapſu tenuiter primo, elapſis vero aliquot diebus graviter febriret, & cum mentis emotione. Ubi vulnus comparebatur: nil alieni repertum eſt. Æger paucos poſt dies delirus obiit.

Cranio reſerato nihil prorſus vitioſi occurrebat, at magna viſcerum abdominalium ruina, hepatis ſuffuſio, bilioſa, inteſtinorum livor, atque necroſis: qualia nempe in febre bilioſa ſolent, neglectu, & inauſpicata curatione in malignam converſa.

Alios ex alto delapſos, & mentis impotes quiete ſola, enemate frequente, & iterata phlebotomia ſanavi.

Quoſdam vero, quorum vulnera ſedulo explorata momenti non magni videbantur, quive mitius in ſpeciem ægrotabant, valvaria, ubi nulla ſuſpicio eſſe poterat, diffiſſa, diffractaque, & effuſus in baſin cranii, & in anfarctus cerebrinos ſanguis ſuſtulit.

Adeo ſubinde difficilis, atque ambigua diagnoſis eſt, an in lapſu ab alto encephalon idiopathice, & quonam vitio laboret, an vero commotum ſyſtema gaſtricum, biliferumque mentem ob quemdam utriuſque conſenſum turbet!

Li-

LIBELLO ad finem decurrente non poſſum ſilentio præterire, quantopere induſtria viri egregii Joſephi Cauffman, Philadelphienſis Americani, in adminiſtrandis Noſocomii rebus ſim uſus.

Poſtquam enim doctrinam, atque ingenium ſingulare eminenti quadam ratione omnibus abunde comprobaſſet, ampliſſimo medicorum Viennenſium ordini adſcriptus eſt, mihique additus, ut in Noſocomio ſecundarii medici vices obeat.

Ea ſparta ita præclare defungebatur, ut nuper ad faciendam in exercitu cæſareo medicinam cum ſumma commendatione evocaretur.

Atque ita laborem hornum exegi, cujus dulcem hercle mercedem retuli, ſi vel pauciſſimis is bene vertat, ut hoc ævi, quodcumque eſt, felicius degant.

Conabor & poſthac, ſi vita & ſanitas ſuppetat, ut genuinas temporum, morborumve imagines porro ſiſtam, meaque conferam ad morborum popularium cognitionem, & febrium veriorem doctrinam.

Ita enim omnino agendum arbitor:

Immortalia ſi volumus ſubjungere rebus

Fundamenta, quibus nitatur ſumma ſalutis:

Ne tibi res redeant ad nilum funditus omnes.

LUCRET.

MAXIMILIANI STOLL,

S. C. R. A. M. CONS. NOSOCOMII

S. S. TRINIT. PHYSICI ORDINARII

ET

PROF. PRAX. MEDICÆ P. O.

PARS TERTIA

RATIONIS MEDENDI,

IN NOSOCOMIO PRACTICO VINDOBONENSI.

LUGDUNI BATAVORUM,

APUD { HAAK ET SOCIOS, ET A. ET J. HONKOOP. } 1788.

Regone ——— tales morbos pariunt, quale fuerit tempus, qui ſunt ſimiles.

Ex anni temporibus morbos conjectare datur.

HIPPOCRAT. *de Humoribus.*

ILLUSTRISSIMO

L. B.

A. DE STÖRCK,

DOMINO IN JETELSEE,

AUGUSTISS. IMPERATORI ET IMPERATRICI A CONSILIIS, ARCHIATRORUM COMITI, STUDII MEDICI ATQUE INCLYT. FACULT. MEDICÆ VINDOBONENSIS PRÆSIDI, AC DIRECTORI PERPETUO, PER UNIVERSAS AUSTRIÆ PROVINCIAS PROTOMEDICO, NOSOCOMII CIVICI PAZMANIANI PHYSICO, SOCIETAT. EDIMBURG. BOTAN. FLORENT. ACAD. SCIENT. SIEN. ACAD. PRINCIP. HASS. INSTIT. BONON. ET ACAD. NAT. CURIOS. DEGLI DI ROVERDO MEMBRO, &c.

ILLUSTRISSIME VIR!

VIRIS de Medicina bene meritis tanto major, atque illuſtrior honor debetur, quanto id bonum, quod ipſorum induſtria multo ſecurius, & optabilius redditur, reliqua omnia bonorum humanorum genera antecedit.

Atque hæc ipſa, præter alias complures, potior mihi ratio fuit, cur etiam hunc tertium tomulum Tuo *illuſtri nomine voluerim condecorare.*

Profecto omnis Medicina, atque ea præ-

primis,

primis , quæ apud Noſtrates viget tantopere TIBI *tenetur , ut artis progreſſus quoſvis , atque incrementa* TIBI *libenter & merito referat in acceptis.*

Ut enim Noſocomii mei utriuſque ea conditio ſit , quæ poſſit & artem obſervationibus ditare , & diſcere cupientibus cum laborum , & temporis , & pecuniarum inſigni compendio ad Aſclepiadeæ ſcientiæ adyta breviſſimam viam monſtrare ; TUA *eſt induſtria effectum ,* TUO*que conſilio ſtabilitum.*

Quam ob rem , atque ob plurima alia præclare a TE *ſalubriterque conſtituta , Coætaneorum* TUORUM *gratitudinem meteris , quam certe a poſteris (æquioribus plerumque , & minus invidioſis rerum æſtimatoribus) obtinebis. Sunt etiam privata quædam officia , quæ me dulci quadam obligatione obſtringunt , ut hos meos labores , & artis promovendæ molimina (utut exiguæ fortaſſe frugis , ſed optimæ voluntatis pleniſſima)* TIBI *præ quovis alio velim conſecrata.*

TIBI *enim , &* TIBI *quidem* SOLI *id debeo , & debere me multum gaudeo , quod deſiderio meo , artis medicæ uberius exercendæ , atque etiam (ingenii mei tenuitate prohibear) ampliandæ , ſatisfacere nunc plenius queam.*

Faciam , ut TUI *in me animi ,* VIR ILLUSTRISSIME *, concreditæque mihi provinciæ* TE *nunquam poſſit pænitere.*

PRÆFATIO.

CUM viderem laborem meum Eruditis non diſplicuiſſe, hunc quoque tertium tomulum, qui res in utroque meo noſocomio geſtas, (eo nempe, quod a SS. Trinitate nomen habet, atque altero praxi clinicæ deſtinato), & binorum annorum conſtitutionem complectitur, publici juris facere ſtatuebam.

Non habeo, quæ meos Lectores moneam, præterquam, ne in hac quoque tertia obſervationum mearum ſylloge, inaudita prorſus, & nunquam, & nullibi, & a nemine viſa exſpectent; cum hunc mihi ſcopum non propoſuerim, neque exiſtimaverim proponendum.

Multa quippe in medicina reperiuntur, quæ, priusquam in canonem abire & ſtabilem ſanandi legem poſſint, iterum iterumque & ſæpiſſime viſa & obſervata ſint, oportet. Atque ita ex datis cognitisque, inter ſeſe comparatis, novæ demum exſurgent atque antea nondum cognitæ veritates.

Aliæ

Aliæ quoque rationes ſuperſunt, cur operam novaſſe prorſus perditam, & nemini proficuam non putem.

Nempe, quemadmodum a morum Magiſtris non expetimus, ut nova vivendi præcepta, novaque τῆς καλοκαγαθίας officia promant, ſed eos ſuo munere præclare functos arbitramur, ſi vel tritiſſimas præceptiones perſuadibili quodam modo explanent, & antiqua novis rationum momentis ſuffulciant, ut, quæ cognita quidem ſunt atque intellecta, verum nondum, quantum optarent, exercitata, plus frugis ferant; ita ſatisfactum a me meo ipſius propoſito puto, neque plane in inutili labore verſatum, ſi vetuſtis quibuſdam, & dudum fortaſſe cognitis, quamdam addidero novitatis gratiam, novisque obſervationibus illuſtrâro.

Id velim ſolummodo, Lectores intelligant, me ſolum quædam *fragmenta* dediſſe, non integros tractatus, earum rerum, de quibus diſſerere inſtitueram; ut ne forte plus exigatur, quam, quantum animus fuerat proferre.

In Ephemeridibus binorum annorum 1778. & 1779. promiſcue multa occurrunt, ſolum leviter perſtricta, prout ſors dedit, & ordo temporum; ſed quorſum ea pertineant, & quem in finem ſint dicta, is noverit, qui *tritas* medendi methodos, & hypotheſes medicas, ſubinde nimis præpropere in theſin receptas, & ad veritatum practicarum dignitatem elevatas

vatas (non plane in artis incrememtum, aut Ægrorum ſolatium) æque norit.

Quæ de dyſenteria referebam, ex fidis, innumeris, meisque obſervationibus hauſta atque abſtracta ſunt, & quoſdam hinc inde illius ſcientiæ, quæ circa hunc morbum frequenter popularem, & plurimis funeſtum verſatur, fortaſſis hiatus explebunt, atque efficient, ut una ſaltem lineola propius abſimus ab eo, quod hucuſque fuerat inter *deſiderata* repoſtum.

Verum non ego, ſed æqui, peritique Lectores de hoc laborum meorum ſpecimine cognoſcant.

CONSPECTUS MATERIARUM.

SECTIO I.

Pag.

EPHEMERIDES anni 1778. . . . . 1.

SECTIO II.

Ephemerides anni 1779. . . . . 59.

SECTIO III.

De cauſa & ſede phrenitidis, ad Celeb. Virum *Guillelmum* GRANT, Medicum Londinenſem. 119.

SECTIO IV.

De natura & indole dyſenteriæ, commentatio. . 167.

SECTIO V.

De morbis quibuſdam ſyſtematis hepatici; præſertim de icterο. . . . . 241.

ITEM

De quibuſdam affectibus nervoſis. . . . . 278.

ET

Sparſa quædam varii argumenti. . . . . 297.

Index in partem Primam, Secundam, Tertiam. 310.

M.

SECTIO I.

EPHEMERIDES

ANNI 1778.

M. STOLL

RATIO MEDENDI.

JANUARIUS 1778.

ANNI 1778. exordium egellidum mador ingens deturpavit, nivibus paucis, & in aquas identidem fatiſcentibus. Conſtitutio Januarii 1778. mollis, auſtrina.

Die quarta nivoſa, nubilave tempeſtas ingruit, non valdopere frigida, eaque triduo obtinuit, niveo vellere terram omnem obvelante.

Inde floccorum, nebularum, minutarumque pluviarum defluvia ad duodecim uſque vices vertebant, glacie plerumque nullibi comparente: ac die flatus auſtrini, tepentesque, & pluviis ſubinde madidi reſiduas hucuſque nives liquarunt; unde ex tepore aſſiduo, madore, pluviis ſubinde, & crebris ſolibus menſem potius vernum, quam hyemalem æſtimaveris.

Diem vigeſimam ſextam, & conſequentem

 pruina,

pruina, & boreæ penetrabile frigus aduſſit, quod extremo menſis tempore denuo miteſcebat.

Jam inde a medio menſe primum campos nivibus denudatos, demum & colles, & vicinorum montium calva capita vidimus.

Die 7ma. 8va. & 31ma Januarii altiſſima barometri ſtatio fuit — 28 poll. 3 lin. menſur. Vienn.

Die 15ta Januarii ejuſdem maxima depreſſio . . . . 27 poll. 3 lin.

Die 27ma frigus maximum . . . . — 6 gr. id eſt 6 gr. infra o in thermom. Reaumur.

Die 24ta frigus minimum . . . . + 7 gr. ſive 7 gr. ſupra o.

Calor medius . . . . + $1\frac{2}{3}$ gr.

Anni proxime elapſi febris bilioſo inflammatoria in hunc uſque menſem porrecta.

Ultimis anni decedentis menſibus bilioſa febris, quæ per æſtatem, & partem quamdam autumni viguit, viſa eſt exſpirare. Nihilominus non ita emortuam ſub hujuſce anni initio vidi, ut non aliquando vires colligeret quaſi novas, atque aut ſola nonnunquam, aut in conſortio phlogoſeos non opinantibus inſiliret. Nulla certe per hæcce tempora febris occurſabat, quam quis ſimplicem, ſinceramque inflammatoriam, diceret, & putrida, bilioſaque labe carentem.

Vereor, ne iſthæc auſtrina hyemis mollities delendæ æſtivæ bili, penitusque profligandæ non ſufficiat, quæ, ſi vim frigoris ſuperaverit, denuo in aciem violentior prodibit, & per æſtatem prædas aget, neque receptui canet, niſi ab hyeme boreali coacta.

Pleuritides plures, & perip-

Morbi Januarii menſis fuerunt pleuritides, & peripneumoniæ commiſtæ, ſeu *bilioſo-inflammatoriæ*, & ægrotantium paulo major copia, quam ſub anni

anni elapſi exitu; verum pauciſſimi mortem oppe-riernut.

pneumoniæ,

Quædam etiam febres ſcarlatinæ obvenerunt, veræ ut plurimum inflammationis expertes, in ſexu præcipue ſequiori, quæve ſolventibus ſolis, & vomitorio ſerius propinato auſcultarunt, neque eam ſub hac methodo malignitatem experti ſumus, quam alii eodem tempore, alia medendi ratione uſi. Hanc quoque exanthematum ſpeciem geneſin habere gaſtricam inde ſum argutatus, quod qui ſic ægrotabant, bilioſa, pituitoſa, putridave magno cum emolumento, & levamine evidenti, mox inſequente, ἄνω & κάτω purgarentur; ſed & aphtas hoc modo abſterſi, & a gangræna fauces prohibui, & hydropem pediſſequum averti.

item quædam ſcarlatinæ, nobis non malignæ,

Quos ſolæ aphtæ vexarant, aut tonſillarum tumor, & angina, methodus ſolvens, & emetocatharſi aqualiculum infarctum diſtentumque vacuans, momento juvit. In infimo ventre reſidere morbi cauſam autumabam, eamque vires ſuas in diſſitas etiam corporis regiones porrigere. Subinde demere quid ſanguinis oportebat, & materiem ſolvente & jugi potu ſemper idoneam efficere, ut evacuanti pharmaco quiverit obedire.

atque aphtæ comparuerunt.

Multas hoc menſe quartanas anno elapſo natas ſanavimus, ſalibus primo mediis propinatis, & ſubjuncto emetico. Hac ratione febrilis paroxyſmus inſigniter cicurabatur, &, ſi hypochondriorum dolor, laborioſa ſpiratio, & tuſſis nocturna ægros urgebat, mirum emeſis levamen attulit, eamque omni alii ſolventi, alteranti, expectoranti remedio prætulimus. Tum demum ſaturatis ſolummodo radicum graminis, taraxaci, & cichorei decoctis febri reſiduæ cum conſtantia

Quartanæ prioris anni hoc menſe curatæ.

medebamur; vel vero, ubi febris altius viſceribus inſederat, corticem peruvianum dedimus, vel ſolum, vel floribus armatum martialibus amamoniaci ſalis.

FEBRUARIUS.

PRIMUM menſis dimidium dies ſerenos, ſiccos, frigidos, ſolesque ferme quotidianos, ſi diem menſis tertiam craſſis nebulis involutam exceperis, ventos vero aquilonares crebros, ſubinde furentes habuit, & noctes pruinoſas.

Appetente die 15ta hiſpidis cœlum nubibus corrugari, & aquilo, frigusque intendi. Hucuſque nullæ nives.

Die 16ta nives peraltæ cadebant, per octiduum vix interruptæ, ventis per id tempus a ſeptentrione impetuoſe ruentibus, & gelidiſſimis. Has die 22da coorti auſtrini, tepidique ſtatus repente fuderunt.

Ultimi menſis dies denuo puriores, ſicciores-que fuerunt.

Die 3tia & 4ta Februarii altiſſima mercurii ſtatio . . . . 28. poll. $5\frac{1}{2}$ lin.

Die 16ta, & 17ma ejſudem maxima depreſſio . . . . 27. poll. 1. lin.

Die 14ta frigus maximum — 6 gr.

Die 23tia calor maximus + 6 gr.

Calor medius . . . . + $1\frac{1}{6}$ gr.

Die 25ta notabilis aurora borealis.

Non major hoc menſe morborum ſeges ſuccrevit, quam Januario decurrente, nec multum diſpar illorum indoles obſervabatur.

Fe-

Febrium plerarumque hac tempeſtate id fere rat ingenium peculiare, ut thoracem more pleuritico, peripneumonicove impeterent; etſi benignius quam vera pleuritis, aut peripneumonia plerumque ſoleat, ægros adorirentur, neque in vitæ conjicerent diſcrimen, niſi inſanam medicationem nactæ. Morbi thoracis frequentes, pleuritides, peripneumoniæ nothæ.

Febrim inflammatoriam *genuinam*, nullique alteri vitio commixtam nullam vidi, plures vero pleuritides *nothas*, ſeu *pituitoſas*, easque aut *ſolas & meracas*, aut ſuperinducta phlogoſi *compoſitas*.

Pulſus habuere plerique, quales ſani ſolebant, neque multum præter morem incaluerunt. Harum deſcriptio.

Lotium aut naturale omnino erat, aut parum tantum ab urinis ſanorum recedens, & coloratius. Tenuitas, & flammeus rubor, quo utroque charactere urinæ inflammotorum notantur, procul aberant.

Febrilis tenor is fuit, ut ægri majorem plerumque meridie, aut devexo jam die, validioremque acceſſionem experirentur, quam illi aſſolent, quos vera *inflammatoria* febris tenet, minorem vero, quam quæ febrim comitatur *bilioſam*: easque acceſſiones aut nulla, aut modiciſſima horripilatio ordiebatur.

Nec prima morbi invaſio violenta fuit, nec veluti ex inſidiis incautos arripuit. Quædam corporis, & capitis præcipue, gravitas, & obtuſior deguſtandi facultas, dentiumve ſordities, atque is ſenſus, quaſi inſipidam farinæ paſtam ore continerent, & minor paulo membrorum agilitas multos ante dies præceſſit. Proxime morbus abfuerat, ubi venter infimus adſtringi, ſiccarive cœpit, atque aliquot diebus officio non fungi. Neminem habuimus, cui non & paulo ante in-

firmitatem, & ſub ejuſdem initia alvus fuiſſet multis ſæpe diebus compreſſa. Atque in omnibus omnino ægris tanta infimi ventris hoc menſe ſiccitas fuit, quanta non alia ulla tempeſtate. Obliterata ſic alvo epigaſtrium tendi, dolere, & elangueſcere alimenti deſiderium cum oris amaro ſenſu cœpit. Tandem tuſſitare interdiu, noctu frequentius, & febri evidentiori tentari. Primorum dierum tuſſis abſque thoracis dolore fuit, atque abſque ſputorum rejectione, ſed non ſine moleſto totius epigaſtrii ſenſu, eoque inter tuſſiendum multum aucto. Tunc demum gluten paucum extuſſitarunt, quidam etiam meracum ſanguinem, *paucum* quidem initio menſis, at, qui poſt ejuſdem initium ſic ægrotabant, *profuſum* plerique ſanguinis e pectore flumen profuderunt. Certe hoc tempore hæmorrhagiæ pulmonum ubique increbuere, non apud illos ſolum, queis ea ægritudo ex conſuetudine redit, ſed & eos, queis firmior thoracis compages obtigit, eique morbo cæterum minus idonea.

Hæmorrhagiæ pulmonales.

Ante, & ſub ipſa hæmoptoë pectus *compungi* alicubi, aut opprimi cœpit: verum ſelibra, aut libra ſanguinis læti, ſpumantisque ſic rejecta pectus allevari videbatur, & ægri mitius habebant. Non ea fuit tuſſis violentia, quæ ſanguinis retinacula vi perrumperet, ut, qui ſæpiſſime non laborioſe tuſſitantibus largus profluxit.

Præprimis in ſutoribus.

Licet non intra unam hominum claſſem hic morbus ſe contineret, quoſdam tamen opifices peculiarius, atque præ reliquis ſibi deſtinavit, textores ajo, ſartores atque ſutores.

Atque hos ipſos inter miſerrima valetudine uſos, & infirmiſſimo pulmone *ſutores* obſervavi.

His ex flavo nigreſcens, & piceus ora color tin-

tingit, anheloſis, tuſſiculoſis, & ſi forte ætate adhuc tenera ſutorio operi admovebantur, thorace anguſto, ac ſterno, non uti in bene formatis, modiciſſime protuberante, ſed concavo multum, atque intropreſſo. Corpora, ut ille Catulli Furius, *ſicciora cornu* habent, & :

Vix toto decies cacant in anno,
Atque id durius eſt faba, & lapillis.

Tenuiſſimus in iis abdominis nimium quantum adſtricti eſt ambitus, ut magna muſculorum rectorum toroſitas, & vis eorumdem in viſcera ſubjecta æquo multo major.

Inde faciles explicatus repetimus, cur in ſutoribus maxime bonorum, malorumque ſuccorum inæqualis per medium, atque infimum ventrem, diſpenſatio fiat, & eorumdem utrorumque juſto major copia intra thoracem ſe recipiat, illuc ex abdomine propulſa.

Prout alii propius ad hanc ſutoriam diatheſin acceſſerant, ita etiam ejuſdem morbos experti ſunt.

Diverſæ hæmoptoës ſpecies & hac & aliis annis, ab Auctore obſervatæ.

Quodnam in medendo conſilium, viamve iniverim, tum demum exponam, ubi plures hæmoptoës ſpecies aliis a me temporibus, aliaque viſas occaſione ſuccincte commemoravero. Sic iis, quæ de medendi ratione dicam, plus lucis me affuſurum confido.

Primam hæmoptoës ſpeciem *inflammatoriam* appello, quam rigidiſſima quondam hyeme frequentem habuimus, cum eadem tempeſtate ſæva pleuritis robuſtiſſimos quoſque ſubverteret.

Hæmoptoëm hanc *inflammatoriam* eumdem cum pleuritide morbum exiſtimabam, cum & eamdem tempeſtatem, & ſymptomata eadem, & eoſdem quoque homines ſeligeret uterque morbus.

 Pleu-

Pleuritidi ſæpenumero parca, crocea, cruentaque ſputatio jungebatur, & quamdiu ægri pauxillum tantummodo ſanguinis ſputando rejecerant, tamdiu morbum *pleuritidem* ſalutabant; ſi vero meracior ſanguis, & copia notabili, tuſſiendo prodiit, mutato nomine *hæmoptoë* dicebatur, utut eadem, ſi rei eſſentiam ſpectes, utrobique fuerit ægritudo.

Momentoſa admonitio in ſananda hæmoptoë inflammatoria.

Eadem quoque & pleuritidi & hæmoptoë ratione medebar, miſſione ſanguinis repetita, & emulſis nitroſis, & enemate crebro, ac emolliente, univerſoque antiphlogiſtico apparatu.

Opium, hyoſcyami extractum, & adſtringentia remedia, ac potus aquæ gelidæ, quæ ſingula multis celebrata encomiis in quavis non raro hæmoptoë propinantur, nulla morbi, cauſarumque perveſtigatione, aut perfunctorie tantum facta, in præſentiarum abeſſe procul juſſi, meliores in uſus repoſta.

Pleuritidem noſco *latentem*, & *chronicam*, in hominibus anguſto thorace, longo, tenuique collo, corpore gracili, gratioſo, junceoque, ſcapulis alarum in modum exſtantibus, facie nitidiſſime candida, genis roſeis, vivida promptiſſimi ingenii vi, fibra delicata, ac perquam irritabili mulctatis potius, quam donatis.

Hi ſæpenumero *inflammatoriam hanc hæmoptoën* patiuntur, quam cortice peruviano in juvene quodam exacerbatam, atque in phthyſin velociſſime converſam novi; in alio vero phlebotomiis parcis, ſed frequentiſſime repetitis, & vivendi ratione ſummopere antiphlogiſtica non equidem percuratam, nihilominus tolerabilem effectam, prohibitamque per plures annos ab jamjam imminente pulmonali phthyſi; donec ſoſpitatore ſuo, qui ægro hucuſque ſolerter, provide-

deque cavit; dimiſſo, alius accerſeretur, rerum minus peritus, qui cum corroborandos eſſe pulmones aſſereret, ægrum irreparabili tabe non multo poſt conſumtum vidit.

Altera hæmoptoës ſpecies *plethorica* nominabatur, ubi aut abundantior ſanguis, quam qui apte contineri intra ſaguiferum ſyſtema, circumferrique commode queat, vim in pulmones fecit, forte a natura imbecilliores, effractisque vaſis ſuam hic redundantiam profudit; aut, etſi reapſe non nimius, variis tamen ſtimulis exagitatus, rarefactus, orgaſticus, motu validiore corporis quocumque aut mentis, eumdem, atque eadem ratione exitum e pulmonibus eſt molitus.

Hæc altera ſpecies tanto minus diſcriminis quam prior afferabat, quanto minus periculoſa ſola ſanguinis cæteroquin boni redundantia erat præ ejuſdem ac neceſſarii viſceris inflammatoria conſtitutione.

Medendi rationem ipſa morbi, cauſarumque notio decebat.

Aliam ſpeciem hæmoptoës *periodicam* ſtatuebamus, ubi aut menſtruus ſanguis pulmones petiit, hique uteri vices inauſpicato ſubierunt; aut, qui per apertas olim hæmorroides exonerabatur, iisdem occluſis nunc intra thoracem irruebat, eique violentiam inferebat.

Hæmoptoën ab erodente materia, venerea, ſcabioſa, achoroſa, herpetica, ſcorbuticave oriundam, & communia omnium hæmorrhagiarum adjumenta ſanabant, & auxilia ſpecialia cuivis ſpecificæ acrimoniæ dicata.

Hemoptoë maligne febrientium non aliam medelam admiſit, ſi remedia in omni ſanguinis nimio

mio fluxu uſitata excipias, quam qualem humorum putrida tenuitas, & ſolidorum iners laxitas, atque imminens diſſolutio poſcebat; ſumme videlicet antiſepticam, adſtringentem, ex peruviano cortice, ſero lactis aluminoſo, ſtringentibus ſuccis, & uſu gelidiſſimæ aquæ, ac ſpiritibus acidis mineralibus &c.

Hæmoptoën *vulnerariam* violentæ non raro tuſſi, pulmones quaſi convulneranti debebamus, a diverſiſſimis ſubinde cauſis, variaque ſede locatis oriundæ. Mirum quantum variare curandi rationem neceſſe erat, prout alia atque alia fuerat ipſius tuſſis cauſa, cauſæque ſedes. Hæmoptoën vulnerariam a gravi caſu, aut vi externa pectori illata frequenter miſſione ſanguinis, & antiphlogiſtica methodo ſanavi, totusque in id incubui, ut inflammationem vulneribus ſupervenientem quam benigniſſimam efficerem, minimamque, & periculoſam ſuppurationem aut averruncem, aut cohibeam.

Stulta opinio eſt, atque in ægrorum perniciem nata, quæ ſtimulantium balſamorum interno uſu conſolidare diſrupta vaſa intendit, nempe affuſo oleo incendium reſtinguere.

Hæmoptoë, peripneumoniæ nothæ, ſeu pituitoſæ, comes, a minus perviis pulmonibus: atque multa redundantibus pituita, ſanguine interea violenter a dextro corde protruſo, vaſaque pulmonica effringente, repetebatur: Hæmorrhagiam hanc quam nulla alia medicina comprimere valeat, quam quæ, præmiſſa non larga phlebotomia, a pituita redundante thoracem expedit, quanta maxima celeritate & efficacia poteſt, facile patuit. Id vero multoties vomitorio prompto effeci, ubi antea ſanguinem miſeram, &

ven-

ventrem enemate ſollicitaveram. Quodſi nullum in mora periculum fuerat, potum antea multum, ſalitumque propinavi. Inter vomendum nec lineola ſanguinis comparebat, & vomitione peracta non niſi perparum, donec non multo poſt nihil penitus cruenti conſpiceretur. Curam abſolvi decoctis ſolventibus e radice graminis, taraxaci, & cichorei paratis, & alvina libertate diutius conſervata.

Pleuritidem bilioſam cruenta ſubinde ſputatio, quin etiam liberalis hæmorrhagia comitabatur, atque in univerſum ſebres ab illuvie bilioſa œconomiæ gaſtricæ exortas non levibus hemorrhagiis jungi narium, pulmonum, uterive aliquoties obſervavi.

Hæmoptoën id genus *bilioſam*, gaſtricamque, & quamcumque hemorrhagiam hac origine prognatam, certius nihil nihilque efficacius vomitorio ſtitit. Quæ vero abdominalia viſcera, ventriculum maxime, & inteſtina, demum & univerſum corpus invigorabant, relapſus, faciles cæteroquin, & periculoſos, avertebant.

Curationum feliciter ac methodo peractarum numeroſa exempla ſuppetunt, quæ qui in medium producere tanquam totidem teſtes vellet, legentibus abuteretur.

Leviores hæmorrhagias *bilioſas* conſopitas equidem alia ratione ſubinde vidi, iterata videlicet, profuſaque ſanguinis miſſione. Verum diuturna infirmitas, & imbecilla corporis conſtitutio conſequebatur, & crebri in eamdem hæmorrhagiam relapſus, ſi forte vel ob leviſſimam cauſam circuitio ſanguinis pluſculum incitaretur.

Nihilominus communior obſervatio docuit, bilioſas ejuſmodi hæmorrhagias phlebotomiis ſolis, & antiphlogiſtica methodo adeo, *ut pluri-*

mum,

inum, non ſiſti, ut profuſiores evadant, brevique virium vitalium ruinam ingentem inferant, & exſangue, marmoreumque frigus, *mortis comites, & funeris atri.*

Hanc hæmorrhagiæ *bilioſæ* curationem ope phlebotomiarum, & antiphlogiſticorum potuum obtentam *inſidam* appellabamus, cum & vires convelleret, & viſceri præcipue hæmorrhagiam paſſo atoniam induceret frequentiori relapſui opportunam; ac ſtimulem excitantem, bilioſam nempe illuviem, ad breve tempus enervaret tantummodo, non erueret, qui validius poſthac acturus erat in corpus imbecillum, acie recuperata.

Complures novi crebris febriculis bilioſis, iiſque leviſſimis tentatos, qui aſſumpto antiphlogiſtico potu & inſtituta largiori ſanguinis miſſione bilioſum circa ventriculum hærentem partim enervarant, partim per omne ferme vaſorum ſyſtema diſtraxerant. Materie non multa, vel potu multo ſubmerſa, vel in partes diſtracta multas, atque hoc ipſo magis inermi effecta convaluere; ſed impurioribus poſthac ſuccis utebantur, & corpore minus firmo: hinc magna in eamdem febriculam proclivitas nata eſt, quæ ſi denuo inſurgere tentarat, eadem ratione dilata, retruſaque eſt potius, quam evulſa, gravius crebriusque reditura.

Sanguinis e pulmonibus eruptionem multæ quoque cauſæ efficiebant in abdomine ſitæ, quæ circumeuntem humorum libertatem ibidem imminuebant, eorumdemque competentem quantitatem preſſis aut quacumque ratione anguſtioribus effectis vaſis ab abdomine prohibebant, prohibitumque ad infirmiores pulmones ablegabant. Eas inter cauſas reponebamus *ſpaſmos* undecumque pro-

productos, *tumoreſque* omnis omnino generis, dummodo molis ſpectatæ fuerant, præcipue ſi celeriter increviſſent.

Hinc variam in hac abdominali hæmoptoë medendi rationem inire ſolent, atque etiam ipſi iniveramus.

Hæmoptoën largam enemate, & propinata ſalis amari ſolutione, ventrem diu ante obſtructum celeriter reſerante illico compreſſi, atque aliis ſubverſo per emeſin ventriculo hunc ſanguinis fluxum ſtiti.

Enervantes narium hæmorrhagias in homine febri bilioſa detento, unaque & ipſam ægritudinem principem repetita emeto-catharſis ſuſtulit.

Cum narium, & pulmonum pernicioſæ hæmorrhagiæ ægrorum cuidam mortem illaturæ viderentur citius, quam ipſe deploratus hydrops: eductis paracenteſi aquis fatalem horam aliquoties differebam, profluvio vitalis laticis ſic ſubſiſtente, atque nonniſi collectis aquis recurrente.

Hæmoptoë illorum, quorum pulmo tuberculis obſeſſus exiſtimabatur, aliquoties mihi viſa difficilem ſemper medicationem, aut nullam admiſit. Etenim duo erant, quorum habendam rationem arbitrabar: moles videlicet ſanguinis per pulmones tranantis fuerat minuenda, ne ea vaſorum pulmonalium capacitatem ſuperet, & deinde ipſos meatus ſanguinis in pulmonibus tuberculoſis anguſtiores, preſſosque oportuerat expedire.

Maſſam humorum movendorum minueram inſtituta phlebotomia, ſed alterum ſcopum vix aſſequebar.

Plerique, quorum cadavera diſſecta tuberculoſos pulmones exhibuerunt, fuerunt olim aut tuſſes *ſtomachicas*, diuturnas, neglectas, aut methodo non ſua curatas, aut peripneumoniam notham,

tham, ſeu pituitoſam, eamque ipſam perverſa medicatione in tuberculoſum pulmonum morbum converſam perpeſſi.

Quos vero ob tuberculoſum pulmonem credideram in hæmoptoën incidiſſe, ſanaveramque, his dempto medico ſanguine, ſolventia remedia ex radice graminis, taraxaci, & cichorei propinavi mediocri ſale, aut refracta doſi tartari emetici armata, cavique, ne moroſior alvus evadat, & emeticum blandum, præcipue ubi aut tuſſis reverti, aut pectoris oppreſſio cœpit, per vices exhibui.

Teſtor, me *ſolis* ſolventibus nil profeciſſe, tuſſi, nocturna præcipue, noctes ruditer turbante, & laborioſa, cum vel leviſſime corpus commoverem, ſpiratione. At blandior per vices emeſis thoracem mirum quantum expedivit.

Solventibus lenia tandem tonica commiſcui, cum non ſuffecerat infarctum ſolviſſe ſolum, ſed & futuram ejuſdem geneſin præoccupare neceſſum fuerat.

Hæmorrhagias pulmonum a vitio cordis, aortæve aneuryſmate, aut alio quocumque, non deſcribam, cum animus mihi non ſit integram hæmoptoës variæ imaginem ſiſtere.

De hæmoptoë hydropicorum, & pauca quædam de hydrope.

Quædam pauca ſolumodo de hæmoptoë hydropicorum prioribus ſubjungam.

Viri quidam laborioſi, atque exercitati, aurigæ, fabri lignarii, &c. hydrope intercute detenti, quin aliqua manifeſta, & hydropis communior cauſa potuerit incuſari, meæ ſe curæ concrediderunt.

Pingueſcere initio videbantur facile, collo, & thorace præprimis. Tandem diffundi per totum corpus tumor cœpit, prodique morboſa conditio. Pulſus arteriarum erant vegeti, tardi, robuſtique,

que, & cætera ſanorum inſtar habebant. Difficillime, tardaque curatio fuit, & mitiſſimis ſolum remediis, quæ & alvum, & urinas moverunt, perfecta. Salia mitiora, nitrum, & terra foliata tartari in decocto altheæ, malvæ, & liquiritiæ fere ſola profuerunt, ſero tandem oxymel ſcilliticum prioribus poterat admiſceri.

Uni, alterive, ſanguinis parum extrahere debui, dolore fixo thoracis, calore, & urina flammea id exigente.

Hos inter auriga fuit, cui præter univerſalem corporis tumeſcentiam aquoſam modo ſcrotum, modo ſterni pars, aut collum peculiarius tumuit tumore repente orto, globoſo, farciminoſo, aquoſo-emphyſematoſo, mox iterum obortis ſudoribus diflato. Huic per vices pectus repente opprimebatur, ut aliquoties ferme mortem oppeteret ſuffocantem; acceſſit & larga ſanguinis e pulmone rejectio, eo tempore nulla corporis pars peculiari illo tumore, vago, aquoſo, aëreo tumere viſa eſt, ut inde conjecerim, materiem tumoris illius corpus oberrantis ad pulmones nunc eſſe projectam. Sic conſtituto veſicans ad thoracem admovi, & homini ſtragulis contecto diaphoreticos potus ingeſſi. Obortus ſudor hæmorrhagiam pulmonum ſtitit.

Veſicantia largam movere diaphoreſin fere ſemper obſervo, quin etiam profuſos ſudores, ſi & cætera accedant ad proliciendos ſudores requiſita.

En hæmoptoën veſicante compreſſam!

Hæmorrhagias profuſas narium, epilepticos inſultus, & mortem apoplecticam in non magno virorum hydrope obſervare aliquoties licuit, ubi vel graves fœminarum hydropes tuto curabantur.

Exponere nunc juvat, quænam ex recenſitis

hucuſque hæmoptoës ſpeciebus hæc noſtra fuerit *hoc menſe* viſa, & qualem ægris opem, & quo eventu tulerimus.

Atque ut huic quæſtioni ſatisfaciam, illius oportet recordari, nos antea & *inflammatoriam* hæmoptoën, & aliam peripneumoniæ *nothæ* ſeu *pituitoſæ* comitem, ac tertiam commemoraſſe hæmoptoës ſpeciem ab illuvie ventriculi bilioſa, & infimo ventre ſicciori, atque diutius obſtructo natam.

Hæ cauſæ, quarum ſingulæ producendæ alias hæmoptoë pares ſunt, ſuas ſi quando vires conjungunt, id evidentius faciunt, & majori cum ægrotantis diſcrimine.

Atque hunc cauſarum multiplicium hæmoptoën efficientium concurſum hoc menſe vidimus, ita tamen, ut ſæpe levis tantum eſſet, & veluti ſuperficiaria inflammatio pulmonum; gravior vero, & princeps altera ægritudo, peripneumonia videlicet notha. Adde & hoc, pleroſque ſimul bilioſas in ventriculo ſordes, & alvum diutiſſime clauſam, habuiſſe.

Hæc ſyndrome cauſarum claram hæmoptoës hujus noſtræ notionem effingit, & quid agendum nobis fuerit, demonſtrat.

Illico nempe enemate crebrius injecto ventrem ſolvimus, quo præſidio, utut ad ſpeciem non magno, & capitis temulentia, caloresque, & thoracis ſymptomata multum remiſerunt. Aquam dein cum melle & aceto propinavimus, & mitiorum ſalium mediorum ſolutionem. Die altero paucas ſanguinis uncias detraxi, ſicque hæmorrhagia pulmonum plerumque intra limites parcæ cruentæque ſputationis reducebatur. Verum, ſeu ſanguinis fluxus perſiſteret, ſeu dicta ratione imminueretur, dummodo aut leviſſima, aut nulla

la phlogoſis eſſet, emeticum propinavi. Vomitus, alvusque mota ægros plurimum recreavit, ſanguinem cohibuit, & ſpiritum præcipue liberiorem effecit. Quibuſdam emeſin poſt *multos* primum dies movi, iis nempe, quorum pulmones aut major, aut pertinacior phlogoſis tenuit. At his ſanguinem crebro, & largiter detraxi, ventremque infimum eccoproticis, & enematibus vacuavi. Atque hac methodo, phlebotomiis, eccropoticis, & enemate crebro ad id uſque tempus ſum uſus, quo lotium antea flammeum, & abſque hypoſtaſi, flaveſcere magis cœpit, rubere minus, & emiſſum brevi turbari atque ſedimentum lateritium, furfuraceum, ex albo rubellum demittere: hocque fractæ phlogoſeos ſignum arbitrabar, etſi & æſtus perſiſteret, & incommoda thoracis; his enim propinato emetico tuto celeriterque medebat.

Celebrata emeſi largo radicis graminis, taraxaci, & cichorei decocto utebantur, cui vel ſalis medii quid, vel refracta tartari emetici doſis commiſcebatur.

Hoc modo & tuſſis nocturna indies cicurari, ſputaque albumen recentis ovi referentia minui cœperunt, ægro ſubinde pituitam vomente, & ſolito crebrius dejiciente.

Amaricantia, ſtomachicave, curationi coronidem impoſuerunt.

Quibuſdam omiſſo emetico, ſuffecerat ventrem per epicraſin manna, tamarindis, & ſale medio ſolviſſe.

Sanguis emiſſus plerumque cruſtam habuit virentem, auriginoſam, diffuſam, craſſam, tenacem.

Sola cruſtæ phlogiſticæ apparitio me non commovit, ut iterato, & ſæpius, largiusque ſangui-

nem mitterem, niſi & alia veræ inflammationis, ejusque prædominantis ſigna copioſiores, iteratasque phlebotomias exigerent.

Morbi ergo thoracis hoc menſe fuerunt pleuritides inflammatorio-pituitoſæ; inflammatorio-bilioſæ; aut prævalente phlogoſi, pituitoſo-inflammatoriæ; atque eædem omnino eadem ratione commixtæ, & a prædictis pleuritidibus eſſentialiter non differentes hæmoptoë.

Recordabar hoc tempore pleuritidum ab egregio CLEGHORNIO obſervatarum, quas aliquis non inepto *putrido-inflammatorias* compellaret, ubi vera in pulmonibus inflammatio eſt, at ſimul putridus, & inflammatis acrimonæ formes intra abdomen hæret, quem primo obtundere, diluereque oportet, dein vero aut vomitu, aut alvo mota exterminare.

Cæterum toto Februario vomitiones dato emetico crebriores, dejectiones vero parciores, obſervabantur, quam elapſa æſtate, qua vigente, atque adulta; & per omnem autumnum, alvus lubriciſſima fuit; & ſuapte, &, multo magis, vel leviſſimo pharmaco propinato.

Vomuerunt hoc tempore paucam plerumque pituitam, at levamine molem materiæ plurimum ſuperante.

Bilis hoc menſe *nonnulla*, *phlogoſeos multum*, & *plurimum pituitæ* ubique offendebatur: atque hæc ultima toto hoc menſe præfecturam exercuit.

Etſi nullos habuerim morbos mere inflammatorios, ſed recenſita ratione compoſitos, nihilominus non defuerunt febres ex pituita aut ſola, aut bili remixta prognatæ, putridæque: attamen putredine non valida, nec ferociente.

MAR-

MARTIUS.

MARTII primos dies tepor, & aura ſerena, puraque commendavit.

Nullæ ullibi nives comparuerunt, niſi ubi easdem venti nuperrimi in acervos congeſſerant ſerius liquandos.

Die quarta tepidiſſimus & capita gravans vulturnus cœlum nubibus obduxit, pluvias comminatus. Soles dein, nebulæ, nubes, & pluviæ tenuiſſimæ quaſi in orbem redierunt, tepore humido aſſidue perſiſtente, donec die nona madori frigus accederet.

Die 12ma aquilones algidiſſimi coorti auram ſiccarunt. Sol, gelu, nivium hinc inde flocci, & tenuiſſima grando, ventique ab ſeptentrione per vices.

Die 19na aquilonem hucuſque dominantem repente enormis auſter excepit, coactisque a meridie nubibus cœlum in pluvias diſſolvit.

Ex eo tempore multa auræ inconſtantia, turbidæ, auſtrinæ, terramque exiguis ſparſim pluviis irrorantis.

Penultima tota pluvioſa fuit: atque ultima nimboſa, auſtro corpora, atque animos exſolvente.

Die 12. 13. mercurius altiſſimus 28 poll. 4 l.
Die 4. & 5. ejus infima ſtatio 27 poll. 2 l.
Die 13. frigus maximum — 4 gr.
Die 30. calor maximus + 12 gr.
Calor medius. . . . . + 2 $\frac{2}{3}$ gr.

Plures hoc menſe ægrotarunt, ſed morbo mitiori atque in longius, quam menſibus elapſis, tempus excurrente, & fœminæ præ viris: at parcus libitinæ cenſus.

Rheumata multa, Menſe Februario ad finem decurrente & Martio lumbagines, iſchiadesque multæ ſunt viſæ, longiore purgantium leniſſimorum uſu ſublatæ. Quos hæc ægritudo quaſi e conſuetudine quotannis una alterave vice reviſit, eos etiam tarde deſeruit, atque ita, ut ægros identidem recurrente leviculo dolore, aut pondere artus cujuſdam inſolito, aut ejuſdem ſtupore ſui commonefaceret. Quidnam hos inter fuerunt, quorum aut crus, aut brachium multum emarcuit.

male curata atrophiam artuum induxerunt, Atque hanc artus alicujus atrophiam illi imprimis experti ſunt, qui rheumatiſmos *originis gaſtricæ* non ſubverſione ventriculi ſorde multa contaminati, confirmataque ejuſdem coctrice potentia ſanare annitebantur; ſed phlebotomiis, & ſcarificatione, & multa tepida, ſudorifera, enervante potione morbificam materiam per minutiſſima vaſa deduxerunt, alte tandem irradicatam, non extricandam.

Hic menſis magnam *pituitæ* copiam generavit, ſed phlogoſeos minus.

Januarii, enim, & Februarii *phlogiſticum* vitium, quod ipſum per ea tempora raro, aut nunquam ſolum aut meracum, aut etiam intenſum fuit, hoc menſe evidentius remiſit, atque in *pituitoſum* totius corporis, abdominis autem imprimis, & pulmonum convertebatur.

eorum natura, Rheumatum, ſeu lumbos, ſeu femora, ſive alia loca occuparant, ea indoles fuit, ut veſperi, noctuve ægros vexarent, atque interdiu plerumque ſilerent. Hæcque aut ſola fuerunt, aut catar-

catarrhum, aut peripneumoniam notham commilitonem habuerunt.

Si quis quamdam corporis partem jam antea af- & ſedes ; fectam habuerat, aut imbecillam, in ea rheuma ſugebatur. Sic, qui antea aut artum forte impegerat, aut oculum feſtuca, arenula, aut quocumque illabente pulviſculo irritatum habuerat, paucos poſt dies febrire obſcure, noctes habere turbatas, ſudare, & ventriculo gravari, ac nauſeare occœpit. Demum vexata antea pars, ſive oculus fuerat, ſive artus quidam, gravius tentari dolore dilacerante, veſpertino, nocturno.

Illata externa vis ſive oculo, ſeu alteri parti, hoc rheuma gaſtricum videbatur invitaſſe.

Ophthalmiæ hæ cito in corneæ tranſparentis cineream opacitatem abiverunt.

Duo in medendo ſpectabam ; ut & ipſam fe- atque cu- briculam rheumaticam ſanem, & ea ſanata, ratio. reſiccataque ejuſdem e ventriculo ſcaturigine, alteram aufferam infirmitatem topicam atque in artu quodam aut oculo reſtitantem.

Rheumaticam hanc febrim ſolventibus, emeſi, emeto-catharſi, aut ſola etiam catharſi leniori, ſed diuturna, & tandem invigorantibus plerumque fuiſſe fortunate diſcuſſam, ſupra dixi.

Topicam artus alicujus infirmitatem, quam, febri rheumatica penitus jam abacta, nonnunquam diutius perſtitiſſe commemoravi, v. g. ſtuporem, aut levem per vices dolorem ; veſicans, aut rubefaciens emplaſtrum, aut frictio aromatica ſuſtulit.

Metaſtaſes hæ a febribus hujus tempeſtatis productæ multo diſſolvi difficilius, tardiusque obſervabantur, ac illæ ſolent febrium æſtivarum ; atque in univerſum depoſitiones hyemales, vernæ, autumnales, etſi jam percurata genitrice

febre, diu plerumque perſiſtunt, & morbum efficiunt ipſæmet peculiarem, peculiari quoque ratione curandum. Ubi e contrario quidquid ſub ipſa *æſtiva* febre topicarum affectionum ſubnaſcitur, eodem prorſus modo ſanatur, quo ipſa princeps febris; quacum aut viget, aut profligatur.

Peripneumonia *notha*, ſeu *pituitoſa*, hac etiam tempeſtate eminuit, eaque aut ſola, aut pulmonum veræ quoque inflammationi, utut exiguæ plerumque, & cito diſſolutæ, ſociata. Paucos gravior, & periculoſa inflammatio pulmonum proſtravit, eosque præ cæteris exercitatos, & juvenes.

Pleriſque dolor alterutrum thoracis latus infeſtabat pungens, dilacerans, diffuſus, ab humero ad uſque ilei oſſa decurrens.

Quibuſdam etiam artus afflicti lateris veluti a deſtillante acri ſero compungebantur. In illam quoque, quæ dolebat, corporis partem cubare nequiverunt.

Peripneumoniæ notheæ, nothæ quoque pleuritidis hujus menſis deſcriptio.

Peripneumoniæ huic, ſeu pleuritidi nothæ, rarior hoc menſe pulmonum hæmorrhagia jungebatur, etſi parca cruoris ſpuitio vix ulli abfuerit.

Omnibus ſputa prodiere albumen ovi referentia, initio pauca, dein copioſa.

Quorumdam pendula, ductiliaque ſputa color herbaceus tingebat.

Anxietas magna: cardialgia, præcipue poſt potulenta: febris non magna, veſpertina, & obſcuras habens acceſſiones.

Sputatio multa morbum non ſolvit, hinc eamdem nunquam urgebamus. Satius erat, morbificam materiem ſolventibus ſalinis ita præparare, ut, ubi ſanguine una, ſubinde & altera vice, de-

detracto phlogoſi cavibus, dato vomitorio potuerit educi. Mox inde & tuſſitatio moleſta componi, & ſputorum rejectio plurimum & magno cum levamine imminui.

Peripneumoniis nothis levioribus eccoprotico-rum continuatus uſus profuit, gravioribus multum impar.

Peracta vomitione, quam ſubinde iterare poſt aliquot dies oportebat, taraxaci decoctum, & aut paucum ſalem medium, aut refractas portiones tartari emetici propinavi; donec, præter corporis laſſitudinem, cuncta ex legibus ſanitatis procederent. Decocto radicis cichorei, lichenisque iſlandici confirmatos dimiſi.

Alii quoque morbi fuerunt hac tempeſtate peripneumoniæ nothæ comites; aſthmata nempe, & catarrhi, & abortus crebri, & hæmorrhagiæ uterinæ, quæ vel abortientibus acciderunt, vel tempore menſtruæ purgationis. Morbi epidemici principis quidam quaſi ſatellites.

Morbos hoſce, utut diſſimili facie in publicum prodeuntes, eadem de ſtirpe ſatos eodem quoque pabulo enutriri, eadem ubique therapeutica methodus, & eodem cum eventu adhibita, demonſtravit.

Qua ratione eadem morbifica materies in his catarrhum, in illis vero abortum fecerit, aut profuſum catameniorum profluvium, ignoro. Id aſſero, me ad ſpeciem diverſiſſimos morbos febriles, ſed eadem prognatos tempeſtate, & abſque alia omnium horarum accedente evidenti cauſa, eadem methodo tuto ſanaſſe, hancque ab anni conſtitutione deſumptam medendi rationem præ omni alia vidiſſe meliorem, compendioſamque magis. Cognitio morbi epidemici eſt dux, & acus nautica in aſſequendis innumeris aliis affectionibus morboſis corregnantibus.

Certe ſe ipſum, & artem, & ægros ludit, qui febrilium morborum curationes aggreditur,

non manu identidem quaſi ductus hac fida itineris duce ; temporis nempe perveſtigata conditione.

Hac temporum ſcientia deſtitutum mille formæ ejuſdem cauſæ πανδημοι, milleve luſus ludificabunt.

Nemo nec exercitui ægrotanti, nec numeroſæ in noſocomiis urbanæ plebi conſulet, qui hac magiſtra caruerit, conſtitutionum notitia.

Verſatilem certe, nullive innixam fundamento in genus medicinam appellabo, inutilemque & nugatoriam, dummodo nihil momentoſum, aut heroicum moliatur: quæ vero, æque infirmo inſiſtens talo, ſed magnis & valentibus remediis abutitur, inter infamia veneficia reponam, vel ipſa deterrima epidemia magis devaſtatricem.

Qui naturam epidemiarum perveſtigavit, nullaque varietate accidentali diſtractus cauſam arripit, oppugnatque pandemon; quot quæſo mortalium erit ſoſpitator, & genius tutelaris.

Peripneumoniæ nothæ, & catarrho, & aſthmati, & fluxibus ſanguinis eadem, quemadmodum antea expoſui, ratione medebar; ſolventibus nempe, atque emeto-catharſi. Nil certe diſcriminis interceſſit, ſi phlebotomiam unam, quin & plures excipias, initio peripneumoniæ nothæ ſubinde neceſſarias, atque emeſi præmittendas. Catarrhi ſolis ſubinde ſolventibus ſalinis, plerumque etiam his, & vomitorio ſerius propinato auſcultarunt. Aſthmatici eadem, ac catarrhoſi medicina ſunt uſi, ſed emeſi frequentiori.

De catarrhis quædam ſcitu neceſſaria.

De catarrhis, quos antea dixi fuiſſe hoc menſe frequentes, multa ubique querela audita eſt, eos eſſe ſolito rebelliores, atque non raro in febrim converti malignantis naturæ, quamque idcirco

ca-

catarrhalem malignam appellarunt. Malignitatem nos nullam experiebamur ; quam nempe deſcripta ſuperius medendi ratio auſpicato præoccupavit.

Multa ab iis peccari video in cura catarrhorum , qui , externa ſolummodo morbi facie , ſemper ferme eadem , contenti , etſi toto cœlo differens ægritudo ſub eadem catarrhi larva deliteſcat, rei viſcera non rimantur.

Hinc tuſſim , veſperi maxime , noctuve pulmones ita quatientem , ut , præter hanc , nullum aliud memorabile ſymptoma hominis artem ignorantis attentionem in ſe convertat , catarrhum dicunt, præprimis ſi aſſidua faucium irritatio adſit , & acris materiæ in eaſdem depluentis ſenſus.

Quas viderim ſanaverimque diverſis temporibus catarrhi ſpecies , & quibus notis ſingulas diſcriminaverim , paucis exponam.

Neque inutilem prorſus laborem arbitror , ſi varias hujus morbi ſpecies exactius notavero , crebras omnes , & eamdem prima fronte originem mentientes ; quæ & ob id ipſum ſolent confundi , ſubjicique eidem omnes medicationi, unde ægritudinum chronicarum ilias in artis opprobrium ſuccreſcit.

Catarrhus ſeroſus, febris catarrhalis benigna.

Catarrhum benignum , ortamque *febrim catarrhalem benignam* coryza , gravedine , raucedine , & ophthalmia ſeroſa ſtipatam , ea plerumque tempeſtate frequentem habuimus , qua aër multum incaluit, corporave in ſudores diſſolvit, auræ ab arcto acutius ſpirantis flamine identidem compreſſos. Illi etiam , qui ab itinere, aut exercitatione quacumque validiori , ſudoreſque proliciente incaleſcunt , atque auram frigidiorem improvidi ad corpus denudatum admittunt , vel in-

intra pulmones ſpirando recipiunt, hoc ſimplici catarrho plectuntur.

Perſpirabile ſuppreſſum, quod illico pulmones petiit, revocabam, atque ad alvum, renes, & veſicam tanquam aptiora cola, determinabam. Tandem quaſſatis pulmonibus quietem pauxillum opii reduxit, atque cutaneam functionem reſtituit.

Manna, nitrum, althea, opium hic requirebantur, & fere ſola ſufficiebant.

Catarrhus inflammatorius.

Aliam catarrhi ſpeciem *inflammatoriam* appellavi, eamque pleuritidis, aut peripneumoniæ rudimentum, & quoddam alterutrius initium arbitrabar.

Catarrhi hi *inflammatorii* epidemiam verarum thoracis inflammationum præcedunt, & antequam hæ ingruant, quibuſdam quaſi velitationibus imminenti populari ſtragi præludunt. Sed etiam tum, cum epidemiæ vis jam elangueſcit, catarrhus adhuc aliquandiu viget, atque omnium ultimo receptui canit. In ipſa ακμη conſtitutionis pleuriticæ quidam aut ſaniſſimi degunt, aut non niſi catarrho vellicantur; ii videlicet, quos minus idoneos offendit popularis labes.

His æque hac ipſis pleuriticis methodus antiphlogiſtica opitulatur.

Febris catarrhalis malignæ nomen crebro auditur, ſed non ubique eamdem omnino ægritudinem deprehendo, quam ita compellant.

Catarrhus peripneumoniæ nothæ comes.

Peripneumoniæ nothæ ſuperius deſcriptæ præcurſor plerumque aut comes, aut pediſſequus catarrhus eſt, quem *malignitatis* criminantur, quod benigni catarrhi curationem, mannam, nitrum, emollientia, & anodyna veſpertina omnino reſpuat, & phlebotomiis, iteratis præcipue, in febrim abeat malignam. At oportuerat catarrhum

rhum hunc ab ipſa peripneumonia notha non diſtinxiſſe, cujus is inferior ſolum gradus eſt, eamdemque utrique medicinam oppoſuiſſe.

Febrium biliosarum æſtatis, atque autumni ea ſubinde conſuetudo eſt, ut, aut neglectæ, aut calidor regimine, aut phlebotomiis multis exaſperatæ, & ſorde bilioſa non exantlata, vim in pulmones faciant; has tunc *catarrhales malignas* dicunt, & exanthemata morbum ſolutura præſtolantur. Catarrhi gaſtrici, bilioſi, putridi, maligni.

Febris bilioſa ſubinde thoracem illico invadit, & pleuritidem, aut peripneumoniam in quibuſdam præ ſe fert; in aliis vero mitior febris, minoraque thoracis incommoda ſunt, ut ægri ſe ſolo catarrho vexari credant.

Qui curam hujuſmodi catarrhorum ſuſpicit, turpiſſime labitur, ni eorumdem originem *gaſtricam* perſpectam habeat, neſciatve, eos eſſe quædam conamina, aut veluti præludia peripneumoniæ, pleuritidiſve bilioſæ; aut febris bilioſæ mitificatæ modificationem ſolum quamdam, ac luſum.

Bilioſis id genus catarrhis eadem omnino medicatio fit, quam variis aliis in locis fuſius deſcripſi; *antibilioſa* videlicet, cujus præcipuam partem vomitio conſtituit arte concitata.

Qui ex febri maligna eluctari, & convaleſcere incipiunt, non raro in tuſſim veluti catarrhalem incidunt, maxime noctes interpellantem; etſi forte ad eadem, & inchoante, & vigente morbo, immunes fuerant. Catarrhi ex febri malignæ convaleſcentium.

Hos ex febre maligna convaleſcentium catarrhos fere ſemper obſervabamus, ubi ægri morbo jam multum progreſſo, neglecto, atque abdomine a ſordibus non vindicato nobis committebantur.

In

In aliis vero, tempeſtivius ad nos delatis; præſertim ab eo tempore, ex quo artis generoſa præſidia in averruncanda malignitatem, non ex quadam male feriata hypotheſi, aut cœca ſyſtematis imaginarii prædilectione, ſed uſu multiplici, conſtanti, atque oculatiſſimo indies magnis magiſque mihi innotuerunt, & admirabilem emeticorum facultatem, tum in hiſce febribus, cum in quam pluribus aliis infirmitatibus uberius didici; vix unquam contigit, hanc tuſſim obſervare.

Si ea fuerant, quæ morbus ipſe primarius poſtulabat, ſcite, & diligenter adminiſtrata, atque æger conſaneſcere inciperet, nocturnam tuſſim, & auditum plerumque gravem, tempus ipſum & remedia corroborantia, ac ſtomachica emendarunt.

Neque a potione tepida, emolliente, pectorali ullum hic unquam emolumentum opperiebar, at multum detrimenti.

Ubi tuſſis ita perſtitit, ut aut intenderetur quavis nocte, aut eadem aſſiduo vi rediret, rem jam non ſoli tempori, aut methodo roboranti, aut nutrienti committendam exiſtimabam.

Tunc vero novas ſordes in imbecillo ventriculo convaleſcentis fluitare rebar, ſub ultima morbi tempora denuo collectas, & mole majores, quam quæ ſubigi, atque concoqui poſſent. Has aut emetico, aut purgante ſubmovi, &, ne nova denuo earumdem colluvies fiat, vires coctrices acui.

Catarrhus poſt morbillos æſtate 1777.

Catarrhus æſtate præcedentis anni morbillos excepit, vix devincendus, quamdiu ejuſdem e ventriculo geneſis me fugerat.

Variæ ſpecies

Alias catarrhi gaſtrici ſpecies, in pueris præcipue frequentiſſimas, voracibus, pituitoſis,

ver-

verminoſis, male digerentibus, & crudis, non referam, utpote in vulgus notas. catarrhi gaſtrici.

Æſtate anni 1777. atque ea, quæ eum annum proxime præcedebat, tuſſis catarrhoſa canes enecuit. His & coryza nares tenuit, quæ multum vireſcentis muci profuderunt; oculorum lemæ, & ſquallor, apoſitia, tuſſis laborioſa, ſpontaneæ vomitiones, & putrilago vomitibus refuſa, extrema macies, & tandem veluti quorumdam artuum ſemiparalyſis, ac mors. Catarrhus, & coryza canum.

Catulum hoc morbo correptum ſanavi ingeſta tartari emetici ſolutione, multaque illuvie olidiſſima rejecta. Verum elapſis aliquot ſeptimanis, cum voraciſſimum animal carnibus, quas indulgentior hera eidem objecerat largiores, denuo ventrem referſerat, in eamdem infirmitatem relapſum, & poſtquam muliebri conſilio oleum amygdalinum, & *axungiam* caninam præ vomitorio ingerere placuerat, convulſum periit.

Graſſante epidemico ſeu adultorum, ſeu infantum catarrho in naturam, atque indolem febris acutæ, ea tunc tempeſtate prædominantis, quanta maxima ſedulitate potui, inquiſivi. Catarrhi enim, cujuſcumque illi originis ſint, plerumque nullos ſpecificæ ſuæ indolis certos characteres, ſed ambiguos, atque omnibus, & diverſiſſimis catarrhis communes habent, atque ægritudines ſunt appellandæ *inchoatæ* ſolum, & nondum ita effictæ, ut ſemper ac tuto ab ſe invicem dignoſcantur. At vero imperitans acuta febris, ſub qua catarrhalis conſtitutio militat, luculentioribus plerumque, & minime dubiis notis inſtructa, morbificas cauſas, cauſarumque ſedes, & aptam medendi rationem docet; atque ita ſuam ipſius indolem prodendo, de natura congeneris catarrhi ambigere non ſinit. Unde catarrhorum diagnoſis fuerit repetita.

Id

Id etiam inveſtigare ſolebam, quamnam in febrim acutam popularis catarrhus abeat, aut ſuapte nonnunquam, aut ſiniſtra medicatione irritatus. Catarrhos enim *inflammatorios* in veras uſque pulmonum inflammationes intendi vidi; biliofos vero in peripneumonias, pleuritidesque ſpurias, bilioſas.

Perſpecta catarrhi, de cujus natura, & medendi modo, mecum ipſe diſceptabam, in morbum quemdam acutum, mihi antea aliunde cognitum, promptitudine, atque ſic agnita utriuſque cognatione; & ipſum catarrhum, & ejus ſanandi rationem aſſequebar.

Mirabitur fortaſſe aliquis, quod diſquiſitioni ægritudinis tam levis, tam ubique & ab omni ævo notiſſimæ ſcrupuloſius immorer de eaque & minutim, atque anxie diſſeram. At vereor, ne hic ipſe frequentior conſpectus morbi nobis imponat, ut ejuſdem etiam naturam perſpexiſſe falſo exiſtimemus, cujus externam ſolum faciem novimus. Sed & gravem eumdem nonnunquam, & graviorem malorum cauſam catarrhum eſſe. Quis eſt, qui ignoret? & quis diverſiſſimas catarrhi ſpecies impune confundet?

APRILIS.

IMPETUOSI venti, & auſtrinæ, ac tepidiſſimæ pluviæ, extremi Martii reliquiæ, in primam adhuc hujus menſis diem deſævierunt.

Inde aura ante exagitata componi, inertiſſima fieri, & incaleſcere multo ſole, ac præfocante.

Diem menſis quintam nox intempeſta excepit, quæ

quæ fulgure crebris tonitribus, ac ſonante demum imbre inhorruit. Dies poſtera denuo pura, tranquilla, malacia eadem, atque æſtus idem.

Die nono turbari cœlum, ſolesque nubibus obſcurari per vices, calores retundi parumper, pluere demum duodecimo cœpit.

Poſt frigus, venti, & triſtis univerſim mador. Dies, qui pulvias non funderet, aut minaretur, ad decimum ſeptimum uſque nullus fuit. Verum:

Hoc die veris amœnitas reverſa reliquum menſis beavit, non niſi paucis pluviis, die vigeſimo octavo cum fulgure cadentibus, interrupta.

Calor auſtrinus major, & pro anni apud nos ratione tempeſtivior, ut idcirco omnia multo maturius, ac aliis annis, germinarint.

Die 8va mercurius altiſſimus 28 poll. 2 l.
Die 28. ——— infimus . 27 poll. $3\frac{1}{2}$ l.
Die 5. calor maximus . —+— $16\frac{1}{2}$ gr.
Die 16. — minimus . —+— $2\frac{1}{2}$ gr.
Calor menſis totius medius —+— $12\frac{2}{3}$ gr.

Inter fœminas hæmorrhagiæ uterinæ crebriores fuerunt, frequentes quoque abortus. Hæmorrhagiæ uteri epidemicæ; epidemici abortus.

Catameniorum enim fluxus non intra paucos, ut antea ſolebat, dies continebatur; ſed eoſdem exceſſit, in plures uſque ſeptimanas. Gravidis vero eo ipſo tempore, quo menſtrua redire, antequam uterum geſtarent, conſueverunt, inter motus febriles, & pariendi conatus ſanguis prorupit, cum fœtus tenelli jactura.

Profecerunt quies, & ſanguinis detractio, & quæ bilioſa ructarunt, miſſo prius ſanguine, utiliter vomuerunt, aſſumta ipecacuanhæ radice.

Itaque id nobis præſidio fuit, adverſus intempeſtivos uterinos fluxus, quod alias eos ipſos ſolet excitare; aliis nempe & temporibus, & fluxus cauſis.

Suffocatio ex inflammatione thoracis.

Pleuritides complures hic quoque menſis nunciavit, bilioſo-inflammatorias. Virorum quidam hoc lateris morbo affecti, domi ſuæ neglecto, ut primum noſocomium attigerunt, perierunt *ſuffocati.* Pulmonem alterutrum inflammatiſſimum habuere, carneum, & ſub cultro ſtridentem, ponderoſiſſimum & tantæ molis, ut ſocius pulmo, utut ſanus, ſuo fungi officio nequiverit, ab alterutrius videlicet pondere & magnitudine compreſſus.

Funera verno tempore crebriora.

Mortes etiam hoc & præterito menſe plures, quam per hyemem, obſervabantur.

Bina exempla referam thoracis inflammati, & mortis inde ſecutæ.

Exempla ſuffocatorum ex pleuritide, & peripneumonia.

Vir 55 annorum, ſtrictiori fibra, & fuſco corporis colore, atque ad id uſque ætatis, ut ajebat, ſemper ſanus, ex Italia, decem ante hunc morbum diebus, huc venit.

Die 21. Aprilis poſt validos labores, & liberalius ingeſtas ſuillas carnes, fumo & ſale duratas, dolore lateris dextri corripitur a criſta oſſis ilei, ad mammam uſque porrecto. Anorexia plena erat, & os amarum, & caput vertiginoſum.

Die 23. dolor lateris, ante acutus & pungens, in obtuſum mutatur, orta mox pectoris oppreſſione ingenti, & anheloſa difficili reſpiratione, ac tuſſi ſputa mucoſa, modiciſſime flava, excutiente; æſtuat, ſiticuloſus, noctu δυσφορει & largiter inſudat.

Ter quaterve quotidie pauca, fœtida, tenuia alvo dimittit.

Die 28. Aprilis ad nos devehitur, citiſſime, laborioſe, ſtertoroſe reſpirans, & ſputa extuſſitans copioſa, ex flavo virentia, tenacia, & fœtidiſſima. Cardia dolet contrectata; extrema perfrixerunt. Pulſus naturali vix celerior,

non

non dejectus; at dejectæ vires muſculorum.

Solo potu theato ſe uſum fuiſſe ajebat.

In Noſocomium ſuſceptus examine morbi vix abſoluto, præſentiſſima mente repente perit.

Pulmo dexter inflammatiſſimus, carneam duritiem diſſectus exhibuit, & colorem ex flavo æruginoſum.

Exigua pulmonis portio ſeptum tranſverſum reſpiciens inflammatione carebat.

Pleura valde inflammata, uti etiam diaphragma, atque hoc quidem magis.

Pulmo ſiniſter ſanus fuit, ſed in anguſtum ab altero vicino ſpatium compulſus.

Venæ cordis diſtentiſſimæ.

Ventriculus ampliſſimus; pylorus quoque perquam amplus & hians; ampliſſimum duodenum.

Jejunum & ileum ſubinflammatum, & lumbricis quam plurimis refertum.

Alter operarius erat 42. annorum, ſanus a multo tempore. Die 19. Aprilis ſub veſperam capite doluit, noctu caluit, inſudavit. Poſtridie inter vagas horripilationes incaluit. Dolor pungens invaſit utrumque latus, a molli utrinque hypochondrio, ad mammas uſque, cum tuſſi ſicca. Die 3tia & 4ta. morbi nihil emendatur. Accedunt leipothymiæ, & anacatharſis glutinoſa. Die 5ta. ad Noſocomium pedes venit. Secta hac die vena, antiphlogiſticis aſſumtis dolor laterum vix ullus erat, & pulſus ferme ſanorum, quemadmodum etiam calor, qui ſub veſperam & noctu pluſculum intendebatur.

Die morbi 8va. pulſus cæteroquin naturalis intermiſit frequenter. Levem pectoris oppreſſionem querebatur, quam jam inde ab aliquot diebus abfuiſſe dicebat, utut identidem male reſpi-

raſſet. Dolorum pungentium exiguæ reliquiæ, & tuſſis non moleſta. Nox implacidiſſima, metus ſuffocationis, tuſſis, & ſputa glutinoſa, ſanguinolenta: fervor, & ſibilus in reſpirando, cum pulſus varia inæqualitate. Die 29. Aprilis ſub veſperam moritur.

Urinæ ſemper erant croceæ, & modice fluentes ſeceſſus. Febris videbatur eſſe exigua; pulſus, & calor propemodum naturales. Verum reſpiratio erat decurtata, abrupta, ac celerata, & facies collapſa. Sermo frequenter interciſus, ob ſpiritus creberrime captandi neceſſitatem, primas morbi dies rectus, atque obambulans, & inter conſuetos labores exegit.

Sectus thorax oſtendit pulmonem dextrum enormis magnitudinis, inflammatum totum quantum, durumque. Diſſectus exhibuit ſubſtantiam ex albido vireſcentem.

Pulmo ſiniſter bonus, ſed uterque vetuſtis atque arctis vinculis ad pleuram religabatur. Pleura omnino ſaniſſima. In pericardio aquæ flaveſcentis unciæ quatuor.

Inteſtinum jejunum & ileum valde inflammatum. Veſiculam felleam multa & tenax bilis maximopere diſtendebat.

Pulſum & calorem, propemodum naturales, in peripneumonia lethali non raro obſervabamus, & mortis certæ ſignum in peripneumonicis, *ſtripitum in thorace inter decumbendum, & velle erectum ſedere.*

Exitus varii inflammationum thoracis; ſcilicet:

Quoſnam eventus inflammati thoracis crebriores obſervarim, hoc loco in illius gratiam referre juvat, qui hiſtoriam morborum thoracis quondam pleniorem, rem hercle difficilem, conſignare voluerit.

Benigne reſolutas pleuritides quam plurimas, per-

perpaucas *anacatharſi judicatas*, pauciſſimas vero *ſuppuratas* videre contigit. Verum de his ſolutarum pleuritidum, & peripneumoniarum modis, cognitis abunde & pertractatis, nil dicam.

Primum mortes narrabo, & earum diverſas in inflammato thorace rationes. Dein vero affectus chronicos eorum, qui ex pleuritide aut peripneumonia (non enim eſt diſpar ratio utriuſque morbi) mortem vitarunt.

1°. Suffocatio a pulmonis inflammati & immeabilis efſecti mole:

Non pauci in morbi vigore *ſuffocati* periere eum prorſus in modum, quo bini illi ægri, quorum hiſtorias paulo ante referebam. Pulmo inflammatus, & impar ſanguini tranſmittendo, atque ſocium pulmonem ſua mole elidens, necem infert. His breviſſima ſpiratio eſt, thorace ferme immoto, fervens, ſtridens cum vano plerumque conatu ſe erigendi, ſedendique, dum identidem in dorſum relabuntur; pulſibus & calore plerumque vix mutatis a ſana conditione: mens aliquoties præſens, plerumque ſubdelirans.

Nonnunquam e lecto ſurgere moliuntur, & erecti minorem aut nullum in reſpirando ſtertorem edunt, quem & in faucibus, & per gutturis decurſum potius, quam intra thoracem obſervamus. Periculum non repente, ſed *pedetentim*, increſcit.

vel vero ex ſubito lymphæ coagulabilis in cavum thoracis confluxu.

Quidam ob aliam rationem in inflammatione thoracis ſuffocantur. His inflammatio repente ſolvitur, lympha coagulabili *ſubito* atque *confertim* in cavum pectoris aut in pericardium ex viſcere inflammato transfudante.

Hæc prava metaſtaſis phlogiſticæ lymphæ repente nonnunquam in iis eſt facta, quibus morbus non negligebatur, quive aliquam ſalutis ſpem jam conceperunt. Eam autem actu fieri augurabamur, ſi cui thoracem inflammato, neque peſ-

ſime habenti, & diligenter curato, ex improviſo ſpiritus difficillime, celerrimeque, atque nonniſi erecto: aut inter ſedendum, antrorſum inclinato corpore, trahi cœpit, cum pulſuum tenuiſſimorum celeritate, & frigore extremorum, & facie Hipocratica; pereunt haud multo poſt a *ſpurio* hoc empyemate ſuffocati.

Servari forte tales poſſent, thoracis paracenteſi mox inſtituta, & lympha, priuſquam in coagulum abiret, educta.

2°. Hydrothorax Inflammatorum & ejus effectus.

Alios hydrothorax, aut collectum in pericardio ſerum, enecuit, utut inflammatio thoracis fuerit ſanata. Frequens enim obſervatio docuit, pulmone inflammato, intra cavum thoracis aut pericardium ſerum colligi, cujus exiguæ portiones a ſanato fortaſſe pulmone, aliarumque ambientium partium reſorbentibus vaſis excipientur, in communem denuo humorum maſſam reducendæ. At vero major ejuſdem ſeri collectio hydrothoracem efficiet, aut ſubito ſuffocantem, aut diuturnum.

Inferius occurret exemplum, hydrothoracis cum peripneumonia conjuncti, ubi aquæ ſtrangulantes perforato thorace emittebantur.

3°. Pulmonum vincula, cohæſiones, & quæ inde conſequuntur.

Ægritudines quoque diuturneæ inflammationem pectoris ſequuntur, variæ, & incurabiles pleræque.

Non raro pulmo religatur ad pleuram. Id genus cohæſiones, laxiores, & ſtrictiores, quam plurimas in cadaverum ſectione deprehendi, quin ægri læſam, dum viverent, reſpirationem incuſaſſent.

Quidam tamen hos nexus pulmonum cum partibus vicinis ægrius tuliſſe videbantur; fortaſſe recentes, & quibus nondum eſſent aſſueti.

Frequentius pulmo reperitur, quaſi ſacco coria-

riaceo, craſſo, atque e variis quaſi membranis, ſibi invicem ſuperſtratis confecto, circumdatus, atque in anguſtum ſubinde ſpatium concluſus. Saccus hic hinc pleuræ, illinc ipſi pulmoni nectebatur, ut ab utroque difficulter ſolveretur. Pollicis craſſitiem ſubinde habuit, atque etiam hac majorem. Subſtantia tenax, coriacea, ſubinde ferme cartilaginea, fuit, & aliquoties pro pleura incraſſata impoſuit.

Vaſa ſanguifera ex vicino vel pulmone, vel pleura in ipſam ſacci ſubſtantiam porrigi videbantur. Natum hoc corium arbitrabamur ex lympha coagulabili, expoſita ante ratione tranſſudante, ſed cujus minor quantitas fuerat, quam quæ ægrum potuiſſet ſuffocare.

Membranæ ſibi invicem impoſitæ non unius erant tenacitatis, ſed intimæ firmiores, extimæ minus firmæ, & quæ ex nupero morbo naſcebantur adhuc gelatinoſæ: poteras ex numero ſtratorum ferme de numero pleuritidum prægreſſarum concludere.

Membranaceus hic ſaccus pulmonis explicationi non potui non inſigniter obſtare, præcipue ſi liberalius inſpiraretur. Hinc anguſtiæ & coarctationis in alterutro thorace ſenſus, cum aliquo, ſed obtuſiori lateris totius dolore; ſi quando motus humorum incitaretur, exercitatione corporis majori, vel febre. Hinc omnis febrilis morbus in homine ſic prædiſpoſito ab illius lateris dolore orditur. Hinc illa quoque in pleuritidem ejuſdem lateris proclivitas major identidem, majorque, ob pulmonem ibi loci minus pervium, & explicabilem minus.

His antiphlogiſticam vivendi rationem conſulebamus, etiam ſanis, uti ita morbi inſidias vitent, tam frequenter & inopinato incurſantis: præſen-

tis vero initia venæ ſectione repreſſimus.

Hydrothoracem inflammationum thoracicarum commilitonem ſupra commemoravi, enecantem ſubinde, plerumque tamen ſanata inflammatione pedetentim evaneſcentem. Is nihilominus diutiſſime viſus eſt perſtare, & conſuetis aquarum intra thoracem collectarum ſignis prodi.

4°. Pulmones granuloſi poſt inflammationem, & inde natum aſthma.

Quam plurimos pulmones diſſecabam, *granuloſos*. Granula minuta, miliformia, alba, lardi, aut millioris cartilaginis, firmitatem habentia, ſubinde cavata, & modiciſſimum laticem aquoſum continentia, per omnem pulmnnum ſubſtantiam largiter diſſeminata, & propemodum contigua reperiebantur. Pulmo ponderoſior erat, difficulter ſecandus, & ſtridens ſub cultro. Inter omnia pulmonum vitia hoc omnium frequentiſſimum offendebatur; pleuritidis, peripneumoniæque olim male judicatæ indicium.

Granulorum geneſin hanc animo concepi; lympham nempe coagulabilem non, uti antea dicebam ſubinde fieri, in cavum thoracis confertim exſudaſſe, ſed e vaſis quidem egreſſam, diviſam vero per omnem pulmonum ſubſtatinam fuiſſe, ut innumeræ fuerint, minutulæque coagulabilis liquoris collectiones; quæ dein ſingulæ in corpuſculum ſolidum, grano milii non abſimile, eadem ratione coierint, qua coagulari illa copioſior lympha ſolet, in cavo thoracis collecta.

Tuſſiculoſi, aſthmatici, proniſſimique in novas inflammationes erant, neque ullum, niſi ab antiphlogiſtica methodo, levamen experiebantur, qui pulmones ita affectos habuerunt.

MA-

MAJUS.

INITIUM Maji incaluit calore peramœno, & paucis ſubinde pluviolis, deinde & ventis, temperato.

Diei decimæ octavæ præfocantem æſtum nocturnus imber exſtinxit. Denuo ſiccum, ſerenum, calore non intenſo.

Diem vigeſimam tertiam perplutam madidiſſima nox & frigus multum excepit; inde cœlum inconſtans vento & pluviis frigidiuſculis inhorruit, donec ultimus menſis dies amœniſſimo verno ſole recrearetur, aura mane duntaxat & veſperi frigeſcente.

Die 20. altiſſima mercurii ſtatio 28 poll. 2 l.
Die 1. infima. . . . . 27 poll. $4\frac{1}{4}$ l.
Die 18. calor maximus. . + 21 $\frac{1}{2}$ gr.
Diebus 2. 8. 23. 24. 29. 30. minimus. . . . . + 9 gr.
Calor menſis totius medius. + 15 $\frac{1}{5}$ gr.

Etiam hoc menſe abortus contigerunt, & catamenia profuſiora, multo tamen rarius, quam ſeptimanis prægreſſis.

Plurimæ fluxiones ſub menſis prioris exitum, & hujus initium, ad fauces, lumbos, acetabula, femoraque, non difficiles, cum levi ſubinde inflammatione, plerumque autem originis gaſtricæ, fuerunt. Crebra defluxio.

Scarlatinæ aliquot *inflammatorio-gaſtricæ*, & paucæ pleuritides *inflammatorio-bilioſæ*, verum catarrhi multi; multis difficiles ſanatu, non vero nobis. Aliquot ſcarlatinæ, pleuritis rara & intermittentes plurimæ.

Toto hoc menſe plurimæ febres tertianæ occurrebant, quarum initia referri debebant ad medium menſis prægreſſi.

JUNIUS.

DIES primi æſtuoſi, & pigerrimum cœlum, atque nonniſi a tepidiſſimo auſtri flatu per intervalla tenuiter perſtrictum. Carebaria. Atonia.

Die 5ta. a meridie pluvia conferta, auſtrina, calidiſſima, pulverum ab aridiſſima terra evolantium nubem, quæ urbi atque ægro ambienti incubuit, decuſſit.

Denuo ſiccitas, ananemia, & aſſidui ſoles ad decimam ſeptimam uſque; ſi diem undecimam & duodecimam exceperis, utramque deliteſcente per vices Phœbo frigidiuſculam. Decima tonitrua.

Reliquum menſem rebus in contraria verſis quotidiana propemodum pluvia, & auræ aſperioris inclementia multum offendit.

Ultimum biduum ſerenum: venti: tonitrua.

Die 9. barometron altiſſimum 28 poll. 1 $\frac{1}{2}$ l.
Die 16. & 30. maxime depreſſum 27 poll. 8 $\frac{1}{2}$ l.
Die 8va. calor maximus . . + 22 gr.
Die 17 & 21. minimus . . + 9. gr.
Calor medius . . . . + 17 $\frac{3}{10}$ gr.

Scarlatinæ plures, nobis non malignæ.

Pau-

Paucæ quædam bilioſæ, aut ſimplices, aut cum exanthemate eryſipelatoſo, petechiali, vel vero cum artuum rheumatiſmo.

Intermittentes hoc menſe plures, & paulo pertinaciores erant, quæ tamen americano febrium domitore non egebant.

Intermittentium numerus, pertinacia, & acceſſiones auctæ.

Sub finem menſis febres tertianæ hucuſque ſimplices, abierunt in duplicatas; ſolis tamen ſolventibus, atque emeſi confectas, abſque herculis americani clava.

Morbi in univerſum non multi fuerunt, & aliis, aliarum æſtatum morbis non diſſimiles.

Intra ſolas *plerumque diatheſes morboſas* conſiſtebant.

Synochi putres rariſſimæ, ſporadicæ, & decurſus tardioris. Unica ſolum cholera comparuit, atque unica dyſenteria.

JULIUS.

TERRA pluviis biduo irrigata, urgeri dein calore æſtivo cœpit.

Die 12ma. ſol occultari, dein modice pluere, atque aura refrigerari.

Inde & ventorum quies, & æſtus inſurgens indies augeſcebat; incumbente paſſim inerti languore, quem auræ meridianæ leniſſimum flamen vix recreabat.

Die 18va largus imber malaciam diſcuſſit, caloribus aliquantum repreſſis.

Ultimum biduum, cum pridie cœlum tonitruans pluvias dediſſet, moderatius urebat.

Die

Die 6. & 13. maximus mercurii aſcenſus 28 poll. 1 l.

Die 20. maxima depreſſio 27 poll. 8 $\frac{1}{2}$ l.

Die 25. 26. 28. calor maximus + 27 gr.

Die 12. minimus . . . . + 13 $\frac{1}{2}$ gr.

Calor medius . . . . + 21 $\frac{1}{10}$ gr.

Febres remittentes, & intermittentes cum vomitu, item cum cephalalgia periodica.

Quædam febres *urticatæ remittentes* comparebant, quæ paucas poſt dies *intermiſerunt.*

Plures etiam hoc menſe intermittentes habuimus tertianas. Harum aliquæ acceſſionis loco vomitum habuerunt, tertia quovis die revertentem, aliæ vero ſub graviſſimo occipitis dolore omni triduo redeunte diliteſcebant.

Curabantur pleræque ſolis ſolventibus, & dein emeſi. Paucæ, hac methodo cicuratæ, tandem cortice peruviano indiguerunt.

Non multæ ſcarlatinæ, noſtris ægris non periculoſæ.

Morbilli irregulares.

Morbilli paſſim, frequenter anomali, ob febrim æſtatis complicatam; non lethiferi, ſed aptæ curationis patientes.

Dyſenteriæ præludia, & choleræ quædam, aliorum æſtatis morborum medicatrices.

Dyſenteriæ hinc inde, & hucuſque leves.

Perraræ choleræ, ſanatu facillimæ, cum ſe ipſæ ferme ſanarint. Choleram plerorumque morborum æſtatis graviorum antidoton ſalutabamus, & *emeto catharticum medicatricis naturæ.*

Poſt menſis initium aliquot ſimplices bilioſæ *ſemiacutæ* viſebantur.

Colica ſaturnina frequens hoc menſe.

Colicas ſaturninas plures hoc tempore curabamus, commixtas cum populari æſtatis vitio. Hinc rarius opio indigebamus, frequentius emeſi, aut purgatione, frequentiſſime vero utroque hoc præſidio opus fuit, evacuatione præmiſſa, & narcotico ſubjuncto.

Nu-

Numerus univerſim hoc menſe ægrotantium non valde magnus.

AUGUSTUS.

PRIMUM menſis diem, pluvium, frigidumque, plures ſunt ſecuti nubibus obſcurati, & aſpero vento, & frigidiore inamœni ad ſextum uſque. Inde ſole puro torreri tellus, indies magis ſiticuloſa, & vix ſubinde pluviolis meridianis leviſſime conſperſa. Ananemia : malacia : carebaria a calidiſſimo & effœminante auſtro, ſubinde, tenuiterque flante. Siccus ubique ſquallor.

A decima ſexta contrahi cœlum, & ventis primo temperari, dein etiam aſperari, perſiſtente ſiccitate.

A vigeſima prima meridies plurimum iterum incaluit; horis matutinis & veſpertinis acute frigidis.

Tellus fiſſa ubique rimas egit, exareſcens ob longam penuriam aquarum, donec ultimum quatriduum, nubibus, & vento matutino frigidiore contriſtatum, pluviæ clauderent & madens nebula.

Hoc menſe magnæ, & ſubitæ factæ ſunt mutationes æſtus enormis, ſicciſſimique, in frigus primo ſiccum, deinde pluvioſum.

Die 18. 19. altiſſima ſtatio 28. poll. 3 ½ l.
Die 31. infima . . . . 27. poll. 8 l.
Die 14. 15. calor maximus + 26 gr.
Die 29. ——— minimus + 10 gr.
Color medius . . . . + 19 ½ gr.

Or-

Ordiente hoc menſe choleræ & dyſenteriæ paulo plures, quam elapſis ſeptimanis, ſunt viſæ univerſim tamen non multæ, crebriores vero utriuſque morbi *conatus*.

Dyſenteria vulgatur.

At poſt initium Auguſti dyſenteria increbeſcere cœpit, & menſe vergente non pauci ex hoc morbo pernicioſe habuerunt; per eamdem tempeſtatem *tormina ſicca* graſſata ſunt, cum eodem plane vitæ diſcrimine, ac ipſa difficultas inteſtinorum.

Dyſenteriæ hujus anni naturam inferius deſcriptam dabo.

Febris hujus menſis deſcriptio.

Febres per hoc tempus plures, & inflammatorio-putridas curabamus. Pleræque longiores fuere, & ægros alvi fluxu vexabant. Continuitas earum major, minorque & obſcurior remiſſio. Vomuerunt, qui ea febre tenebantur, dato emetico, mole pauciora, pituitoſiora, laborioſius, & cum minori emolumento. Stupidiores jacebant pulſu, & corporis calore non multum a ſanis recedente, & multo minus, quam in febribus menſium præteritorum, ſi utramque hanc qualitatem admota manu examinaveris; utut calere ſe valde, & uri ipſimet ægri teſtarentur.

Virium deperditio magna, & linguæ arentes, contractæ, fuliginoſæ, ligneæ, tremulæ, & quas porrigere nequiverunt: dentes, gingivæ, labia fumoſo muco, atque in fila ductili oblinita; dolor, aut tenſio, aut pondus, abdominis totius.

Urinæ aquoſæ, mucoſæ, & cum hypoſtaſi multa, atque mucoſa. Arida, atque imperſpirabilis cutis erat.

Mares multo plures hoc morbo detinebantur, & præ fœminis eluctabantur laborioſius.

Circa ultimos menſis dies quædam corporis partes peculiarius affligebantur, pulmo potiſſimum,

ut pleuro-peripneumonice incœperint ægrotare, dein glandulæ ſubmaxillares thyroidea, parotis, artus demum ſuperni, & eorum extrema. Vividiſſimus in hiſce plagis non raro dolor fuit & eum tumore, *emolliente* remedio primum delinitus, deinde vero *diſcutiente* profligatus.

Sub finem menſis etiam fœminæ pari cum viris numero, & periculo non minori, & eadem prorſus ratione ægrotabant.

Circa medium menſem multæ intermittentes exortæ ſunt, tertianæ præprimis, ſimplices, & duplicatæ, acceſſionibus omnes plurimum productis, encephalo inimicæ, apoplecticæ, epilepticæ, phreniticæ. Intermittentium hujus tempeſtatis natura.

Solventium, antiphlogiſticorum & ipſius phlebotomiæ in *his intermittentibus* neceſſitas erat, ſi quando, quod ſæpe evenerat, in *remittentes*, aut etiam in *continuas* inciperent converti, aut ægros tenerent robuſtiores. Sed tandem cortex peruvianus ſubjungi plerumque debuit, & multo frequentius hac tempeſtate, quam præcedentium quorumdam annorum æſtatibus.

Minus erat hoc anno ab emeſi, utut indicata, levamen obſervatum.

SEPTEMBER.

CŒLUM nubibus, pluviis, ventis frigidis, & nebulis depluentibus triſte, vix tandem 13tia menſis ſe reficere, & depurari cœpit, perſtantibus porro ventis, frigore, & nebula tenuiore.

Poſt

Poſt 20. octiduo aura purior, & ſoles valentiores.

Finis initio par.

Dominabatur frigus boreale, ut plerique hoc anno, qui per æſtatem ruri degebant, maturius urbem hybernaque petierint.

Die 20. 21. aſcenſus mercur. maximus . . . . 28 poll. $4\frac{1}{2}$ lin.
Die 8. 27. minimus . . 27 poll. $6\frac{1}{2}$ lin.
Die 27. calor maximus . + 27 $\frac{1}{2}$ gr.
Die 30 — minimus . + 8 gr.
Calor medius . . . . . + 14 $\frac{8}{10}$ lin.
Aurora borealis diebu 15. & 21.

Morbi iidem omnino hoc menſe conſpiciebantur, qui circa medium Auguſtum, ejusque finem, niſi quod plus habuerint phlogoſeos Septembri menſe, quam elapſis ſeptimanis.

Hoc anno plures & graviores *dyſenteriæ* obvenere; ſed anno elapſo numeroſiores erant *diarrhææ*; ut vix ulla tunc febris fuerit abſque fluxu alvino.

Æſtatis anni prioris cumparatio cum anni hujuſce æſtate.

Hoc anno encephalon & ſæpius, & cum diſcrimine majori in febrientibus ægrotabat; unde febres *ſoporoſæ*, *furioſæ*, *apoplecticæ*, & *catalepticæ*. Pæterito autem pulmo frequentius morbi impetum excepit; unde tuſſes febricitantium peripneumonicæ paſſim, & frequens phthyſis, ſunt viſæ.

Hoc anno major, non in continuis ſolum, & remittentibus, ſed etiam in intermittentibus phlebotomiæ tolerantia, quin, & neceſſitas fuit, minor vero emeſeos, quæ ſerius inſtitui debuit, & inſtituita morbum cicuravit quidem non profligavit.

Continuæ hoc & præcedente menſe non multæ, plu-

plures vero *remittentes*, *quotidianæ*, *tertianæ*: exacerbatio plerumque ab horrore non incœpit, nec deſiit inter ſudores. Solus perſæpe calor acceſſionem formabat.

Remittentes hæ rarius hac æſtate in intermittentes convertebantur, & ſi etiam in has converſæ fuerant, tamen difficulter curabantur.

Aliarum quoque intermittentium febrium curatio plus nobis negotii fecit, quam aliis annis, & rarius abſque ſpecifico antifebrili expugnabantur.

Verumtamen, etſi cortice peruviano indigerent *intermittentes* pleræque, nihilominus vel huic remedio tardius & moroſius auſcultabant, atque ita, ut febrim *ſoporoſam* unam eamque quotidianam, itemque aliam *catalepticam* tertianam ſanare, utut largiſſimis doſibus corticis peruviani nequiverim; & ægri, fœmina una in octavum menſem gravida, alter vero Hortulanus, in paroxyſmo perierint.

Quorumdam febris *intermittentes* propinato cortice peruviano denuo in *remittentem*, & tandem in *continuam* abiit, ſolventibus, emeſi, & infuſo — decocto radicis arnicæ ſanandam.

Remittentium, & intermittentium acceſſiones alieno & periodico ſymptomate occultabantur, erantque varia ratione *larvatæ*, *regulares*, *irregulares*, *rheumaticæ*, *dyſentericæ*, *ophthalmicæ*, *cholericæ*, *ſoporoſæ*, *apoplecticæ*, *phreniticæ*, &c.

Caput hoc anno & partes eidem vicinas peculiarius impetitas, ſupra dicebam. Hinc parotides variæ viſæ ſunt, *inflammatoriæ*, *eryſipolatoſæ*, *œdematoſæ*, ſeu *aquoſæ*, (quæ nempe adpreſſi digiti veſtigium retinuerunt) *difficilius reſolvendæ*, ſæpius *ſuppuratæ*; profluente multo, tenui, & vireſcente ichore, qui lintea atro colo-

re, velut atramentum infecit, diutius ibidem relictus. Frequentior quoque fuit hoc anno tumor genarum, glandularum ſubmaxillarium, eryſipelas palpebrarum, ophthalmia, hemicrania, dolor faucium, nuchæ, gutturis, &c.

Hac tempeſtate capiti adeo inimica, menſibus nempe Auguſto & Septembri, duo ſolummodo operationem cataractæ ſubierunt, & quibus hæc operatio menſe Junio atque Julio auſpicato fuerat inſtituta, eorum quidam viſu illæſo poſthac gaudebant; cum alii, etſi belle ſanati, menſe Auguſto & Septembri in longas & difficiles defluxiones inciderent; quidam etiam genæ tumore, hemicrania, ophthalmia, & febre corriperentur, & viſum, quo jam diutius integro utebantur, denuo amitterent; iride flaveſcente, pupilla contracta, cornea nubilioſa, & nata cataracta ſecundaria: ac ſi febris ſuperveniens præprimis in oculo figeretur, ex operatione nupera adhucdum debiliore.

Anthraces hac æſtate multo rariores erant, quam anno elapſo.

Corium ſanguinis phlebotomia educti cæruleum, gelatinoſum; ſub menſis finem vero contractum, tenax, & fimbriatum fuit, cum ſymptomatibus morborum pleuriticis.

Vergente menſe dyſenteriæ ſolum hinc inde comparuerunt.

Hæc æſtas morte multiplici, varioloſa præcipue, ita infamis fuit, ut initio calculo decimum quodque funus a variolis eſſet. Æſtate vero priori pauci, iique ſolum ex morbis longis, atque ex iis, qui omnium horarum ſunt, perierunt.

OCTO-

OCTOBER.

PRIMO Octobris die ſereno, frigidiore veſperi nubes congregari, & pluere inter tonitrua: inde ex continuis nubium, pluviarum, ventorum turbis.

5ta. ſol demum emerſit, qui ſubſequentium dierum horas meridianas recreavit, diſcuſſa pingui nebula matutina.

Dies nona a calentis auſtri flatu multum intepuit. Parcæ & tepidæ pluviæ per biduum.

A 12. frigus incubuit ſiccum, acutum, boreale, donec 21ma. tepidus & gravis auſter cum aquilone vices verteret, & aura maderet, & pluviæ ſubinde ſtillarent.

27. & 28. tranſparens nebula cum pruina, & ultimos menſis dies multus frigidus humor notabat.

Prævaluit hoc menſe mador, utut non multum, isque plurimum modices frigidus, atque ita, ut humor, ſiccitas, frigus, calor, diverſimode ſeſe exceperint, ac contemperarint: mutationibus non repentinis, neque magnis.

Omnium tamen ratione ſubducta prævalere viſus eſt mador frigidiuſculus.

Die 30. 31. mercurius altiſſimus			
		28	poll. 1 lin.
Die 25. ejus infima ſtatio		27	poll. 3 lin.
Die 8. calor maximus .	+	14	gr.
Die 17. 18. 28. minimus	+	$1\frac{1}{2}$	gr.
Calor medius	+	$9\frac{2}{3}$	gr.

Quartanæ multæ quædam quintanæ.

Circa initium & medium menſis febres quartanæ multæ, una alterave quintana, atque tertianæ nobis oblatæ ſunt, poſt exordium Septembris natæ.

Item putrido-inflammatoriæ inter fœminas viguere, non plurimæ tamen, nec perquam periculoſæ; *rarius* præterea & *mitius*, caput petebant, quam menſe elapſo.

Colicæ quædam ex inflammate ſaburra, & tormina ſicca, poſtquam alvini fluxus vergente Octobri ceſſarent, plures obvenerunt.

Sub exitum menſis vix ulli morbi acuti, nec graves, fuerunt.

Binis his autumni menſibus frigus principatum tenuit; primo ſiccum, deinde paulo humidius. Mutationes *ſubitaneas* habuimus nullas, paucos ægros, perpaucas acutas, mortes raras.

Quidquid ferme morborum occurrebat, id potiſſimum quartana fuit, ſimplex, duplicata, triplicata.

NOVEMBER.

PER ſex continuas dies ſiccum & mediocre frigus fuit.

7ma. confertiſſimæ pluviæ. Inde leve frigus, pluviolæ raræ, ſol & ſerenitas alternabant uſque ab medium Novembrem.

Ab eo tempore nebulæ ſpiſſæ, pingues, & depluentes omnem ferme conſpectum cœli eripuerunt.

25ta. ſolem denuo reduxit, cum eoque amœnitantem ευδιαν & auræ temporem perſiſtentem.

Ul-

Ultima nebulæ in pluvias colligebantur.

Die 2. altiſſimus mercurius . .	28 poll.	4 l.
Die 12. infimus	27 poll.	5 l.
Die 26. calor maximus	+ 11 gr.	
Die 22. 23. frigus maximum . .	— 1 gr.	
Calor medius	+ 6 gr.	

Circa initium menſis aliquot pleuritides curabamus. Pleuritides menſis Novembris.

Sputa cruenta; dolor initio exiguam lateris plagam, deinde vero diffuſus latiſſimam occupavit. Sputa tenacia, pendula, multa, lineis cruentis diſtincta, ſubinde herbacea, porracea, cruſta in educto ſanguine craſſa, tenax, vireſcens, flava, diffuſa, non fimbriata. Os omnibus amarum. Omnibus vomitio adfuit ſpontanea,ললbilioſa, aſſumtorum: alvi reſiccatæ: lingua ſordida, albida: os quaſi ſpuma ſoluti agitatique ſaponis plenum. Febres intenſæ, & inſigniore quotidie acceſſione notatæ; calor digitos tangentium urens, urinæ mox initio morbi hypoſtaſin furfuraceam, lateritiam habuere.

Erant pleuritides veræ, inflammatoriæ; verum aliqua labe bilioſa contaminatæ. Phlebotomiæ & uſus emollientium morbum levarunt, fregerunt. Attamen ſero tandem, morbo nempe provecto, & inflammatione fracta, bilioſo autem vitio inſurgente vomitio arte concitata mirifice juvit.

Perpaucæ harum pleuritidum, hoc modo curatarum, in intermittentes deſierunt.

Quibuſdam decimo quarto morbi hujuſce pleuritici die primum ad nos allatis, & nullo ad id uſque remedio uſis, ſputa prodibant plurima, pinguia, purulenta: febris vix ulla jam, & evaneſcens: amaror oris; & ſubinde ſpontanea bilioſa emeſis: noctu moleſta tuſſis, & ſudatiunculæ nocturnæ. Phthyſeos minæ.

His parca v. ſ. profuit, & potus primo emolliens, nitroſus, ſubacidus, & tandem emeticum lenius; niſi ſi forte vomuiſſent ſponte.

Demum aut lichenis iſlandici aut poly galæ vel vero corticis peruviani, decoctum propinabam. Convaluere non multo poſt, ſi vetulam exceperis ſtrigoſam, excarnem, lotricem, quæ ſputorum purulentorum maximam vim, noctu potiſſimum, unaque vitam, extuſſitabat.

Chloroticarum quarumdam febris continua.

Quædam fœminæ hoc menſe, eæque χλωρόπεραι, ex febre continua decubuere ſurdaſtræ, ſtupidæ, immobiles, taciturnæ, & veluti jamjam dormituræ; pulſibus & urinis, aut non omnino, aut modiciſſime, mutatis; genis rubentibus, aut utriſque, aut alterutra, altera vireſcente, utroque hoc colore inſtabili; ambitu narium vireſcente; linguis humidis, ſæpe prærubris, raro ſiccis, nunquam ligneis. Hæ febres nullas habebant acceſſiones, erantque continuæ. Odorem aceti acerrimi omnes ſpirabant, cum ad nos venirent, nares vel procul adſtantium ferientem.

Non poteram advertere quanam ratione, & qua criſi, ſolverentur.

Sub finem morbi tuſſis acceſſit, ſicca, nocturna, reſpiratione illæſa, & indolente.

Convaluere omnes intra 14. & 20. dies.

Hæc febris ſtimulos non tulit, niſi ſubinde, & ſerius & blandos. Nonnunquam avara manu initio pauxillum ſanguinis detraxi; præcipue ubi eum difficilius per pulmones tranare adverti. Pleriſque una ſaltem vice radicem ipecacuanhæ dedi. Urgentioribus obviam itum eſt, & febris ita attemperata, ut ſe ipſa tandem confecerit. Florum arnicæ decoctum pleriſque multum opis tulit.

Tres

Tres fœminæ febriculam querebantur vagam, aut veſpertinam, oris amarorem, deperditam orexin. Orto repente exanthemate ſcabioſo, levari viſæ ſunt. Vomuerunt bilioſa propinato emetico. Febris omnis abſterſa eſt, & efflореſcentiæ exaruerunt. Exanthemata ſcabiem referentia.

Medio menſe paucæ anginæ, & rheumata brachiorum.

Sub ultimos Novembris dies pulmones maxime tentabantur tuſſi multa, gluten excutiente. Hinc febres putridæ, continuæ; utut perpaucæ fuerint hac tempeſtate; febres quoque remittentes, & intermittentes, ocyus, ſerius, tuſſim ſibi ſociam junxere, diu durantem, etiam in convaleſcentibus, cum metu phthyſeos, ſed vano.

Queis pulmo laxior erat, fœminis, lotricibus, olim hæmoptoicis, hæc tuſſis præcipue inimica fuit, ſubinde pernicioſa.

Sub hæc ultima menſis tempora catarrhi, peripneumoniæ nothæ, aſthmata, phthyſes pituitoſæ fuere frequentiores.

His noctes erant inviſæ, & tuſſitando peractæ.

Rheumatiſmi complures, veſpertini, nocturni inſtar rheumatis ſyphilitici, longi, ſanatu difficiles. Anginæ ejuſdem indolis cum rheumatiſmo.

Venæ ſectione præmiſſa, leniora purgantia, & non raro emeticum, præſidio fuere.

Quoſdam, irritis & hiſce, & aliis quam plurimis remediis, conſervæ herbarum antiſcorbuticarum ſanarunt.

Uni alterique febrienti brachium rheumate tentatum pus fecit, copioſum, tenue, vireſcens. Convaluerunt.

Quidam id genus anacatharſin ſunt paſſi, lon-

gam nempe, & tenuem, & vireſcentem. Phthyſeos inchoantis ſpecies erat, cui lichen iſlandicus medebatur.

Morbi tamen univerſim non plurimi, & non lethales.

Mortes quædam hominum, jam antea & diu phthyſicorum.

DECEMBER.

PRIMO quatriduo frigus nebuloſum.

5ta. nives toto die cecidere, quæ vix biduum ſuperarunt, colliquefactæ tepido madore. Inde vero frigus moderatum ſiccumque perſtitit ad 18 uſque, quam pluviæ & nebulæ obſcurarunt.

Ab eo tempore frigus mediocre, ſiccum, ſerenum, ventoſum per totum reliquum menſem. 24ta nives, ne quidem ephemeræ, ceciderunt, atque iterum ultimo menſis die.

Die 25. mercur. altiſſ. . . . . . 28 poll. 7 lin.
Die 30. ejus maxime depreſſio. . 27 poll. 3 lin.
Die 10. calor maximus. . . + 11 gr.
Die 4. & 25. frigus maximum — $\frac{1}{3}$ gr.
Calor medius. . . . . + 5 gr.

Iidem morbi, qui ſub exitum Novembris paſſim ſunt viſi, hunc etiam menſem notarunt; numero pauci, & raro pernicioſi; vix ullæ febres continuæ hæque phlogiſticoteræ; ſed rheumata plura, quædam ſupra modum rebellia, nec niſi mora, & ordine temporum mutato potius, quam arte, ſanata; eryſipelata quoque plura.

Rheuma frequens & pertinax.

Chlo-

Chloroticæ complures ; pituitam acidam item-que aſſumpta vomebant. Pejus hoc menſe habue-runt id genus ægræ. Chloroſes.

Febricula , cardialgia , palpitatio cordis , & difficilis , ſi movebantur , ſpiratio erat.

Dabatur remedium ſolvens , ſalinum ; deinde ipecacuanha , tandem conſervæ trifolii fibrini , & cochleariæ , cum pauxillo rhei , radice gentianæ , floribus ſalis ammoniaci martialibus hos fœdos virginum colores emendarunt.

Quartanarii complures , qui morbum adulta æſtate , aut initio autumni contraxerunt , primum hoc menſe nos acceſſerunt. Corticem peruvianum aut non ferebant omnino , aut nonniſi ſero , & remediis multis ſolventibus præmiſſis , & emeſi celebrata. Tandem dari quibuſdam cortex potuit , ita tamen , ut ſilente paroxyſmo deſiſti debuerit , ob tumorem præcordiorum , tuſſes &c. & ſolventium , aperientium uſus reſumi. Quibuſdam quartana in continuam eſt verſa , cortice propinato. Quartanæ.

Præſtabat , exhibito electuario ex conſerva naſturt. aquat. trifol. fibrin. ſale ammon. aut floribus ſal. ammon. martialibus & extracto abſynthii parato , febrim lente conficere. Conſultius fuiſſet , flores arnicæ exhibere , ſed quibus contra quartanas hoc anno nondum utebar.

Phthyſes plurimæ , utique non conſummatæ , ex catarrho æſtivo , & autumnali neglecto. Initia phthiſeos

Quidam ex longo id genus catarrho hæmoptoici ſunt facti. His primo phlebotomia una , quin & altera profuit , & diuturnus ſolventium , emollientium uſus : Plerique his ſolis convaluerunt : Nonnullis ſolummodo , ſero tandem , ſublata nempe pulmonum phlogoſi , & ſuccis autum-

ni ſpiſſioribus attenuatis, dilutisque, lene ſubinde emeticum, tuſſim una, & hæmoptoën ſedavit. Lichene iſlandico, & polygala, contra relapſum præmuniebantur.

SEC-

SECTIO II.

EPHEMERIDES

ANNI 1779.

JANUARIUS 1779.

QUÆ die hunc annum ordiente nives delapſæ ſunt, perſtitere, exiguis hinc inde proventibus auctæ. Urens gelu, & ſiccum perpetuo fuit, cœlo plerumque ſereno. Extrema vero menſis tempora aliquantum erant nebuloſa, & nubiloſa.

Die 23. merc. altiſſim. . 28 poll. 7 lin.
Die 1. infima ejuſdem ſtatio 27. poll. 2 lin.
Die 9. & 24. frig. maximum — 10 gr.
Die 1. & 21. calor maximus + 3 gr.
Calor medius . . . . . — 2 gr.

Quidam hoc menſe ad nos venerunt cum irradicatis quartanis; cum ſæpius uſus eſſem conſervis naſturtii aquatici, & trifolii fibrini ā unc. ij. cum pulv. rad. gent. & flor. ſal. amm. mart. ā. dr. ij., & non pauci curarentur, quidam vero non emendarentur, nec a cortice, nec a conſervis his; hinc dedi ſequentes pillulas: ℞. Sapon. venet. unc. S. Gum. amm. dr. iij. maſſæ pil. Ruff. dr. S. Elix. propriet. q. ſ., ut fiant pil. gr. iij. ter per diem pil. quatuor ſumat. Statui, præcipue in fœminis, HAENIANA methodo uti, quam is ſcilicet adhibuit *in omnibus fere* fœminarum morbis, iis nempe, qui laguidiori humorum, eorumque ſpiſſiorum, motui debebantur

tùr (& quod illarum morbi huic cauſæ non debentur ?) fauſto hæc omne dedit, in perquirendis morborum chronicorum cauſis mire ſagax, & in iis ſanandis multo felicior, quam in acutis.

Reſpirationis vis quanta ſit ad vitam, vel mortem, & quam ſecuras juſta illiùs æſtimatio prædictiones ſuppeditet, hoc menſe aliquoties vidi. Reſpiratio abbreviata, & ſimul accelerata, ita, ut inſpirationes & expirationes puſillæ ſint, ſeque cito inſequantur, peſſima eſt, licet omnia alia bona eſſe videantur: quandiu tam in putridis, malignisque, quam etiam in inflammatoriis thoracis morbis talem reſpirationem non videro, non deſpero; at, ea præſente, neminem vidi convaleſcere.

Ea ita brevi, citataque exiſtente, utut bonus, & vix celerior naturali pulſus ſit, nil eſt ſperandum.

Si in peripneumonia, aut pleuritide inflammatoria, immo in cujuſcumque viſceris inflammatione repente reſpiratio curta, & celeris evadat, (quo tempore pulſus multum ſolet emendari, minus celer, & debite mollis fieri,) mors oſtia pulſat. In cadaveribus horum reperitur inflammatio ex magna parte ſoluta; ſero nempe *copioſe*, & *ſubito* in cavum quoddam, aut thoracis, aut pericardii, aut abdominis, tranſſudante. Subita talis mutatio in pleuritide eſt illa funeſta pleuritidis in peripneumoniam metamorphoſi: inde mors ſuffocans.

Vidi puellam ruſticam in febre maligna pulſus *evaneſcente* per duos fere dies jacentem, at placide reſpirantem: veſicantibus, & *magnis* doſibus camphoræ, ſanabatur.

Juvenis Scriniarius Nro. 12. decumbens, per tres dies frigus marmoreum omnium artuum h-

buit;

buit ; faciem collapſam , vere Hippocraticam ; nihil pulſantis arteriæ , niſi *ſubinde* & *tenuiſſime* micantis , & mox evaneſcentis , & languidiſſimos motus cordis : ſurrexit ſubinde ad alvum ponendam , ſubinde tamen non : *placide* & *ſanorum inſtar* reſpirabat ; lingua aridiſſima exigua rotundum ligni fruſtillum referebat , adeo erat contracta , & rigens ; auditus graviſſimus : tamen , utut tarde , vinoſis , veſicantibus , camphora , angelica , *ſenſim* vis , & ſanitas redit. Neminem vidi morti tam propinquum , qui iterum convaluerit.

Circa medium Januarium complures venerunt pleuritici ; pleuritis non ſæviſſima , *rheumatico-inflammatoria*. Dolor *latam* thoracis plagam occupabat ; ſæpe jungebatur doloribus artuum , illorum præcipue , ſeu inferiorum , ſeu ſuperiorum , qui lateri dolenti reſpondebant , ſputa rariſſime cruentata. Morbus ſolutu non difficilis : emollientia ; venæ ſectio. **Pleuritides rheumatico-inflammatoriæ.**

Obſervavi debiliſſimos ſubinde pulſus in *hac pleuritide* , qui *detracto ſanguine* fortiores evadebant ; prout ſcilicet dolor mitigabatur. Metuebam in paucis quibuſdam fœminis , laxioribus , & fere chloroticis , frequentius , ac copioſius menſtruantibus , cum dolore *tali* pleuritico corriperentur , & pulſus exhiberent molliſſimos , debiliſſimos , ſecare venam ; hinc primo timide , & parciſſime ſanguinem detraxi , viſurus , quomodo ferant ; mox , audacior factus , plus detraxi , pulſu inde validiore effecto , & ſecuto mox levamine. **Fallax pulſuum debilitas in pleuritide.**

Judicabantur hæ pleuritides omnibus viis ; ſudoribus , urinis , alvoque ; rarius ſputis : ſudoribus vero omnium creberrime , ſed ſpontaneis , & ſerius obortis.

Id

Pleuritis ſutar fœminas crebrior.

Id etiam mihi præter morem aliis annis conſuetum accidere videbatur, quod *fœminæ* præ viris hac ſpecie pleuritidis laborarint. Complures certe habui, easque debiliores, delicatiores; evacuationibus ſanguineis, profuſis nempe menſtruis, & ante tempus legitimum recurrentibus, exhauſtas; quas hæc pleuritis præprimis corripuit. Venæ ſectionibus, emollientibus, &c. curabantur: ſanguinem habuerunt pleuriticum.

Nempe virile robur, aut viraginum conditio inflammanti aëris hyberni ſtimulo hucuſque reſiſtere videbatur; cui delicatior, & irritabilis magis, fœminarum fibra male obſecundabat.

Linguam habuere mucoſam, quædam etiam arentem, & ſaporem aſſumtorum pravum; ſed arida humectabatur potu emolliente, qui etiam enervando, ſi quid ſimul putridi ſubfuerat, diluendoque, guſtum reſtituit.

Plerique hac tempeſtate inflammati, in principio morbi, ſubinde etiam in ejuſdem progreſſu, bilioſa, pituitoſaque cum levamine vomuerunt, ſed ſponte.

Pleuritici rariſſime anacatharſin cruentam patiebantur; ſed quatiebantur tuſſi ſicca creberrima; qua tandem aliquid muci excutiebatur.

Decubuere in latu ſanum paulo facilius, nequaquam autem in latus affectum.

Pulſus in carpo lateris affecti multo minor, debilior, & contractior ſemper obſervabatur, & dolor non diu, nec pertinaciter uni plagæ infixus, ſi quid remedii adhiberetur; ſed ſuperiora petens, aut ad artus extremos, unde ſæpe initio venerat, ſeſe recipiens.

Cruſtam emiſſi ſanguinis plerumque modice luridam, & diſcolorem vidimus, flavam, virentem, cineream, liventem, aut variegatam. Plerum-

que

que etiam non contrahebatur, ſed manſit diffuſa, at tenaciſſima.

Levabantur dolores laterum admoto fotu, aut etiam veſicante, phlebotomia præmiſſa.

Quibuſdam dolorem ex fotu emolliente ita evocari ad externum thoracem vidi, ut æger attactum non ferret.

Aliis, quibus dolor aut fotu, aut veſicante, diſcutiebatur apte & cito, febris tamen ipſa manſit per plures dies; donec alvo, urinis, ſudoribus motis ſenſim ægritudo fatiſceret.

Hæ tamen excretiones urgeri neutiquam debebant, ſed ſua ſponte incipientes adjuvari.

Quibuſdam vero, quibus generoſior cura antiphlogiſtica facta eſt, præcipue ſanguine liberalius educto; morbus in putridorum caſtra tranſiit.

Quidquid erat morborum febrilium, hanc fere pleuritidis curationem poſcebat; nitroſis, emollientibus largiter hauſtis, & ſanguinis *moderatis* miſſionibus, peragendam; & ſi etiam longius, & pertinacius, malum videbatur, non licebat impetuoſius agere, nec eſſe præcipitem. Continuo ſibi inclamare medicus debebat: σπεῦδε βραδέως.

Hæc obſervatio in cura phthyſicorum magni momenti eſt: cnm oporteat paulo aliter phthyſicis mederi hyeme, ſicca, præcipue, & boreali, quam æſtate atque autumno.

Phthyſeos hoc menſe curatio.

Ei frequenter inflammatio jungebatur.

Quibuſdam enim, quibus per æſtatem atque autumnum cortex peruvianus, lichen, & polygalæ radix multum levaminis tulit, morbus repente recrudeſcere cum febre cœpit, & dolore pleuritico. Plerique mortui ſunt, atque a morte pulmonum abſceſſus, majores, minores, apertos, concluſos reperimus; ſed abſceſſibus interjacentem ſubſtantiam, carni duræ ſimillimam, direque inflammatam. Aliis, qui in principio phthyſeos

adhuc verſabantur, & quibus initio prodeſſe lichen, polygala, cortex peruvianus, deinde vero nocere viſa ſunt; ſuperveniens inflammatio mature depulſa eſt, fuerantque præſenti periculo erepti, ut longæ iterum ægritudini committerentur. His ſanguinem, ſed moderate, detraxi, & emolliente potu, ex althœa parato, tuſſim aſperam, & dolores laterum delinivi. Subinde huic potui aliquid gummi arabici admiſcebatur; unde multum viſi ſunt allevari.

Coriaceus ubique ſanguis erat, etſi corio tam in his, quam in omnibus aliis hac tempeſtate inflammatis: diſcolori, plumbeoque, flavo, virente; craſſo tamen ſubinde & contracto, ac fimbriato, cruoreque pariter tenaci.

Odontalgiæ periodicæ, item alia rheumata periodica cortice ſanatæ.

Hoc menſe odontalgiæ frequentes fuerunt, quæ primo continuæ erant, dein remiſerunt, ita, ut interdiu vix & mitiſſime, atque per vices affligerent, noctu vero crudeliſſime ægros excruciarent, donec ſub auroram denuo miteſcerent: nil profuit, niſi, præmiſſo ſolvente ſalinoque remedio, cortex peruvianus; qui minori doſi & citius has odontalgias compreſſit, quam alias ſolet intermittentes comprimere.

Artuum etiam dolores nocturnos vidi hoc menſe, nonniſi cortice peruviano ſanandos, quem ſalibus, ſtibio diaphoretico non abluto, præmiſſis (hæc ſubinde ſola curando huic morbo ſuffecerant) ſerius exhibuimus, doſi non magna, nec diu; abſque tamen relapſu.

Dolores venerei nonnunquam interdiu graviores ſunt, noctu mi-

Puella dolorem colicum habuit levi febricula, horrore, maxime vero calore, & tandem ſudore ſtipatum, qui quotidie ab hora tertia pomeridiana ad ſextam duravit, ad omnia rebellis; febrim larvatam exiſtimans, corticem fruſtra largiter diuque dedi: tandem, cum tumorem labii

bii dextri pudendorum noctu dolentiſſimum ægra monſtraret, mercurium ſublimatum dedi: non multo poſt convaluit. tiores, etſi plerumque contrarium obtineat.

Vidi etiam alios dolores venereos *conſtanter diurnos*, & noctu penitus ſilentes.

Didici, quantopere etiam in chronicis morbis, (iis quoque, qui omnium temporum appellantur, atque etiam ſunt,) oporteat ad anni conſtitutionem reſpicere, atque inde velut ab oraculo doceri, quidnam agere in re dubia expediat.

Pleuritides numero plures ſub ultima menſis tempora offerebantur, atque etiam magis inflammatoriæ; nullam tamen lethalem vidi, ſed omnes emolliente ac tepido, aſſiduoque potu ac nitroſo, cataplaſmate item ad latus dolens adplicato, & ſanguinis miſſione una, binis, tribus, feliciter atque benigne reſolutas.

Dyſenteriam unam ſanavi emolliente ſolum potu, mucilaginoſo, ac tepido fotu abdominis, & phlebotomia.

Febres inflammatoriæ hujus menſis.

Febres putridæ hac tempeſtate fuerunt perpaucæ, etſi complures inflammatoriæ, eæ præcipue, quæ nullam aut levem ſolum, topicam inflammationem ſibi ſociatam habuerunt, *putredinem* mentirentur. Quippe & ſapor aderat, & linguæ conditio, dentium ſordes, nauſea, vomituritiones, vomitus, & alvini fluxus ſpontanei, & urinæ, prout hæc in febribus putridis ſolent apparere. Nihilomninus inflammatio ſuberat univerſalis, & phlogiſticus lentor, venæ ſectione, emolliente, nitroſoque potu ſolvendus.

Sæpius putridas mentiebantur.

Qui *has* febres *hac* methodo feliciter ſanaverat, *putridas febres* antiphlogiſtica ſolum methodo ſanaſſe arbitrabatur, eumque bonam feciſſe medicinam exiſtimabam, ſed male fuiſſe ratiocinatum, morbumque alieno nomine ſalutaſſe.

Sanaverat enim *inflammatorias* febres non *putridas* ; attamen quodam putredinis fuco contaminatas, quem potulenta antiphlogiſtica & alvus pronior abſque negotio deterſerant.

Id ita eſſe, aliunde etiam docebar ; quippe hæc febris non robuſtiſſimos invaſit, neque pancratice alentes, in quos phlogoſis alias facilius cadit, ſed debiliores, & fœminas præ viris.

Largiores, quam oportuerat, venæ ſectiones, & curam antiphlogiſticam morbo ipſo majorem impune non tulerunt. Fiebat enim hac ratione inflammatoriæ febris in veram putridam converſio.

Quare ? Hanc febrim *ſalutarem* judicabam, atque naturæ inſtrumentum, quo illa prædominantem æſtatis, atque autumni humorem, mutata nunc temporum conditione æque immutat, atque invertit. Sed exhorbitantes motus medicatricis licet febris ad juſtam oportuit mediocritatem reducere.

& quo eventu ? Fuere, qui has febres *fictitie* putridas, *reipſa* inflammatorias, antiſeptica, & ſtimulante methodo agreſſi ſunt, vomitoriis, cortice peruviano, veſicantibus, camphora, moſcho, &c. earumque malignitatem multo majorem, quam qualem æſtate viderant, incuſabant. Eorum ægri moriebantur. Erratum in diagnoſi eſt in perniciem ægrorum : tantum intereſt in morborum cognitione externa ſpecie non decipi, ſed ipſa rerum viſcera rimari, & noſſe.

FE-

FEBRUARIUS.

PRIMIS diebus aura molliri cœpit, & nebulis pinguioribus humectari, atque acris hyems diſſolvi, ut nivibus deliquium inſtaret, quæ die menſis quinto cadente auſtrina pluvia penitus contabuerunt.

A die octavo vernus tepor, & amœnitas multa, ad finem uſque obtinuit, ita, ut poſt medium menſem vividiora hinc inde germinationis molimina comparerent.

Diebus 17. 18. 27. 28. mercur. altiſſ.
28. poll. 6. l.
Die 7. infimus locus . . . 27 poll. 11 l.
Die 1. & 2. frig. maximum . — $3\frac{1}{2}$ gr.
Diebus 25. & 28. calor maximus
+ 10 gr.
Diebus 9. 12. 13. aurora borealis.
Calor medius . . . . . + $5\frac{3}{7}$ gr.

Hoc menſe rheumata multa obſervabantur; ita, ut quotidie magnus ægrorum numerus Noſocomium accederet. Defluxiones populares.

Defluxionum magna varietas, & differentia fuit, ex febre potiſſimum, & ex parte corporis ægrotante repetenda.

Febris nempe plerumque non magna fuit, interdiu præprimis, ſed veſperi horripilatione prægreſſa intenſior noctuque; donec tandem poſt dies non multos, nec certo numero definitos, evaneſceret ſenſim. variæ.

Plerique ſordes oris conqueſti ſunt, mucoſas maxime, inſipidasque, quidam etiam amaras.

Quidam febrilia ſymptoma nulla exhibuerunt.

Dolor dilacerans fuit, veſperi auctus & noctu, interdiu ſilens, aut remiſſus. Quibuſdam genua, & carpi, tumuere, tumore dolentiſſimo, inſtabili tamen; & intra nycthemeron profugo, ubi alius alibi aut tumor exoriebatur, aut dolor.

Dolores nocturni articulorum; aut partium inter articulos ſitarum, ſubinde diutiſſime perſtabant, etſi febris decurſum dudum abſolverat.

Mira morbi variatio fuit, ſi partem ſpectemus ab rheumate occupatam.

Hinc cephalalgiæ veſpertinæ, occipitis, ſincipitis, unius lateris, ophthalmiæ defluxiones ad dentes, fauces &c.

Fuit, quæ nobis committebatur, florentis ætatis fœmina, glandulis ſubmaxillaribus tumidis, tumente etiam parotide utraque. Loca dolentia contrectari citra gravem dolorem non potuerunt. Rheuma inter ſcapulas; febricula. Die morbi 3tio. cum difficultate deglutit, & obſtaculum queritur paulo ſupra ſternum, cum labore reſpirat, ob dolorem ad caput aſperæ arteriæ præprimis, per omnem quoque ejuſdem canalis longitudinem ad uſque ſupremum pectus, eumque pungentem, & intenſiorem inter inſpirandum; guttur contrectatum gravius doluit.

Nocte, diem morbi quartam excipiente, difficillima reſpiratio fit ob punctorium dolorem gutturis totius cum ſuffocationis diſcrimine.

Die morbi quinta ad nos venit laborioſiſſime, & cum dolore dicta ratione reſpirans, tumentibus glandulis ſubmaxillaribus, & parotidibus. Glocitabat identidem voce, & modo tali, quemadmodum gallus indicus ſolet ad iram concitatus. Fauces inſpectæ, nihil alieni exhibuerunt, omnium artuum ad extremos uſque digitos rheuma-

matici; pulſus naturalis, at aſſidua hucuſque horripilatio.

Ægra hæc venæ ſectione una, fotu emolliente faucium, gutturis, parotidum, potu emolliente nitroſo, & tepido, demum ſtibio diaphoretico non abluto, brevi convaluit.

Quoſdam aſſidui dolores abdominis cruciabant, poſtquam artus dolore ceſſaverant, vel etiam artus una & inteſtina doluerunt. Colicos hoſce cruciatus ab rheumate interanea obſidente credidimus.

Quibus venter hoc modo doluit, ſimul alvus fluxit, hi mucum pendulum, velut ranarum ſperma eſſe ſolet, vel etiam qualis in calculoſorum urinis obſervatur, in fila ductilis; crebro, & torminoſe, & cum teneſmo dejecerunt, identidem cacaturientes. Mucum hunc ſubinde ſanguis tingebat. Morbus dyſenteriam referebat, ſanavi tamen ut rheuma inteſtinorum phlogiſticum, venæ ſectionibus ſanguinem lardaceum exhibentibus, cataplaſmate, fotuque abdominis emolliente, & potu tepido, mucilaginoſo, mucilagine potiſſimum gummi arabici. Dyſenteria verna.

Dolore omni profligato, ſubinde collecta & auctior ſaburra excuti ore potuit tuto, quin & debuit. Diarrhæam, ſi qua reſtitarat ob inductam inteſtinorum lubricitatem, emendaverunt infuſo-decoctum radicis arnicæ, amara, interpoſitis ſubinde paregoricis, & vinum auſterum.

Quidam difficulter, & cum ardore mingebant; malum hoc ſubito nonnunquam, prægreſſo partis cujuſdam alterius dolore veluti deſtillatorio, nunc vero diſſipato, acceſſit, *rheuma veſicæ* appellabamus. Potus tepidi emollientes, & cataplaſma conſimile dolenti pubi & perinæo admotum profuit.

MARTIUS.

AB eadem cœli clementia, quæ Februarii partem potiorem commendabat, etiam hic menſis initia ſumſit; hanc tamen exacto triduo denuo depulſam lugebamus ab incurſante borea frigidiore, atque immitti.

A medio menſe ad diem uſque 25tam. frigus boreale mutari occrepit *grata vice veris*, & *favoni*, & germinantis naturæ conatus præcociores, ſuſpenſique parumper ob auram aſperiorem, denuo edi, donec extremos Martii dies aſperaret novum gelu.

Die 5. merc. altiſſim. . . . 28 poll. 6. l.
Die 15. 18. 19. infim. ejus ſtatio. . . . . 27 poll. 9. l.
Die 6. frigus maximum. . . $2\frac{1}{3}$ gr.
Die 26. 28. calor maximus + 13 gr.
Calor medius. . . . . . + $8\frac{2}{3}$ gr.

Peculiaris ſpecies febris putridæ.

Initio hujus menſis inter viros maxime, attamen numero non magno, febrim putridarum ſpecies obſervabatur quæ more peripneumonico invaſit; ſanguis cruſtam gelatinoſam, diffuſam, cineream habuit. Sanguis parce, licet repetitim, at initio miſſus profuit, tollendo topicam pulmonum inflammationem; dein vero decocta graminis, &c. cum oxymelle, vel oxyſaccharo copioſe pota mirum juvarunt. *Rarius*, & morbo *tantummodo provectiore*, emeſis *ſubinde* utilis erat. Non erant autem *febres ſaburrales primario putridæ*, ſed tantum *ſecundario putridæ* & *ſubinde*.

Aliena illa, & incognita conditio, quæ vocabulo-

bulo *putredinis* exprimitur, primitus in viis ſecundis, quacumque demum ratione nata eſſe videbatur, non autem ex viis primis in ſecundas primum traducta.

Febris *uno* tractu pergebat abſque violentis ſymptomatibus, ſine exacerbatione, niſi paucula, & nocturna. Somnolentia aſſidua, lingua mucoſa, os raro pravum. Cortex peruvianus, arnica, aromatica, & omnis generis ſtimulantia debebant exulare. Antiphlogiſtica profuere; incerta morbi duratio. Nulla manifeſta criſis.

Cum die menſis quarta frigus boreale, ſiccumque & ventoſum ingrueret, multi pleuritici facti ſunt, dolore validiſſimo. Venæ ſectiones complures, cruſta ingens, craſſa, diffuſa non contracta, & quemadmodum in rheumatiſmo inflammatorio ſolet obſervari. Tepidi potus. Cataplaſmata emollientia ad latus dolens. Erant veræ, & graves inflammationes nihilominus quibuſdam, ſero licet, & fracta phlogoſi, emeticum profuit; morbo nempe inflammatorio tranſitum molliente in febrim ſaburralem.

Quos hæmorrhois ſubinde vexavit, hi etiam hac tempeſtate ejuſdem molimina conquerebantur, & ſubinde graviter decubuere, teneſmos inter, & colicos dolores, & febrim inflammatoriam: profuit methodus antiphlogiſtica; venæ ſectio ſcilicet, potus apti, & hirudo, demum eccoprotica.

Hoc menſe compluribus gravidis abortus inſtabat menſe quarto, aut ſeptimo, dolores parientium, febris. Venæ ſectio, emulſa nitroſa, quies: uni etiam poſt hæcce remedia, quæ dolores pariendi mitigabant, non profligabant, vomitus ſponte primo ſecutus, & pituitam elici- Metus abortiendi populares.

 ens,

ens, dein etiam arte concitatus, ita profuit, ut omnis abeſſet, poſt vomitum, lumborum, & abdominis dolor, pariendique molimina. Alteri, ſubinde antea fluentes hæmorrhoides paſſæ, & abortum metuenti, hirudo dolores, & niſus pariendi ſuſtulit.

Frequentius febris putrida poſt medium Martium viſa præter varia alia accidentia.

Poſt medium menſem febris quædam putrida frequens fuit. Caput omnibus valide ægrotabat, confuſum, ſtupidum. Senſuum tarditas, ſomnolentia peculiaris, & taciturna tandem, noctu præſertim, deliria.

Saburralia ſigna multa adfuere; verum pharmaco propinato, ſive id vomitum, ſive alvum cieret, nullum, aut perexiguum, levamen, idque ipſum non durabile. Poſt paucos dies lingua exaruit, intenſiore, aſſidua, & comatoſa in ſomnum proclivitate. Os fuliginoſum non paucis. Inter dormiendum oculis non raro, & præter conſuetudinem connivebant. Quodſi uterque oculus inæqualiter conniveret, ægros magis periclitari judicabam. Et, neque hoc, nec aliis annis, ullum novi ſanatum, cui in acuta febre, licet quædam comparerent non mala, quin etiam ſalutaria, alter oculus alter major fieret.

Sæpe petechias habuit morbilloſas.

Incertis morbi diebus nonnunquam exanthemata proruperunt non levantia, ſed neque lædentia, petechialia, morbillos exacte referentia magnitudine, formaque, læte roſea, niſi quod ſubinde *cinerei coloris*, ſubinde modice ſubflaveſcentis eſſent. *Petechiæ morbilloſæ* appellabantur. *Lenticulares* fuere rariores.

Pulſus pleni, fortes, duri, naturalibus modice tantum celeriores. Durities, & vibratio pulſuum aliquoties poſt venæ ſectiones repetitas augeri viſa.

Na-

Nares ſubinde ſanguine manabant, ſine evidenti levamine.

Sanguis phlebotomo eductus *roſeam* plerumque cruſtam habuit abſque ſero, & cum inſula tenaciſſima. Quibuſdam tamen cruſta plumbea fuit, cinerea, obſcure & abſolute flava, diffuſa, tenax, non fimbriata.

Urinæ naturalibus magis flavæ, aureæ, nunquam autem flammeæ, aut exquiſite inflammatoriæ.

Febris hæc initio quotidie, & paululum remiſit, & modice exacerbata eſt præcedente levi horripilatione; tandem nulla aut remiſſio, aut exacerbatio notabatur: continua tunc fuit.

Varia morbi duratio fuit ad duas, treſve ſeptimanas: criſes variæ, nullæ tamen evidentiores, aut magnæ, aut cum tumultu, pleræque fatiſcere ſenſim videbantur ἀκρίτιμως.

Omnibus plus, minusque, thorax peripneumonice, aut etiam pleuritice, laborabat.

Sanabantur plerique, & plurimi.

Profuerunt antiphlogiſtica ſola, venæ ſectiones nempe iteratæ, & decocta radicis graminis, taraxaci cum nitro, & oxymelle.

Profuit quoque omnibus alvus pronior, & crebro enemate ſollicitata.

Res maximi momenti fuit, ægros lecto eximere, & ſedili imponere, ut erecti a ſomno prohiberentur. Nemo niſi expertus novit, quantopere ſomnus febrim incendat, vigiliæ vero, & coacta a ſomno abſtinentia eamdem reſtinguat, & mentem a delirio præſervet. Magni momenti obſervatio in curanda hac febre.

Emeſes non profuerunt, nec purgationes, niſi *ſubinde, abſterſa phlogoſi, morbo multum provecto*, & jam non tali, qualis hucuſque fuerat; ſed *converſo* in febrim putridam *ſaburralem*.

Ve-

Veſicantia, camphora, ſerpentaria, contrayerva, vinum &c. quibus ægri ante adventum ad Noſocomium utebantur, male ceſſerunt.

Inciſa cadavera latentes alicubi inflammationes exhibuerunt, in thorace potiſſimum, nonnunquam etiam in abdomine.

Febris putrida ſanguinea.

Hanc febrim exanthematicam dicebamus *putridam ſanguineam*; ut eam diſtigueremus a *putrida ſaburrali*, qualem ſordes putridæ e ſyſtemate gaſtrico in ſanguinem attractæ ſolent generare: in noſtra vero *putrida ſanguinea* vitium in ſyſtemate ſanguifero *primario* natum videbatur.

Hæc putrida ſanguinea erat ſimul etiam indolis *inflammatoriæ*.

Petechiæ non factitiæ.

En petechias *non factitias*, ſed *ſponte* natas.

En febris quoque petechialis *ſpeciem*, & *quamdam* febrim putridam, quæ methodum *calefacientem* æque averſatur, ac methodum *emetico-catharticam*, ſive antibilioſam, quæve unice amat methodum *refrigerantem*, atque *antiphlogiſticam*.

Non eſt una eademque methodus medendi in omnibus & ſingulis febribus putridis.

Sed qui *omnes*, aut *pleraſque* ſaltem, febres putridas, quarum, ſub eodem licet vocabulo comprehenſarum, differentiæ multæ ſunt, & *eſſentiales*, antiphlogiſtica, ac refrigerante, methodo ſanandas contenderet, aliasque ſanandi methodos in aliis putridarum ſpeciebus proſcriptas vellet; ne is multis paraſangis aberraret a vero, atque ab omnium ſæculorum obſervatione.

Hæc febris *putrido-inflammatoria* hyemes minus boreales, & magis auſtrinas amare viſa eſt, itemque vernos menſes; exſpiratura jamjam conſtitutione phlogiſtica hyemis borealis.

Subinde etiam ſero autumno inflammatorios brumæ morbos orditur.

APRI-

APRILIS.

EXORDIUM aſperum, & gelidum: verum a die quarta incaleſcere cuncta potentius cœperunt ad diem uſque 17mam, ubi ventus frigidior hos veris calores quatridno repreſſit, cœlo nihilominus conſtanter ſereno, & ſiccitate producta.

Die 21ma. calor æſtivus potius, quam vernus ſucceſſit, quem die poſtera tonitrua exceperunt inter æſtus intenſos.

Die 23tia. pluviæ ceciderunt poſt diuturnam aquarum penuriam deſideratiſſimæ, & cœlo dudum, ſed irrito, devocatæ.

Extrema tempora moderatius caluerunt, ſalutares ſubinde pluviolas experta.

Die 2. merc. altiſſim.	28 poll. 6 lin.	
Die 9. infima ſtatio	27 poll. 8 lin.	
Die 15. 16. calor maximus. .	+	$19\frac{1}{2}$ gr.
Die 17. 18. calor minimus . .	+	4 gr.
Calor medius.	+	$14\frac{3}{15}$ gr.

A primis hujus menſis diebus plurimi pleuro-peripneumonici facti ſunt, maxime viri: dolor *amplam* plagam occupabat, febris validiſſima. Sanguis totus phlogiſticus ita, ut parum adfuerit rubræ partis. Venæ ſectiones largæ requirebantur, & emollientia cataplaſmata ad thoracem.

Quoſdam etiam hepatitis aut ſola, aut cum pleuro-peripneumonia, affecit. Quibuſdam inflammatio omnem hypochondriorum ambitum occupavit, eumque vel ſolum, vel una etiam thoracem. Icterus quibuſdam in hac hepatitide acceſſit; graviſſimus tunc morbus erat.

Præ-

Præter hos inflammatorios morbos, febres *putridæ ſanguineæ* adhuc obſervabantur complures.

Plerique peripneumonici aut pleuritici aliquid habuere ſaburralis, & bilioſi, diarrhæa hinc utilis fuit, moderata tamen. Emeſis tuta non fuit, niſi *ſero*, febre mitigata, aut penitus ceſſante; dolore interim aut manente, aut iterum ſuborto.

Mortes ubique multæ.

Fæces pleriſque profunde virides.

Circa medium Aprilem quidam petechiis toti quanti obſiti ad nos venerunt, his autem peculiaris ſaburra erat, ſcilicet *æruginoſa*, non *tenax*, ſed *diluta*, & *perliquida*, *copia non magna*, odorem ſpirabat acido-auſtero-dulcem, ad inſtar aceti, cui aliquid lithargyrii admiſtum fuit. Talis erat potiſſimum anhelitus, talis odor ſudoris, vaporisque perſpirabilis, talis etiam quam maxime odor erat ſaburræ vomitu rejectæ.

Vomitoria tunc quidem requirebantur non raro, attamen tantum levaminis ac alias in bilioſis, non attulerunt, ob adjunctam topicam alicubi, præcipue thoracis inflammationem. Venæ ſectio una, aut etiam plures, fieri debebant, maxime viris. His etiam *ſola antiphlogiſtica*, poſt & ante emeſin data, ſaluti fuerunt, aliis vero, fœminis maxime, ſerius ob debilitatem, aut fluxum alvi moleſtum, dedi infuſo-decoctum radicis arnicæ.

Sub exitum Aprilis complures febres habui quotidianas, ſeu potius tertianas duplicatas poſt continuam. Hæ intermittentes ſolventibus continuatis non curabantur, ſed cortice, & amaris.

MA-

MAJUS.

INITIA habuit præcalida, & præfocantia. Die 5ta. tonitrua, veſperi ventus validiſſimus aſperum frigus induxit ac repentinum. Noctu vento ceſſante pluviæ cadebant.

6ta, 7ma. ſerenitas & calor, 8va. pluviæ parcæ, ſed gratæ, quas ingens iterum æſtus excepit ad uſque 20mam. menſis diem, qua aura modice refrigerari cœpit, atque impatientius ferri poſt tantos præcipue calores, & tantam calorum & frigorum viciſſitudinem ſiccitare iterum continuata.

Die 23. merc. altiſ.	28 poll. 4 lin.	
Die 3. 4. 13. infima ſtatio	27 poll. 7 $\frac{1}{2}$ lin.	
Die 11. calor maximus	+ 23. gr.	
Die. 5. minimus	+ 6. gr.	
Calor medius	+ 16. $\frac{1}{2}$ gr.	

Initio Maji plures tertianæ, quæ ſub exitum Aprilis oriebantur, occurebant. Tertianæ hæ initio ſimplices fuerunt, dein duplicabantur. Curabantur decocto graminis, taraxaci, cichorei cum ſale medio, dein emeſi. Profligato hac ratione paroxyſmo pleriſque dabatur electuarium antifebrile diſpenſatorii viennenſis, ut relapſui caveretur.

Poſt initium Maji, complures, præter dictas tertianas, obvenerunt anginæ tumidiſſimis tonſillis, & meatum ſeſe contingendo intercludentibus. Erant inflammatorio-bilioſæ, venæ ſectio, ubi phlogiſticus ſanguis educebatur, debebat inſtitui, at perparum inde levaminis, plurimum vero ab emetico ſerius paulo exhibito. Deglutitio enim an- Anginæ vernæ.

antea abolita ſtatim a vomitu reſtituebatur, deinde dabantur eccoprotica, item gargariſmata cum ſale ammoniaco. Veſicans, ut alias in angina rheumatica, non profuit, non cataplaſma ad totum collum applicatum, nec fotus faucium emollientes.

Præter has tertianas & anginas, obſervabantur etiam pleuritides, & peripneumoniæ: ejuſdem prorſus erant indolis, ac anginæ. Primo enim aderat inflammatio, quæ venæ ſectiones, ſed non crebras, expetiit, & potus multos, dein vero ſerius emeſin, & eccoprotica. Quod enim apud quoſdam ægros faucibus contigit, id evenerat apud alios pulmonibus. Morbus *idem*, *eadem* ratione curandus, ſede ſolum diſpari. Febris erat ex intermittentium tribu.

Circa medium Majum complures obvenerunt ſimplicesblioſæ.

In tertianis, poſt ſolventia & emeſin, profuerunt flores ſalis ammoniaci martiales in vehiculo amaricante.

Poſt medium febres bilioſæ meraciores, bilis magis flava, copioſior. Ipſius vero luſus complures. Raro jam cruſta viſitur, nihilominus, in viris præcipue, phlebotomiam unam aut alteram emeſi præmiſimus. Quædam erant putridæ potius.

J U N I U S.

TOTUS ferme hic menſis frigidior fuit, & inclementior, quam aliis plerumque annis ſoleat; venti crebri, & raræ ac parcæ pluviæ. Dies ultimi ſereni, & calidi.

Die

Die 21. 22. 29. 30. merc. altiſſ. 28 poll. —
Die 12. infima ſtatio . . 27 poll. 6 lin.
Die 12. calor maximus . . + 23 gr.
Die 21. . . . . + $7\frac{1}{2}$ gr.
Calor medius. . . . . . + $16\frac{1}{6}$ gr.

Poſt initium hujus menſis plures febres rheumaticæ occurrebant, adfuit una & bilis, & phlogoſis. Nemine opinante & ſubito, materies rheumatica artus deſeruit, & pectus occupavit diſpnœa, orthopnœa, tuſſi validiſſima, oppreſſione, ſputis ſubinde cruentis. Puella quædam ferme marmoreum frigus repente ſenſit, poſt rheuma ex artubus ad pulmones recurrens. Orthopnœa, ſudores frigidi in guttas collecti, pulſus ad carpos nulli. Cor inordinatiſſime, & celerrime, micabat. Veſicantibus, camphora, epiſpaſticis, frictionibus, fotu artuum, vires revocatæ. Reliquis, facta depoſitione ad pectus, & pulſu forti exiſtente, venæ ſectio, dein veſicans cum potu tepido, auxilio fuit.

Cruſtæ in ſanguine iterum frequentiſſimæ. Eryſipelata phlegmonodea. Etiam convaleſcentes experti ſunt vim temporis frigidioris; nam paſſi ſunt catarrhos inflammatorios.

Poſt medium menſem, ubi frigidiuſculum tempus fuit, complures rheumatica febre prehendebantur, fuerat hæc febris inflammatorio-bilioſa; tumores genuum, ad dorſum manuum, vagi, dolentiſſimi. Venæ ſectio, leniora purgantia, profuerunt.

Cum menſis frigidior, & ſiccus ut plurimum eſſet, bilis, quæ ultimis diebus Maji æſtivos morbos videbatur ordiri, ſubſidere denuo, reprimique, aut inflammationi conjungi cœpit.

JULIUS.

PRINCIPIUM menſis confertiſſimis imbribus complutum. Inde ad decimam ſextam uſque aſſiduæ mutationes, repentinæ, & eodem ſæpe die iterato evenientes caloris frigorisque, ſiccitatis, & pluviarum, cœli ſereni, & nubili.

Dies 16ta. & 17ma. ſerenæ & calidæ. Deinde vero calores magni cum pluviis alternabant ita, ut ingens, & exlex fuerit auræ nunc æſtuantis, nunc imbroſæ, nunc vero ventoſæ, frigidæque viciſſitudo.

Die 15. merc. altiſſ. . .	28 poll. 3 lin.
Die 5. & 7. infimus. . .	27 poll. 7 lin.
Die 21. & 31. calor max. .	+ 23 gr.
Die 13. 14. 15. minimus. .	+ 11 gr.
Calor medius.	+ $17\frac{1}{2}$ gr.

Dyſenteriæ frequentes, inflammatoriæ, ſub inflammatoriæ, aliique varii morbi cognati.

Poſt initium frequentes ubique *dyſenteriæ*, fuit autem earum natura bilioſo - inflammatoria, qualis nempe plerarumque febrium hac tempeſtate graſſantium.

Juvenibus, robuſtisque ob doloris *aſſiduitatem*, & doloris ad attactum augmentum, venæ ſectio, & foris & intus emollientia tepida; dein ſero tamen, nec ubique, nec ſemper, emetico-catharticum, vel ſolum purgans, vel eccoproticum.

Non paucas dyſenterias ſola venæ ſectio, fotus abdominis emolliens, & potulenta tepida ſuſtulerunt.

Verumtamen de dyſenteria & hujus, & aliorum quorumdam annorum, inferius ero paulo uberius diſſerturus.

Fe-

Febres rheumaticæ indolis bilioſo - inflammatoriæ.

Plurimæ febres eryſipelatoſæ, eryſipelate faciem præprimis, gingivas, fauceſque totas petente, ubi ichoraſa e gingivis materies fundebatur.

Febres bilioſæ ſimplices complures.

Febres bilioſo-putridæ cum petechiis *lenticularibus*.

Eædem hæ febres, ſed cum petechiis *morbillos* referentibus, quod genus petechiarum verno, & æſtivo tempore hujus anni perquam crebro viſebantur.

Rariores intermittentes tertianæ.

Colicæ quædam inflammatorio-bilioſæ.

Defluxiones crebræ, variæque, ita, ut fere quivis morborum, quos hoc menſe obſervatos fuiſſe narrabam, aliquid habuerit rheumatis, ſeu deſtillationis bilioſæ, inflammatoriæ, ſepticæ, mixtæ.

Erant hi morbi fere omnes *cognati*, & ejuſdem familiæ, *ejuſdem materiæ*, ſed *forma* diverſi.

Materies erat *bilioſa*, *bilioſo-putrida*, ſed fere ſemper cum aliqua *phlogoſi*.

Materiam anni tempus generabat, *formam* vero vitæ genus & prædiſpoſitio &c.

Methodus medendi initio ſemper fere debebat antiphlogiſtica eſſe, aut ob præſentem inflammationem, aut ob eamdem ſaltem adfuturam, ni fuiſſet venæ ſectione & antiphlogiſticis cautum. Deinde vero inſurgente fors vitio bilioſo emeſis juvabat: ſaburras minutiores ipſe antiphlogiſticus potus, emeſi omiſſa, enervavit.

AUGUSTUS.

HOC etiam menſe tempeſtas mirifice variabat, pluviis inopinato & crebro cadentibus humidior, præprimis circa medium menſem. Inde vero conſtantior erat cum ſiccitate majori. Verum paucos poſt dies denuo humoris, frigoris, caloris & ſiccitatis mira & illegitima viciſſitudo ſucceſſit.

Veſperi acutum frigus ad finem uſque.

Die 28. merc. altiſſ. . . 28. poll. $2\frac{1}{2}$ lin.
Die 11. infimus . . 27 poll. 8 lin.
Die 7. calor maximus + 23 gr.
Die 27. minimus . . + 11 gr.
Calor medius. . . . + 18. gr.

Dyſenteriæ & rheumatis multiplicis dominium.

Dyſenteriæ plurimæ, ſæpe difficiles, non raro lethales, in omni ſexu, ætate: ſenibus atque infantibus maxime lethales.

Febre *rheumaticæ putridæ*, *eryſipelatoſæ putridæ*, *petechiales putridæ*, petechiis morbilloſis, lenticularibus, medio maxime menſe, paſſim & populariter vagatæ ſunt.

Poſt medium menſem, copioſiſſimis, & perniciosis non raro dyſenteriis adhuc durantibus, pleuritides ortæ ſunt plurimæ, tam *rheumaticæ* quam *rheumatico-bilioſæ*; ejuſdem genii, ac *ipſæ dyſenteriæ*, a quibus *forma ſola* differebant.

Toto reliquo menſe innumerabilis ſeges rheumatum ferocium, rebellium, per omne fere corpus divagantium, nunc hanc, nuc illam partem excrutiantium, articulos, pulmonem, thoracicos muſculos, inteſtina. Inde dyſenteriæ adhuc creberrimæ, difficiles non paucæ &c.

Tus-

Tuſſes ferinæ, difficiles, ſubinde ſputa puriformia excutientes, & pulmonem ulcerantes, ſubinflammatoriæ, inflammatoriæ, peripneumonicæ, pleuriticæ, rheumata dolentiſſima muſculorum thoracis tumentium, ubi adplicata emollientia cataplaſmata nil effecerunt, aut perparum. Subinde ejuſmodi tumor rheumaticus pus coquebat, & in abſceſſum abiit.

Caute veſtitum incedere, cavereque oportuit, ne ſudantis corpus frigidiore aura, eaque hoc anni tempore magis inimica ſepticaque feriretur.

Ultimis menſis diebus dyſenteriæ æque graſſabantur, & habebant *ſæpius* non exiguam abdominis inflammationem; emiſſus ſanguis fuit inſtar ſanguinis pleuriticorum. *Plures* ſubinde venæ ſectiones, & *cum magno* levamine, feci: dedi copioſos potus tepidos.

Eodem, quo dyſenteria regnabat, tempore, non paucæ *colicæ* obſervabantur, item *urinarum difficultates*, alvo interim ordinata. Eadem, qua dyſenterici, methodo, etiam his feliciter medebamur.

Quidam raro, quinquies ſexiesque ſolum intra viginti quatuor horas, dejecerunt, attamen dyſenterica, cruenta multa, mucoſaque, & torminoſe.

Mira, & protheiformis morborum variatio fuit, ſi loca corporis ægrotantia ſpectaveramus: *eadem* licet morbifica materie præſente, & *eadem* quoque proficua medendi ratione.

Antiphlogiſticus apparatus, non ille quidem generoſior, & qui ſanguinem *copioſum*, & crebro exantlat, ſed qui parcius, quive tepidorum populentorum diluvio, & locorum dolentium aſſiduo fotu medetur, primas tenebat. Phlogoſi vero, qua omnes fere hujus æſtatis morbos,

tanquam fuco illitas vidi, penitus abſterſa, aut ægrotus convaluit, fatiſcente nempe, atque ſubmerſa billioſa illuvie, ubi hæc exiguæ molis erat; aut vero, ægro nondum ſaneſcente, morbum reddidimus *ſimpliciorem*, ut, qui antea inflammationem una habuerit, nunc, ea depulſa, fuerit *mere ſaburralis*, gaſtrica dein evacuatione ſanandus.

Non erant hoc anno promptæ illæ morborum ſanationes, quas annis *bilioſioribus*, & phlogoſi carentibus videre atque admirari contingit.

Neceſſum fuerat non ignorare hanc curationum tarditatem *huic* anno eſſe imprimis propriam, ne quis forte ægrorum *valentioribus* remediis ſubjiciat, quem ſub *leniori* curatione debebat tempori commendare.

Morbi violentiam fregiſſe, eumque ex *acuto* in *longum* apta medicatione, & mora ſanandum commutaſſe, non raro lucri fuit. Id maxime in dyſenteriarum quarumdam graviorum curatione verum eſſe deprehendi.

SEPTEMBER.

PRIMIS quinque diebus calores permagnos, dein vero repente exortum frigus atque ventoſum experiebamur, & magnam ubique ſiccitatem.

Die 12ma. redire calor cœpit, amœnus, neque ſudores extorquens, donec die 16ta. largiſſimus imber decideret, quem ventus excepit compluribus diebus impetuoſus.

Inde & calor, & frigus alternis vicibus ita redie-

dierunt, ut binos dies calidiores exciperent alii duo acute frigidi.

Die 17. & 18. mercurius altiſſimus 28 poll. 2 l.

Die 5. & 20. ejus infima ſtatio 27 poll. 8 $\frac{1}{2}$ l.

Die 4. calor maximus ...... + 21 gr.

Die 21. —— minimus ...... + 8 gr.

Calor medius .... + 15 $\frac{2}{3}$ gr.

Dyſenteriæ durant adhuc, ſed inflammatoriæ, & ſubinflammatoriæ. Parum, aut nihil, & raro, & ſerius, levaminis aliquid ab emeſi. Profuerunt cataplaſmata, potus tepidi, emollientes, emulſa, venæ ſectiones. Verſus finem menſis dyſenteriæ multo rariores.

Rheumata quam plurima, & varia.

Puellæ crus utrumque per vices eryſipelatoſum fuit. Eryſipelata ſponte evanuerunt. Poſt aliquot dies *repente* hydrops articuli in genu dextro, isque magnus, & manifeſte fluctuans eſt; dedi eccoprotica ſalina. Genu adplicui vinum aromaticum cum ſale ammoniaco, brevi poſt convaluit. Dein vero in lentam nervoſam febrim incidit; decocto florum arnicæ ſanabantur, miliaribus judicata.

Circa medium Septembrem vidi dolores abdominis *prorſus tales*, quales obſervabantur in dyſentericis alvo aut ordinata, aut etiam difficiliori. Appellabam hos dolores *dyſenteriam ſiccam*, ſeu *ſiccam inteſtinorum difficultatem*. Cura per emollientia tepida, venæ ſectiones, cataplaſmata, ſerius emeticum &c.

Circa medium Septembrem febres bilioſæ, item & putridæ, ſæpe aliquid peripneumonici habuerunt, quod venæ ſectione una alterave de-

bebat tolli; neque erant meracæ bilioſæ, nec mere putridæ, ſed *ſimul* inflammatoriæ.

Major identidem venæ ſectionum neceſſitas in quovis morbo; rarus uſus emeticorum, leviores pleuritides; peripneumoniæ inflammatoriæ, ſubinflammatoriæ, putridæ, mixtæ, rheumaticæ.

Poſt medium Septembrem morbi rheumatici, iique inflammatoriæ non raro indolis, longe lateque graſſabantur, ſed ii omnium ferme morborum ſoli, quo tempore jam multo rariores dyſenteriæ fuerunt.

Hæc rheumata ſedem in thorace, & collo, capiteque fixerunt, itemque in artibus ſuperioribus, inferioribusque, raro autem in abdomine. Inde cum conſtitutionem dyſentericam vigentem rheumata ſimul ſint comitata, eaque jam emoriente ea ipſa rheumata populariter quoſcumque invaderent, opinio mea confirmabatur, eſſe affinitatem quamdam και συγγενες τί rheumatiſmum inter & dyſenteriam.

Cognatio dyſenteriam inter & rheumatiſmum.

Nam illi morbi, qui pari frequentia eadem tempeſtate graſſantur, & ſuam in humano corpore poteſtatem veluti congerentes unitis viribus exercent, ejuſdem familiæ ſurculos ſe eſſe, & idem ingenium teſtantur.

Circa ultimos menſis dies morbi ſuam ſtationem fere penitus deſeruerunt, atque ad pectus & caput migrarunt.

Menſis hic temperiem vernam æmulabatur, eamque borealem; morbi quoque, quales per ver eſſe ſolent, ubique obſervabantur.

Conſtitutio fuit phlogiſticotera, quam æſtate hac prægreſſa, itemque quam aliis tribus autumnis proxime elapſis.

Numerus ægrorum valde magnus fuit, ut quotidie multo plures advenerint, quam ſuſcipi potuerint.

Non

Non multa tamen funera numerabamus.

Morborum ſolutio difficilis, partitim facta, & tarda fuit. Reconvaleſcentiæ diuturnæ: relapſus faciles.

Typus febrium is fuit, ut veſperi maxime cum horrore exacerbarentur, continuæ remittentes.

Pauciſſimæ per æſtatem & initio autumni febres *intermittentes*.

Materies morbi hoc menſe fuit compoſita, ſcilicet phlogiſtica, mucoſa, bilioſa, acris, modo hoc, modo illo vitio prædominante.

Febres ultimis menſis diebus, utut initio phlogoſin habuerint non levem, tamen in progreſſu erant ſæpe putridæ, & quidam habuimus febres *rheumatico-putridas* ſub finem Septembris complures, præcipue inter fœminas; in progreſſu multis petechiæ *lenticulares*, & *morbilloſæ* eruperunt.

Morbilloſæ erant *flavæ*, *bruneæ*, *læte roſeæ*; lenticulares autem *obſcure rubræ*, *caſtanei coloris*, *lividæ*, *roſeæ*.

Quædam mortua eſt ex petechiis lividis, obſcure rubris, licet ingens quantitas acidorum mineralium fuerit data.

Reliquæ convaluerunt methodo *initio* antiphlogiſtica & *parca venæ ſectione*, ſanguine phlogiſtico educto (cruſtæ flavæ, & ſerum vireſcens); dein vero methodo ſolvente, ope ſcilicet decocti graminis, taraxaci, cichorei, cum ſyrupo ribeſiorum, dato ſerius, non tamen omnibus, (fracta phlogoſi,) emetico. Ubi autem ſomnolentia, ſtupor, & pulſus fere *naturalis* adfuit, aut naturali languidior, his decoctis addidi decoctum florum arnicæ.

His dein non dedi acida mineralia.

E lecto crebro eximebantur: febres diuturnæ, nulla manifeſta criſi ſolutæ, ſed lente, & ſine ſenſu fatiſcentes.

Nec cortice, nec aliis alias in putrida febre laudatis utebar, nec veſicantibus, nec camphora.

Miratus ſum adeo pulchre convaleſcere, ſi modo juſta fiat virium æſtimatio, & hæ nimium erectæ aliquantulum deprimantur, dejectæ autem *blande*, *non tumultuarie*, nec ſtimulis potentioribus, erigantur: excretiones non permittantur *ſupprimi*, nec *profundi*. Viribus ſalutariter erectis, & moderate ſe habentibus, quatenus ad ſubigendum morbum requiruntur, & ſufficiunt, dare aptum vehiculum ex gramine, taraxaco, cichoreo, ſyrupo ribeſiorum &c. oportebat. Potior ergo fuit moderata methodus antiphlogiſtica, etiam petechiis *lividis* exiſtentibus: has vidi una cum inflammatione.

Viri pauciores ægrotabant, & levius abſque petechiis. Venæ ſectione una, dein potibus antiphlogiſticis brevi tempore ſanati. Fœminæ multo plures & diutiſſime decubuerunt, & putride cum petechiis variis. Tarde convaluerunt.

Defluxionum hac tempeſtate creberrimarum quædam exempla proferam notabiliora.

Defluxio ad oculos facta *ophthalmiam* ſeroſam fecit, ultimis hujus menſis diebus frequentem.

Nonnunquam intra corneæ lamellas rheumatica materies confluebat, eamdem craſſam, albidam, & luci imperviam fecit.

Oculorum vitio a defluxione.

Puellæ cuidam ſeroſa materies humorem aqueum ita auxit, ut cornea multum protuberaret, ſtaphylomatis inſtar, oculo utroque aſſidue plorante vim magnam acrium lacrymarum, & naribus coryza obſeſſis.

De-

Dedi, quæ rheumati mederi exiſtimabam, & corneam protuberantem curavi aliquoties pertundi, ut ſubſideat. Liquore licet ſaturnino, ne poſthac aſſurgeret, & roborante fotu adplicato, nihil effectum.

Novi cataractas ortas a rheumate lentem oculi afficiente, item *puriformem* in anteriore oculi cavea materiem collectam ex defluxione.

Puella quædam dolores capitis fere totius dilacerantes habuit, & modiciſſimam febriculam veſpertinam. Oculo dextro obſcure vidit, ſiniſter oculus aliquantum diſtortus ac luſcus erat, & viſus duplicatus. Data mixtura ſalina eſt, & alvus aliquantum mota; dein veſicans nuchæ admotum, & exhibitum ſtibium diaphoreticum non ablutum ex aqua, & roob ſambuci: paulo poſt convaluit.

Viſum duplicatum ex eadem cauſa, & eodem modo ſublatum in alia fœmina obſervamus.

Quidam iſchiade rheumatica ad latus dextrum prehendebatur: paucos poſt dies repente teſtis dexter duorum pugnorum magnitudine intumeſcit; ita, ut dolorem tenſivum æger quæreretur, & ipſe tumor quaſi ab aqua intra tunicas teſticuli collecta omnibus, qui eumdem exploraverant, videretur. Diſcutientia adplicata: data quæ alvum, urinas, dein etiam diaphoreſin moverent: his iſchias, teſticuli vero tumor emiſſis acu aquis, ſanabatur. **Item variæ aliæ defluxiones.**

Cuidam alteri puellæ una nocte genu intumuit, ut die altero manifeſtata fluctuatio perciperetur. Venæ ſectione, & lenioribus purgantibus, fotu item vinoſo, in quo aliquid ſalis ammoniaci diſſolvebatur, brevi ſanabatur. Febricula quoque rheumatica ſimul adfuit.

Qui-

Apoplexia rheumatico.

Quidam, ex febre rheumatica per quatuordecim dies decumbens, repente delirabat, tandem ſopore apoplectico correptus paucos poſt dies periit. Multum aquoſi laticis inter utramque meningem, & in ventriculis lateralibus inventum fuit, item humor aquoſo-cruentus infra tentorium.

Fœminæ gravis coryza aborta eſt, poſtquam ex æſtu perfrigeraretur. Coryza paucas poſt horas evanuit, nata mox ingenti, & aſthmatica reſpiratione. Hydrothoracis ſigna. Profuerunt præmiſſa venæ ſectione, quæ molliſſime & alvum, & urinas ciebant. Item gummiferulacea. Tarde ſanata eſt.

Sed ejuſmodi defluxiones ad viſcera *nobiliora* paucorum fuerunt; illæ vero multo frequentiſſimæ, quæ artus, lumboſque, afficerent.

OCTOBER.

MINOR hoc menſe caloris & frigoris viciſſitudo fuit; neque tantæ mutationes, nec tanta, quæcumque eſſet conditio aëris, ejuſdem intenſio; nec mutationum ortus repentini, aut fines abrupti præcipiteſque. Ita & ſiccum, & humidum, & calidum, & frigidum, moderata fuerunt, atque ita contemperata, ut nullius principatum incuſaremus. Cœlum frigidiuſculum ut plurimum erat ſecundum anni rationem. Venti hoc menſe conquieverunt.

Die 24. mercurius altiſſimus . . 28 poll. 4 l.
Die 29. 30. infima ſtatio. . . . 27 poll. 9 l.
Die 2. calor maximus. . . . . + 16 gr.

Die

Die 17. ——— minimus . + 2 gr.
Calor medius . . . . . + 11⅓ gr.

Dyſenteriæ valde raræ inflammatoriæ, ſubinflammatoriæ.

Dyſenterias hujus menſis, uti etiam illas, quæ circa Septembris finem occurrebant, teneſmus terminavit multo frequentius, & pertinacior, quam in priorum menſium dyſenteria ſolebat fieri.

Febrium putridarum quædam ſpecies adhuc frequenter fœminas prehendit, quæ initio inflammatorii quid habuit, deinde vero putrida fuit, ita tamen, ut ſtimulantia efficaciora non tulerit. Optime habuerunt protracto morbo a decocto florum arnicæ, radicis graminis, taraxaci, cichorei &c. Linguæ pleriſque arebant, pulſus non erat analogus reliquis ſymptomatibus, præcipue laſſitudini, ſenſuum ſtupori. *Febris quædam putrida inter fœminas.*

Sitis non erat magna, aut etiam nulla; indifferentia animorum mira, de nulla re ſollicitorum, ac ſi ſomnum inter & vigilias hærerent, & iis analogi, qui ab aſſumpto opio jamjam ſunt dormituri.

Quædam ægræ corporis calorem habebant naturalem, pulſum quoque naturalem & celeritate, & robore; utut alvus inſciis flueret. Pectus quibuſdam vel initio, vel ſaltem provecto morbo, tentari cœpit tuſſi, oppreſſione. Solvebantur hæ febres poſt quatuordecim fere dies, ſerius etiam. Jacebant immoti, & incondite: deliria non erant furioſa, ſed placida, & vel in ſomno, vel inter vigilandum inconcinna muſſitantium. Urinæ ſanorum, ſubinde croceæ ictericæ quibuſdam.

Petechias vidi ſæpius & hoc, & aliis menſibus effloruiſſe, quin æger inde commodius habe- *Petechiæ non criticæ.*

Miliaria vero ſponte nata, non coacta, critica fuerunt cum largis ſudoribus. Parotis lethalis.

beret. At vero miliares puſtulæ inter largos ſudores propullulantes ægrum a febre liberarunt penitus; ut hæc criſis, licet nullo definito tempore in ægris appareret, fuerit abſoluta, & plena.

Cuidam, cui ea febris ſoluta eſt modo inſenſibili, nullaque manifeſta facta excretione, ſiluit, parotis aquoſa, dolens tamen, ex utroque latere orta eſt ingens, & ingens colli tumor; anæſtheſia, deglutiit tamen, & juſſa linguam porrigere, porrexit. Purgans ſalinum, & mannatum dedi, & nuchæ adpoſui veſicans. Aliquantum tumores detumuere, dein magis: dedi arnicæ florum decoctum, tulit ſine cardialgia, denuo in creſcentibus parotidibus veſicans inter ſcapulas poſitum: periit.

Defluxione indomitæ hujus menſis.

Effrene, & exlex ſerum etiam hoc menſe, præſertim circa ejuſdem exordium, ferebatur ubique; repente nonnunquam in ventriculum; pleuram &c. deſæviens, ut ægri ejularent. Tepidi potus, fotus, veſicantia, ſtibium diaphoreticum non ablutum, tarde cicurarunt, etiam domarunt, hanc mole paucam, ut videbatur, ſed indole vaga & feroci peſſimam, materiem. Circa medium Octobrem ſævæ quædam gaſtritides, compluresque pleutitides invadebant cum febre modica, ſed intoleralibi cum dolore, ne minimum attactum ferentes. Secta vena ſanguinem ſummopere inflammatorium dedit & dolor fotu miteſcebat, tardiſſime & moroſiſſime ceſſabat. Atque ita ſcenam rheumatica materies ex abdomine tranſtulit in thoracem, & magis inflammans fiebat.

Hoc menſe nullæ ſaburræ, niſi raro, neque bilioſæ, ſed pituitoſæ, & exigua mole viſæ ſunt.

Hinc

Hinc rarus quoque emeticorum uſus; ſed crebrior venæ ſectionum moderatarum in initio, emollientium tepidorum, diaphoicorum, &c.

In cadavere fœminæ, quam ortis parotidibus antea dixi periiſſe, ſerum cruentum copioſum inter meninges inventum eſt, itemque in omnibus ventriculis, & initio thecæ oſſeæ elongatum encephalon continentis. Ruptura quoque fuit obſervata, dimotis cautiſſime lobis cerebri, penetrans in ventriculum dextrum, longitudine trium digitorum tranſverſorum, forte ab irruente in ventriculum hunc ſero, eumque ita per vim diſrumpente. Compreſſum & complanatum corpus ſtriatum iſtius lateris reperiebatur. Cauſa mortis a parotide.

Id genus ſeroſæ, ſeroſo-cruentæ collectiones repente fiebant ad encephalon, aut ad thoracem, in febribus putridis, eaque putridarum ſpecie, quam *lentam nervoſam* quidam appellant, alii *lymphaticam*, *catarrhalem malignam* alii, alii vero *rheumaticam malignam*. Quo mortis genere febris putrida ægros peremerit.

Hinc facta ad cerebrum metaſtaſi primo delirium, ſtupor deinde cum crebro quaſi grunitu, pulſu vibrato, duro, pleno; tandem oculis conniventibus apoplectici perierunt.

Quibus parotides ſub hac febre tumeſcebant, de vita periclitari mihi idcirco videbantur, quod hæc materies ad vicinum quoque encephalum eodem impetu feratur, & perimat.

Reſpiratio peripneumonica repente orta, febre hac jam longius provecta, metaſtaſin aquoſi aut cruenti ſeri in cavum thoracis factam ſignificabat.

Præoccupari plerumque poſſunt funeſtæ hæ migrationes, ſi toto tempore morbi alvum *paulo proniorem* feceris; non ſolo enemate, quo infi- Et quomodo periculum imminens ſub-

Inde poterit præoccupari. ſimum inteſtinum ſæpe ſolum eluitur, ſed ipſis remediis per os aſſumendis, quæ facilem tranſitam ipſa ſibi parare debent, & humorum quidquid eſt, ad anum, tanquam ad communem cloacam, invitare. Non id volo, ut humores concitatius, & quaſi pharmaco propinato, compellas (quamquam etiam id ſubinde facto opus eſt, in putridis nempe ab infimi abdominis ſaburra natis) ſed ut conſtans quidam, perlevis tamen, humorum ad alvum niſus, & inclinatio fiat.

aut præſens tolli. Factam metaſtaſin ſubinde ſolvit extractus e vena ſanguis; ſeu lanceola id fiat, ſeu hirudinibus ad tempora poſitis, ſive ſcarificatione nuchæ; dein vero movere alvum conducit, & veſicantibus depoſitum ſerum evocare.

Deſcriptæ hujus menſis febres *lentæ nervoſæ* dici queunt, & prout æſtivæ febres plerumque a *biliformi materie* gignuntur, ita hæ autumnales a *pituita*, ſeu *muco abundante* fiunt.

Communior conſtitutionum febrilium annua periodus. Plerumque mucoſæ hæ febres conſtitutioni *æſtivæ*, & *hyemali*, ſi modo ſuum hæc tempora tenorem ſervent, intermediæ jacent; ut uno extremo *bilioſos* æſtatis morbos contingant, altero hyemis *inflammatorios*.

Certe ubicumque ſingula anni tempora ab habitu conſueto non recedunt, *brumalis* phlogoſis in *vernam* pituitam extabeſcit, multorum morborum parentem: donec tandem & hæc temporum poteſtate ſubigatur, aut tandem ſub urentis caniculæ æſtus acreſcat, & ad præcordia confluat; non iners jam pituita, ſed mordicans, tumultuoſus, effrenis novus humor, a bile nomen ſortitus.

Appetente autumnali refrigerio bilis miteſcit, & immutatur, orta tunc denuo pituita diſtractaque per univerſum fere vaſorum ſyſtema. Inde mul-

multiplex imago febrium *pituitoſarum*, atque ea fere, quam hoc menſe frequenter ſpectabamus.

Una cum dyſenteria, quæ caput iterum efferre hinc inde viſa eſt, catarrhi complures, & quædam anginæ occurrebant.

Poſt medium menſem febris ſuperius deſcripta pectus frequentius & validius, & peripneumonice, invadebat.

Tuſſes validæ, ſputa pauca, tandem multa ductilia, pellucida, ovi albumini ſimilia. Venæ ſectionum initio febris neceſſitas crebrior. His febribus tepida, emollientiaque, & omnis ſtimuli expertia, manifeſto profuerunt.

Differentiæ inter *pituitoſam* & *bilioſam* hæ comparebant: in febribus pituitoſis abundans humor erat inſipida pituta, qua os & fauces redundabant, quæve anacatharſi prodibat, neque ad gaſtricas ſaburrales pertinebant, niſi *ſubinde* atque ſolum *ex parte*. Pituita enim per univerſum corpus diffuſa videbatur; cum bilis & mole major eſſet, & intra primas vias primario ſe contineret. Materia febris pituitoſæ & ejuſdem ſedes

Largior diarrhœa minus profuit. *Pituitoſis*, quam *in febre bilioſa* prodeſſe viſa ſit. Tamen magnopere juvabantur, ſi bis, terve, intra nychthemeron dejicerent. Quibus alvus per omnem fere decurſum morbi difficilis fuit, hi de capite, vel thorace nimium oppreſſo, atque inde de vita periclitabantur. ac criſes.

Vomitiones arte initio excitatæ non alleva bant, ſerius autem provocatæ exiguam, & neutiquam decretoriam, opem ferebant; cum febres bilioſas e contrario vomitus maturi ſæpe ſubito comprimant.

Sudores non coacti, & morbo provecto exorti, boni fuerint. Cutis ſiccitas diuturna, & ægritu-

dine jam multum promota, malum. Sputa urgeri, abſque metu inflammatoriæ ſtaſeos, non potuerunt niſi potu *tepido*, & *emolliente*.

Diverſa miliarium origo materies, periculum.

Miliaribus albis, ſpontaneis, inter largos non factitios ſudores obortis, hæc febris ſolvebatur non raro, & abſque alterius periculi ſuſpicione; in bilioſis vero febribus miliaris eruptio plerumque factitia eſt, perículoſaque, neglecta initio emeto-catharſi, aut regimine calido violenter expreſſa.

Differentiæ quædam febris pituitoſæ a bilioſa.

Symptomata febrium *pituitoſarum* mitiora in ſpecie, decurſus tardior, & minus tumultuoſus; quarumdam functionum minor a ſanitate receſſus, pulſibus nempe, calor & urina parum mutatis. Cum febris *bilioſa* ferociat magis, tumultuetur, & omnes fere functiones evidentius turbet.

Functionum præprimis animalium, ſub apparente lenitate, læſio major & periculoſior; ſenſuum ſcilicet tarditas, ſtupor, ſopor; delirium mite, taciturnum, & inter muſſitandum; obauditio, anæſtheſia, & narcoſis: in febre vero bilioſa encephali affectiones ſunt vividiores; cephalalgia dira; inquies, delirium, ſæpe furioſum.

Pituitoſæ continuæ ſunt, *bilioſæ* remittentes plerumque.

Luſus quoque mirifici, & innumeræ varietates accidentales obſervantur, æque in *pituitoſis* ac *bilioſis*: prout nempe hæc vel illa corporis pars *peculiarius* afficitur, ita varia erit læſarum functionum imago, materie licet eadem exiſtente.

Febris pituitoſæ varietates.

Hinc varia quoque nomina hæc febris ſortitur, e. gr. febris rheumaticæ, arthriticæ, lente nervoſæ, phrenitidis, anginæ, catarrhi ſimplicis, peripneumoniæ nothæ, catarrhi ſuffocativi, aſth-

aſthmatis, tuſſis convulſivæ, iſchiadis, lumbaginis, &c.

& complicationes,

Febris pituitoſa aut ſimplex eſt, ſinceraque; aut cum alia quadam febre e. g. *bilioſa* aut *inflammatoria* complicata; prout Æger aut bili aut phlogoſi magis ſubjacet, aut conſtitutio *bilioſa*, vel vero *inflammatoria*, propius abeſt.

ac intenſiones.

Febres *pituitoſas* diverſi ſubſelli eſt obſervare; cum quædam malignitatis damnentur, & abjecto *pituitoſarum* nomine *lentæ nervoſæ* audiant, aliæ vero benigniores ſint.

Subinde febris nondum adeſt *efficta*, atque *formata*, adeſt tamen diſpoſitio febriculoſa, & futuræ febris pituitoſæ rudimentum. Eadem quoque bilioſarum diſcrimina notabam.

Differentiæ quædam methodorum curativarum in febre bilioſa & pituitoſa.

Cum febrilis materies in febre *pituitoſa* per totum corpus diſtracta ſit, utut ejus non exigua portio primas vias obſideat; patebit, poteſtatem remediorum in eamdem materiem eſſe *indirectam*, at illam ſolummodo portionem, quæ in ventriculo & inteſtinis continetur, directe & efficaciter educi poſſe; quidquid vero materiei in interioribus cavis hæret, illud ab humoribus cæteris extricari, ſubigi, exterminari vario modo, & moroſe debere.

Sunt autem hæ naturæ ſolius operationes, cujus vires medicatrices magnitudini morbi, & ſubigendæ moli contemperare oportet, incitando, deprimendo, divertendo, removendisque iis omnibus impedimentis, quæ ſalubribus his naturæ conaminibus obſtare deprehenduntur.

At vero in *bilioſis* febribus major, certiorque, atque directa remediorum vis eſt in febrilem materiem, cum eam evacuare poſſis emeto-catharſi.

& diſpar prognoſis.

Methodus *indirecta* non raro fallit, cum ſolum *obli-*

oblique feriat cauſas febriles. Hinc febrium pituitoſarum curatio laborioſior, tardiorque, prognoſis incertior. Criſium errores periculoſi, & criſes ipſæ ſolenniores in hac febre, quam in biliosa.

In febre pituitoſa, præcipue provectiore, abſente phlogoſi, remedium aperiens, reſolvens, alterans, ſubemeticum mirifice confert.

Id vero genus medicamentum flores arnicæ ſuppeditarunt, ut poſthæc explicatius narrabo.

Major indies defluxionum & copia, & pertinacia & varietas.

Circa finem menſis anginæ plurimæ inflammatorio-rheumaticæ, aſthmata, peripneumoniæ cum reſpiratione aſthmatica, & orthopnœa nocturna: catarrhi pertinaces, qui ſæpe inflammationem conceperunt: tuſſes convulſivæ infantum: rheumata artuum magis rebellia, diuturnioraque, quam prioribus ſeptimanis, & ſubinde cum convulſionibus, aut univerſi corporis, aut maxillæ, non diu durantibus, item cum phrenitide; prout nempe vaga defluxio aut has aut illas partes laceſſeret.

Puellæ cuidam longo, rebelli, nocturnoque rheumatiſmo, eoque vago laboranti tumor in inguine dextro dolens pedetentim naſcitur, itemque ſenſim diſparet. Mercurium dedi, luem veneream ſuſpicatus: non profuit: ſero intellexi, rheuma eſſe hujus conſtitutionis, quod ſubinde alicubi tumorem excitat. Decepit me & locus tumoris, & dolorum pertinacium nocturna intenſio.

Juvencula 20 annorum die Octobris decima, morbi autem die nono, ad noſocomium deportabatur; exhibuit ſymptomata febris *compoſitæ* ex *lenta nervoſa*, *billioſa*, & *inflammatoria*; ſigna levioris pleuro-peripneumoniæ in latere ſiniſtro non

non deſuerunt. Data ſunt emollientia tepida. Sanguis iterata, venæ ſectione eductus corium pleuriticum oſtendebat. Vomuit etiam amurcam ſedata phlogoſi. Pulchre habuit, convaleſcere viſa eſt. Die 20ma. Octobris pulſus citatior fiebat, validiſſime, & ferme aſſiduo tuſſire cœpit. Sputa copioſa & ductilia prodierunt, tandem manente tuſſi anacatharſis ſupprimitur, pulſuum ſubinde vibratio, ſtupor, grunitus. Alvus toto tempore moroſa, clyſtere ſollicitanda, & imperſpirabilis, aſpera, ſiccave cutis. Reſpirationem ajebat liberam eſſe, & talis etiam nobis viſa eſt, excepta modica ſpirandi celeritate. Tandem ſtupor major, & ſine mente. Grunitus aſſidui, & aſſiduus, ſed inanis, tuſſiendi labor; urinæ nunquam flammeæ, plerumque naturales, ſubinde jumentoſæ, & parcæ. Die 24ta. Octobris periit.

Ex alvi ſiccitate, & cutis ſimul ariditate toto fere morbi tempore obſervata, urinis interim non copioſis, malum ominabar; etſi initio belle habere, & convaleſcere videretur. Rapi humores ad caput & thoracem aliunde noveram, ubi alvus & cutis & urinæ expoſita ratione ſe habent.

Ex ore & naribus cadaveris ſerum flaveſcens & odoris graviſſimi manabat. Reſecta calvaria encephali vaſa plurimum turgere, ventriculos vacuos, at infra cerebelli tentorium tres uncias ſeri, cum modico virore flaveſcentis, continuit.

Plures puellæ eodem morbo detentæ eadem methodo ſanabantur, tepidis nempe, & mollientibus, & venæ ſectione frequentiori, attamen quavis vice parciori. His ſputa copioſa, tenacia, mucoſa prodierunt, omiſſo omni ſtimulo expec-

torante ; cujus impatientiſſimos hos pectoris morbos vidimus.

Medio menſe aliquot iterum dyſenteriæ comparebant, materie nempe rheumatica, quæ nunc frequentius partes ſupernas, thoracem præcipue, infeſtabat, deſertas abdominis ſedes reviſente.

Puella 16 annorum elapſo vere chlorotica, martialium & amarorum uſu convaluit. Menſe Septembri vaga febricula prehendebatur ; nil ſumpſit remedii, morbum tenui diætæ committens.

Die 13tia. Octobris me vocat, aitque, a ſeptem diebus alvum eſſe torminoſam, frequentem, cruentam, ita, ut intra nychthemeron decies & quater dejiciat. Febriculoſam eſſe, ſitire, appetere tamen: tormina erant leviora, & ſolum imminente dejectione & ſub eadem. Abdomini cataplaſma ex floribus chamomillæ & ſambuci cum lacte curavi applicari: dedi ſequens: ℞. aq. chamom. unc. v. olei amygdal. dulc. unc. j. ſyrupi de alth. & diacod. ā unc. j. S. Miſce. Alvus intra viginti horas penitus mutata eſt ; dejicit raro, abſque torminibus, & flava, pultacea: ſaneſcit.

Poſt medium menſem cum meridiana tempora multum incaleſcerent, horis matutinis & veſpertinis urente gelidoque vento perflatis, dyſenteriæ quaſi poſtliminio redituræ videbantur. Emeſis non profuit, neque catharſis, qualiſcumque illa fuerit. Ab opio, etſi jam provectæ, ita abhorrebant, ut, quibus id datum fuerat, mox quaſi aſthmate corriperentur, & proximo mane, ubi pridie veſperam opium devoraverant, ultro faterentur, ſe noctu propemodum fuiſſe ſuffocatos. Sola antiphlogiſtica medendi ratio, venæ ſectiones nempe, emulſa tepida, & fomenta abdominis, profuerunt.

NO-

NOVEMBER.

AER ſerenus, ſiccus, & modiciſſime frigidus initio fuit. A die vero ſexta pluviæ aſſiduæ cadebant, quas medio menſe nives ſecutæ ſunt, elapſo biduo liquatæ. Inde cœlum frigidum, nivoſum, nebuloſum ad uſque menſis finem manſit.

Die 1. baromet. altiſ. . . 28 poll. 3 l.
Die 21. 29. infim. . . . . . 27 poll. 2 l.
Die 29. calor maximus . . + 12 gr.
Die 24. 26. frigus maximum —— 1 $\frac{1}{2}$ gr.
Calor medius . . . . + 5 $\frac{1}{12}$ gr.

Pauca funera hic menſis vidit, eaque ipſa ex morbis ſolum longis, & conſumtivis.

Febrium rheumaticarum hujus menſis indoles;

Poſtquam die 6ta. cœlum in pluvias diuturnas diſſolveretur, multi ad Noſocomium venerunt genu alterutro, utroque etiam, & carpis, tumentibus, & acute dolentibus; ita, ut immobiles, ut ſors dederat, cubare debuerint, tanta dolorum ſævities fuit, ubi commoverentur: quieti mitius habuerunt. Noctes difficiles erant, & febris inter ſudores profuſos ſine horrore. Tumentia loca, ubi dolor aliquantum remittere cœpit, impreſſi digiti veſtigium retinuerunt.

Febrium harum rheumaticarum materies genitrix non una fuit. Phlogiſticum quid ſemper aderat, unde emollientium, tepidorumque, & venæ ſectionis neceſſitas. At vero poſtquam hic menſis madere aſſiduis fere pluviis cœpit, manifeſtiora illuviei bilioſæ, quam menſibus præteritis ſiccioribus, ſigna in conſpectum prodiere, & ma-

major iterum uſus emeticorum fieri cœpit, qui menſibus præteritis fuerat perparcus.

In mentem venerat, humidam tempeſtatem, eamque frigidiorem functioni cutaneæ inimicam eſſe, & quæ per extimas ſuperficies deberent excerni, humore frigido corpora noſtra nunc ambiente cohiberi, repellique quibuſdam ad artus. Aliis vero per interaneorum ſuperficies ad præcordia confluere & gaſtricum ſyſtema inundare; nomine, colore, ſapore a bile mutuato.

uti etiam aſthmatum.

Ægro, qui nobis commitebatur, aſthmatico, cum febriret, ſitiretque, & pulſum haberet prædurum, detractus ſanguis eſt aliquoties, cum & levamen inde perciperet, & cruſta pleuritica formaretur. Pleraque quoque ſymptomata habuit, quæ hydrothoracem notare viſa ſunt. Initio remedia antiphlogiſtica data ſunt; deinde vero, quæ urinas modice ſollicitarent. Tumere & crura & femora cœperunt, tandem etiam abdomen mediocriter intumuit. Ex aſthmate periit. Pulmones ſaniſſimi reperti ſunt.

Complures dein alii, queis pectus æque oppreſſum, & anheloſa & ſibiloſa reſpiratio fuit, meliore uſi fortuna ſunt, mutata medendi ratione: his enim præmiſſa phlebotomia eſt, & dein datum emeticum, quod illico reſpirationem aſthmaticam emendavit.

Frequens icterus,

Icteri cum virore flavi non pauci circa medium Novembrem comparebant. Profuerunt gummi ammoniacum aceto ſcillitico ſolutum, & ſalia media.

& tuſſis convulſiva.

Tuſſes convulſivæ in urbe graſſabantur, de quarum curatione nihil habeo, quod referam, niſi, eos infantes citius convaluiſſe, & ægrotaſſe levius, qui inter tuſſiendum vomuerunt.

Referente quodam amico meo, ſal ammoniacus

cus nonnullis profuit tuſſi convulſiva vexatis, aliis gummi ammoniacum, aliis ſapo venetus.

Quidam convaluerunt, poſtquam hydromel purgans infantum diſpenſat. Vien. omni ſecundò die fuerat propinatum.

Cuidam omnibus incaſſum adhibitis profuiſſe ajebat decoctum florum arnicæ, herbarumque ſimul & radicum emollientium, adjecto ſale medio: mortes ab opio inductas, & in cadaveribus bronchia glutine obſeſſa vidiſſe.

Hoc menſe puellæ cuidam dextrum latus dolore pleuritico compungebatur; dolor erat diffuſus per totum latus: pleuritidem appellabamus *rheumatico-inflammatoriam*. Tertia morbi die (21ma. Octobris 1779.) in Noſocomium ſuſcepta eſt, exactis compluribus diebus dolor mitigari, tandem penitus deſinere, cœpit, & ægra anacatharſi ſputorum coctorum viſa eſt convaleſcere. Poſt Novembris initium difficilius iterum reſpirabat, abſque dolore quidem, ſed non ſine ponderis ſenſu. Pulſus modiciſſime febrilis interdiu, veſperi, noctuque durus, & diurno concitatior erat. Sudores noctu profuſi, in jugulo, ad claviculas, & thoracem præprimis. Tuſſis veſpertina, nocturna, humida initio, at morbo progreſſo inanis & ſicca: ſpiratio ſedenti, & in anteriora vergenti facilior, difficilis in dorſum, & impoſſibilis, ob ſuffocationis metum, in latus ſiniſtrum cubanti. In ſedente humerus dexter elatior apparebat; fors, quod, cavo thoracis dextro nunc graviore, centrum gravitatis, magis ſiniſtrorſum recideret. Lateris pars poſterior, dorſi regionem dextram conſtituens, videbatur eſſe magis convexa, atque protuberans. Thorax dexter in inſpirando vix attollebatur, cum totum ferme reſpirationis negotium pera-

Paracenteſis thoraci ſuppurati inſtituta.

geretur pulmone ſiniſtro ; ubi dexter thorax leviſſime ſolum, & nonniſi ob nexum cum thorace ſiniſtro, modiciſſime elevaretur. Hæc inæqualis utriuſque thoracis elevatio & viſu poterat obſervari, & impoſita utraque ad utrumque thoracem manu.

Circa octavam Novembris tumor in brachio ſiniſtro durus & dolens repente ortus eſt, qui admoto cataplaſmate emolliente aliquantum mollitus, dein perſciſſus, pus dedit laudabile, ſed paucum. Die Novembris 12ma. mamma dextra noctu repente intumuit cum rubore, livore, doloreque magno, poſtquam genarum per vices rubor, tumor vero aquoſus ſub oculo dextro, & ad dextrum carpum, livor labiorum & unguium jam per aliquot dies fuerat conſpectus.

Thorax quoque dexter, methodo *Auenbruggeriana* (*) pulſatus, illo ſonitu caruit, quem alias ſana thoracis cava, preſcripta methodo pulſata, edunt. An & major thoracis pure repleti calor fuerit, celeriorque illiti cujuſdam humoris in latere affecto exſiccatio, quam ſano, non inquiſivi.

Die 15ta. Novembris cubanti thoracem dextrum inter quartam, & quintam coſtam veram, nu-

(*) Vide *Leopoldi* AUENBRUGGER, medicinæ doctoris &c. *inventum novum ex percuſſione thoracis humani ut ſigno abſtruſos interni pectoris morbos detegendi. Viennæ apud* TRATTNER 1763. Non facile medicus reperietur, qui toties pus e perforato thorace emiſerit, ac idem Cl. *inventi novi* auctor; ut vel inde non exigua huic invento, ejusque auctori, commendatio accedat.

numero a ſuperioribus ducto, loco ſternum propius quam ſpinam dorſi ſpectante, perforari curavi: (is enim locus dolorum quondam focus, & centrum fuit:) magna vi prorupit pus tenue ſubcruentum, & fœdum. Facta deligatio eſt, manente interim ingenti puris quantitate, viasque ſibi per facias moliente. Ægra levari viſa eſt, attamen ejuſdem diei ſera veſpera, cum mane lateris ſectio fuerat inſtituta, vivere deſiit.

In cadavere pulmo ſiniſter ſaniſſimus fuit, dexter vero in exiguum ſpatium compreſſus, & membrana craſſa, fibroſa, antiqua obductus, cætera ſanus obſervabatur. Pleura quoque conſimili prorſus membrana ex pluribus veluti ſibi invicem impoſitis membranis, firmiſſimeque cohærentibus confecta, inveſtiebatur. Abſceſſus inter pulmonem & pleuram formatus fuiſſe videbatur; ita tamen ut neſciam, an potius ad pleuram, vel vero ad pulmonem pertinuerit.

Inter muſculos intercoſtales lateris ſiniſtri pauxillum puris hæſit, ea ratione, ut illuc delatum eſſe, non ibi factum, facile intelligeres.

Jecoris ſubſtantia molliſſima erat, dilute flava, & perquam friabilis.

Referente *Cl.* AUENBRUGGER, qui ſolus omnium plurimos emiſſo e thorace pure ſanavit, pleuritides *rheumatico-inflammatoriæ* promptius in empyema tranſeunt, punctura thoracis curandum.

Aſſerebat, pleroſque intra ſex ſeptimanas a perforato thorace fuiſſe ſanatos.

Paucos tamen paulo poſt emiſſum pus mortem oppetiiſſe, quam peripneumonicam fuiſſe exiſtimabat, atque a ſanguine natam, validius in pulmonem antea compreſſum, nunc vero liberum, irruente.

Hinc

Hinc non unica vice pus omne educit, ſed latere perfoſſo, & emiſſa exigua puris quantitate contentus ægrum deligari jubet. Pus dein parce, atque inter faſcias profluens, pulmonem compreſſum *pedetentim* ſolum, & *tarde* ſinit explicari, & incurſanti ſanguini moram facit.

Pulmonem in cadavere noſtro reperiebamus nondum ex integro explicatum, ſanguine tamen non gravem.

Quid ſi mortes, parcenteſin inſtitutam educto omni pure celeriter inſequentes, repeteremus a cordis functione repente turbata, confuſaque? Cor enim ingenti puris mole diſlocatum & preſſum hanc repentinam a puris pondere immunitatem impune nos feret. Hanc in noſtra ægra mortis cauſam rationi magis congruam, & probabilem magis puto.

Ob eamdem rationem HIPPOCRATES quoque pauciſſimam aquam emittere jubet; ſi in hydrothorace ſectio inſtituatur. *L. 2. de morbis.*

Mortem quoque ex puris conditione præſagire poteramus, oraculo Coo edocti: evadere eos, quicumque ſuppurati uruntur, aut ſecantur, ſi pus purum fluxerit, & album; ſi vero ſubcruentum, fœculentum, ac fœtidum, perire. *Aphor.* 44. *Sect.* 7.

Poſt medium menſem quamplurimi nos accedebant diros articulorum cruciatus queſti, ſæpe vagos, horis veſpertinis atque nocturnis graviores, ex ſexu præcipue ſequiori. Quidam febricitabant validius, ut iterato ſanguis fuerit detrahendus, omni nota pleuriticus. Plerique febre carebant, etſi morbum febricula inchoaſſet. Uſi ſumus remediis ex antimonio paratis; veſicante, decocto ſtipitum dulcamaræ, bardanæ, taraxaci, lapathi, liquiritiæ, infuſo flammulæ Jovis, &

& extracto aconiti. Paucos quoſdam cito reſtituit decoctum eccoproticum multo tartari cremore fœtum, eos præcipue, quibus os paululum amareſceret. Reliqui omnes tarde ſanabantur, quibuſcumque remediis tentati. Quorumdam moroſiſſimos dolores artuum, & febre deſtitutos, decoctum florum arnicæ profligavit.

Non poſſum hoc loco præterire, quæ hoc anno de arnicæ floribus, experiundo atque obſervando didicerim. Quæ de floribus arnicæ fuerint obſervata.

Atque hæc, quæ modo dicturus ſum, idcirco ſolum dicentur, quod, quæ meis ægris tanto meo cum ſolatio profuerunt, ab alia ſæpe medendi ratione deſertis & conclamatis; aliis quoque exiſtimem profutura: non amore novitatis: ſine ſpe, ſine metu, ſine ira & ſtudio, quorum omnium cauſas procul habeo.

Non puto ſufficere, ſi aſſeruero, flores arnicæ in febre putrida eminenti quodam modo profuiſſe; cum febris putridæ notio vaga ſit, atque indeterminata, & cui nullum adaptare ſtabilitum, atque immutabilem medicandi modum poſſis; cum eumdem ex oblato primum particulari caſu formare, atque conſilium plerumque ex arena capere ſit neceſſe.

In febribus putridis decoctum florum arnicæ propinabam, 1mo: ubi nulla ullibi alicujus viſceris inflammatio ſubfuit, aut ea jam fuerat depulſa; 2do: pulſu aut naturali, aut ad eumdem proxime accedente, ægro nihilominus debiliſſimo, & animali functione projecta; 3tio: ubi lingua aruit, aut muco multo & ſordeſcente obduceretur; 4to: ægro præprimis ſtupido, tardo graviter audiente, ſomnolento, muſſitante, ſubdelirante; 5to: in febre *putrida pituitoſa*, lenta nervoſa, aut eidem analoga, putrida verna- Sub quibus conditionibus in febre putrida flores arnicæ profuerint.

nali & autumnali ; qua videlicet utraque tempeſtate major humorum lentor eſſe ſolet , & febrium putridarum decurſus minus celer , & minus tumultuarius , quam iis in putridis obſervatur , quæ vigente æſtate occurſant , atque ex biliofis antea in putridas abierunt ; etſi & his non inauſpicato flores arnicæ aut ſoli , aut cum eorumdem radice medeantur ; 6to : facta prius primarum viarum purgatione ἄνω aut κάτω , ſi quando (quod equidem plerumque contigit) materies aut ſurſum aut deorſum turgere viſa eſt ; item , exanthemate petechiali miliari , aut alio quocumque , exſtante , vel etiam non exſtante.

Quæ autem obſervabam in ægro ab hoc remedio mutari , hæc ferme fuerunt :

1mo : multis ventriculus plus , minusque dolebat , aut flatu & borborygmo vexabantur. Qui ſopore , aut ſenſuum tarditate , & ſtupore tentabantur , largiſſimas doſes ferebant , & prout alacriores fieri , & habere melius cœperunt , ita conqueri de ventriculo , & incuſare oblatum remedium ſolebant. Verum tunc jam extra teli jactum conſtiterunt. Cardialgiæ etiam graviores mitigabantur , aut ex toto ceſſabant , ubi *refractior* doſis , ſed tanto *frequentius* , propinabatur , ut intra nychthemeron præſcripta decocti ſaturati moles fuerit abſumta.

Frequenter carminantia remedia addidimus.

Sævior etiam cardialgia ab hoc remedio excitata , qualem ab alio quocumque medicamento inductam plurimum fuiſſemus averſati , tanquam ex inflammatione natam : Ægris noſtris præter moleſtum doloris ſenſum nihil mali fecit.

Vim *ſpecificam* in ventriculum exerere hi flores mihi ſemper videbantur , & forte hac ipſa vi febri putridæ , quæ plerumque ſuos natales

tales ex ſyſtemate gaſtrico ducit, tam potenter mederi.

2do: Quidam ab aſſumto decocto per vices vomuerunt; vomitibus modicis non tumultuariis, poſt longiora intervalla recurrentibus; initio ſaltem, donec ventriculus fuerit ferendo par.

Plerique decocti gravem ſaporem horrent, nauſeabundi perpetuo, etſi non vomant.

Vomitiones has non compeſcebam; aut innoxias vidi, aut etiam ſalutares.

3tio: Pauciſſimis alvus movebatur, quæ tamen omnibus facilis erat, & naturali paululum promptior.

4to: Vis florum alterans, potenter reſolvens, & ſubemetica omnibus ferme experimentis demonſtrabatur.

5to: Plerique ſine manifeſta criſi & pedetentim convaluerunt

Morbi in meliorem ſtatum converſi initium ducebam ab eo ipſo die, quo æger interroganti citius & promptius reſpondebat.

6to: Urinam in multis croceam & ferme ictericam cum morbi levamine obſervavi.

7mo: Quidam levi ictero perfundebantur, quem oculorum album potius, quam reliqua corporis ſuperficies exhibebat.

Nunc qua doſi & forma hoc remedium propinarim, paucis dicam.

Plerumque unciam dimidiam, non raro unciam unam, rarius unam cum dimidia, atque unica tantum vice uncias duas, florum arnicæ in ſufficienti quantitate aquæ coquendas curavi, ut decoctum librarum duarum pararetur, adjecto ſyrupo quodam conveniente. Inde omni ſecunda hora æger vaſculum hujus decocti hauſit.

Qui-

Qui hanc doſin ægrius ferebant, ſingulis horis priorem doſin dimidiatam hauriebant.

Raro corticem peruvianum una cum hiſce floribus coqui juſſi, atque eo ſolum in caſu, ubi aut morbi longitudine, aut ſanguine fortaſſe nimio educto, ſolidorum compages dehiſcere, laxarique inciperet, vel vero ubi febris, quæ hucuſque uno tenore perſeveraret, in remittentium tribum tranſiret, ſtatosque auctus pateretur, & decrementa.

Perraro quoque arnicæ *radicem* adjeci, & tunc ſolum, ubi ægrum alvi fluxus exerceret non levans, ſed exhauriens, atque enervans. Tum vero unciam unam, vel etiam unam cum dimidia radicis arnicæ decoctioni florum ferme ad finem perductæ addi & momento temporis una coqui curabam, clauſo vaſe, & dein aliquamdiu in quiete repoſito, donec refrigeraretur.

Radix arnicæ coctionem non niſi leviſſimam admittit; quam tamen ejuſdem flores ſat productam requirunt; ut idcirco a *decocto* radicis, aut ejus *extracto* ſperes nihil, quo tamen utroque modo flores proſunt.

Parum forte videbor feciſſe, ſi remedium quoddam profuiſſe demonſtrem, cum medicaminum potius copia, quam inopia laboremus; niſi hoc ipſum oſtendam & efficacius fuiſſe, & indicationibus curativis præ alia quacumque re adcuratius reſpondiſſe.

Periclitabar profecto omnes fere methodos decantaras, & methodorum modos omnes, ut ſtabilitam tandem, determinatamque, febri putridæ medendi rationem invenirem; cum, qui eo morbo decumbant, potiorem ægrorum meorum partem conſtituant, tum quod hac ipſa in re & opi-

opinionum, & methodorum diverſitatem conſpicerem non componendam.

Eamdem, quam multi alii clari viri, ſub hac vel illa medicatione ſortem perſæpe non experiebar, videbarque mihi multa detexiſſe, quæ precario tanquam vera aſſumpta, falſa licet, opiniones quoque falſas, & methodos iiſdem analogas pepererunt.

Verum hæc mea de febrium putridarum natura, & modo medendi cogitata publici juris tum demum faciam, ubi ulteriori obſervatione maturuerint; ne fructu nondum excocto atque immaturiore lectorum orexin offendam.

Interea fateor, me floribus arnicæ multo fuiſſe auſpicatius uſum, ac alio remedio quocumque. Sed oportebat & tempora noſſe, & morbi conditionem medicamento huic oportunam, hucuſque a me abunde, ni fallor, explicatam; ſine qua opportunitatum cognitione quæcumque medicatio mala eſt, non remediorum vitio, ſed inſcientia medentis.

DECEMBER.

TOTUS hic menſis auſtrinus, molis & tepidus fuit atque aut pluviis, aut nebulis maduit, και πολυς ϖλαδοσ; gelu rariſſimo, leviori, & noctu modiciſſime & ſubinde ſolummodo, viarum humorem ſtringente.

Die 7ma. menſis nives cecidere tantum ephemeræ, die vero 10ma atque 11ma denuo nives delapſæ ſunt perquam confertim, ſed æque inſtabiles.

Die 15ta. ventus impetuoſus nubes diſpulit, ortaque die ſequenti malacia novas iterum nives conſpiciebamus, uberrimaſque, ſed mox iterum auſtrino tepore colliqueſcentes.

Die 30. barometr. altiſſ. .	28 poll.	$5\frac{1}{2}$ lin.	
Die 22. infim. . . .	27 poll.		
Die 31. frigus maximum	—	4	gr.
Die 3. calor maximus .	+	13	gr.
Calor medius . . .	+	$4\frac{2}{3}$	gr.

Defluxionum vis tanta, qua major vix unquam eſt obſervata: par pertinacia & dolorum ſævitie.

Arthritidum, & rheumatiſmorum uberrima meſſis etiam hoc menſe fuit; ut id genus morbos aut frequentiores, & ἐπιδημικωτέρους, aut ſæviores, aut pertinacioris indolis nec viderim ipſe, nec fando acceperim.

Quibuſdam ita vexatis febris erat phlebotomias expoſcens, & tepidorum, ac emollientium uſum. His ſero tandem veſicans profuit, & univerſim, utut tarde levarentur quacumque methodo medendi, citius tamen ſanabantur, ac illi, quibus dolores fuere ſine febre.

Mira variatio ſymptomatum erat, cum quibuſdam pectus repente infeſtaretur aut dolore pleuritico, aut aſthmatica ſpiratione. Paralyſin brachii, maxillæ tetanum, emproſtothonum, choleras non præviſas, tormina, mictus difficiles, lumbagines, iſchiades, vertigines, & innumera alia incommoda a rheumate furibundo, & vago, nunc hanc, nunc illam, partem impetente producta perferebant.

Evacuantia quæcumque, alterantia ex antimonii præparatis, doſes refractæ ipecacuanhæ, bardanæ, ſtipites dulcamaræ, aconitum, & flammula Jovis, quorum ſingula alias mirum quantum profuerunt, in hoc rebelli morbo pauciſſimos ſolabantur, nec ullum ab ipſo mercurio levamen fuit.

Qui

Veſicantia iteratis vicibus eidem plagæ impoſita nequidquam profuerunt.

Hac tempeſtate occaſio offerebatur, experiundi, quantum ferre qui poſſit extracti ex aconito parati. A minuta doſi incepimus, atque eamdem ita auximus quotidie, ut æger intra nychthemeron abſumeret partitis vicibus, abſque incommodo, ſcrupulos ſeptem.

Quartanas quaſdam primo ſolventibus multis, decocto graminis, taraxaci, & ſelibus mediis aggrediebamur, & cum intenderentur, & hydrops inſtaret, cortice peruviano. Febris compreſſa eſt, ſed exactis duabus ſeptimanis denuo revertebatur, niſi majores corticis doſes quotidie & diutius devoraſſent. Quartanæ corticis peruviani impatientes.

Quidam ſub uſu corticis continuato in febres continuas, inflammatorio-putridas, inciderunt.

Placuit ergo quartanis ſerius oblatis, iisque duplicatis & triplicatis aliam aptare medicandi rationem, in iisque florum arnicæ vires periclitari. En obſervationum mearum ſummam! Tandem floribus arnicæ ſanatæ.

Pulverem florum arnicæ ope ſyrupi corticum aurantiorum in formam electuarii craſſioris redigi curavi, juſſique, ut æger quotidie quater caperet quantum nucem moſchatam æquaret. Qui hac doſi utebantur, cardialgiam flatulentam, tolerabilem tamen, experiebantur. At qui majores portiones abſumſerant, ventriculo graviſſime dolebant paulo poſt, inter ejulatus, & ſudores uberrimos, frigidos, pingues, tenaces, cum pulſu magno & pleno, tardiſſimoque. Alvum experti ſunt difficiliorem, & ſolo ferme enemate proliciendam.

Cardialgia hæc enemate mitigabatur, & carminantibus variis, opio præſertim, ſecure & cito.

Quartanæ triplicatæ hac methodo in duplicatas,

tas, hæque in ſimplices, converſæ ſunt intra non multos dies; ex integro tandem cum reliquo quartanarum febrium ſatellicio profligatæ ſunt, abſque periculo recurſus.

Qui largiores florum doſes abſumebant, ventriculo gravius dolebant, ſed multo citius ſanabantur ex febre: quaſi ea iſa permoleſta ventriculi affectio, quam flores arnicæ excitarant, febriles eliderer paroxyſmos; ut idcirco graviſſimæ febri, & pertinaciori non mederetur, niſi valida, & morbo commenſurata remedii actio fieret in nervos præcodiorum.

Non perinde nobis erat ipſos arnicæ flores, vel vero eorumdem decoctum, exhibere. In febribus putridis decoctum præplacuit, in intermittentibus vero flos ipſe. Decoctum florum vomitum *crebrius* concitabat, ſed *rarius* ventriculi dolorem, eumque leviorem. Præterea proniores habebant, liberioresque ſeceſſus ſub uſu decocti, quos non niſi laborioſos & raros querebantur, qui floribus ipſis fuiſſent uſi.

Hæc ipſa florum arnicæ vis in nervos gaſtricos quoſdam explicatus dabit, ſublatæ quondam eo remedio tuſſis convulſivæ, quæ quibuſcumque antea medicamentis reſtitiſſet. Operæ pretium forte non pœnitendam is reportaret, qui adcuratius in vires hujus floris potentes ſane inquireret, & vim hanc *cardialgicam*, floribus peculiariter inſitam atque ſpecificam, certis noſſet affectibus morboſis tanquam medicinam opponere.

Quid? ſi in morbis quibuſquam graviſſimis nervorum, epilepſiæ, maxillæ tetano, aliiſque, ubi non raro nimis curtam medicinæ ſupellectilem querulamur, remedii hujus cardialgici vis exploraretur?

Plu-

Plures ſcorbuto incipiente affecti hoc menſe ad nos venerunt gingivis conſumptis in inferiori præcipue maxilla, & cineris dentibus, atque a gingiva deſertis, anima fœtente, doloribus vagis, veſperi & noctu acutioribus. Puella unica præ cæteris gravius multabatur. Longis antea intermittentibus vexabatur: tumidulo & paſtaceo habitu erat, atque a tribus menſibus lividis latisque maculis per crura & femora hinc inde ſparſis, itemque petechiis ſcorbuticis, rotundis nempe, obſolete rubris, diametrum grandioris ciceris, & creberrimis per brachia & omnem corporis truncum diſſeminatis variegata. Mictus cruentus, pallidiſſimæ & evaneſcentes gingivæ, & animæ fœtor peculiaris. Sero lactis cremore tartari parato, & herbarum antiſcorbuticarum conſervis ſub hujus menſis finem ſaneſcebat. Scorbutus levior paſſim.

Scorbutica hæc labes videbatur aliquantum epidemica eſſe, ob aſſiduum humorem atmoſphæræ.

Phthiſin *inchoantem* in textore ſanabamus phlebotomia repetita, ſed ſingulis vicibus parciori; vegetabili victu, & potu tepido, atque emolliente. Phthyſis incipiens ſolis antiphlogiſticis ſanata.

Hanc phthyſeos ſpeciem ab aliis quibuſcumque diſtinguebamus: erat enim potius *chronica atque occulta aut pleuritis, aut peripneumonia in ſuppurationem jamjam tranſitura; aut forte in exigua atque ſanabili plaga jam modice ſuppurata.* Quam nos ideam habuerimus de hujus phthiſeot natura.

Thoracicas id genus inflammationes ſub *incipientis phthyſeos* nomine antiphlogiſtica hac methodo & ſanavimus ipſimet, & ſanatas ab aliis accepimus.

Paucas febres inflammatorio - putridas hoc menſe habuimus curandas, longas, taciturnas, non tumultuantes, pulſibus vix mutatis, cute

univerſe & linguis aridis, tuſſiculoſas, & ſub-peripneumonicas, atque ακριτικως. Venæ ſectiones repetitæ, non profuſæ, emollientia, tepida, humectantia, & ſitus corporis erectus, tandem decoctum florum arnicæ, profuerunt.

SECTIO III.

DE
CAUSA ET SEDE
PHRENITIDIS.

AD VIRUM CLARISSIMUM

GUILLELMUM GRANT,

MEDICUM LONDINENSEM.

EA, ut potero, explicabo, nec tamen, ut Pythius Apollo, certa ut ſint, & fixa, quæ dixero: ſed, ut homunculus unus e multis, probabilia conjectura ſecutus: ultra enim, quo progredior, quam ut veri videam ſimilia: non habeo.

TULLIUS.

DE
CAUSA ET SEDE
PHRENITIDIS.

COMPLURES ad nos ferebantur, qui inter furores inſaniebant. Pleroſque non magna febris tenebat, ſi ejuſdem menſuram ad ſaltum arteriarum dimetiaris, quoſdam perobſcura, paucos elatior: febriebant tamen omnes, etſi varia intenſione. Quibuſdam oris, & linguæ conditio, uti in ſanis, obſervabatur. Paucis a naturali harum partium habitu non magnus receſſus; lingua modiciſſime, aut albida, aut flaveſcente. Phrenitidis nobis oblatæ deſcriptio.

Omnibus, quouſque mens ſana fuit, morbi initia ab horrore ſunt cœpta, ſummam ſolum cutem perſtringente, vago, atque per vices; obtuſa cephalalgia, intermiſto denuo calore inſueto, & artuum laſſitudine, ac minuto ciborum deſiderio. Veſperi noctuque paulo difficilius ægrotabant, obambulantes tamen & ſuis quiſque laboribus functi.

Tandem mente laborare, ſed diverſa ratione occœperunt. Hi enim repente in furias agebantur;

tur; illi prius convulſi epileptica convulſione, aut grave animi deliquium paſſi, ſoluta nervorum diſtenſione, aut lipopſychia inſaniebant. Pauci deſipere pedetentim, atque per intervalla, plerique inopinato & graviter & cum furore cœperunt.

Id animadverti, non eadem intenſione eos interdiu noctuque ferocire, ſed eſſe quaſdam ferociæ remiſſiones, nulli plerumque horarum periodo alligatas; ſubinde tamen ſtato tempore recurrentes, atque ita, ut meridie manſuetius, veſperi gravius, noctu graviſſime, furerent cum ejulatu, taurino muſculorum robore, colliſis dentibus convulſi vel ſolis maxillis, vel etiam corpore univerſo. Sudoribus plerique diſfluebant. Omnium fere tendinum aſſidui ſaltus, aut tremulæ micationes. Quidquid ore hauriendum offerres, averſio pertinax: ſicca alvus: lotium paucum, & raro miſſum, & ſi quid excipi poterat, croceum, atque icterodes.

Pulſum habuerunt plus minuſque acceleratum, atque eumdem in tribus viris deprehendi, inſtar percuſſæ chordæ vibrantem.

Phreniticorum quorumdam hiſtoriæ.

Quorumdam phreniticorum hiſtorias narrabo, eo animo, ut quæ morbi natura, ac ſedes fuerit, & quæ ſoleat plerumque eſſe, non ego ipſe ſtatuam, ſed diſpar exitus morbi; diſparem æque medendi rationem conſecutus.

De phrenitide vero hic ſolum carptim agam.

Tertius annus eſt, ex quo juvenculam mihi concrediderunt parce ſemper, tardius, atque ſolito aquoſiora menſtruantem, aliquot jam diebus leviter febrientem, moroſam, multa præter morem ineptientem, minus appetentem, ac laſſam. Fuit, qui febrim intermittentem prædiceret. Ea ægritudinis præludia fuerunt: obambulabat, ſed ægre.

Tan-

Tandem apertius & deſipere, & febrire, mihique committi.

Rei ſummam memoria teneo, unde iſta depromo, cum, quæ in ſingulos acta dies eſſent, negotiis aliis tunc longe plurimis diſtrictus in pugillares non retulerim; ſed ſiniſter eventus morbi, ut quem curare nequiveram, fidelem ſui memoriam reliquit.

Febrientem accepi, & placide delirantem. Pertuſa ſemel atque iterum vena, datisque, quæ alvum per epicraſin, & diutius ſollicitarent, mite delirium in ferociam commutabatur. Febris in initio non magna, nunc nulla videbatur, & ſi quid febrim argueret, id facile vigiliis aſſiduis, jactitationibus, clamoribus, & irritato per hæc humorum circuitui tribuebam.

Cum ægram itaque apyreton judicarem, delirium aſſiduum, ferox, atque per multas ſeptimanas; multa, quæ maniæ mederi ſunt obſervata, adhibui, & fere pleraque, ſi emeto-catharſin excipias. Purgantibus uſum moveram diu, & abſque emolumento, quin ſub ipſo eorumdem uſu deſipientiam placidam abiiſſe in furias. Hinc ab emetico ſperabam nihil, metuebam plurimum, in ea ægra, quæ pharmaco etiam multo mitiore quam longiſſime eſſet a ſana mente dimota.

Ita novem ſeptimanæ habebantur inter aſſiduas furias. Donec ægra in alium locum transferebatur, ad maniacorum videlicet ergaſtula. Ibi curatam novi, etſi, qua methodo, ignorem.

Ex iis, quæ mihi referebantur, gratiola una, atque altera vice propinata ſanatam conjicio. Sed ad alios non adſimiles caſus properemus.

Æſtate anni 1776. aliam ad me juvenculam deportarunt, delirantem æque, ſed abſque furore, mihique narrarunt, ab aliquot jam diebus le-

leviora frigora, caloresque intermiſtos, dedolationem, anorexiam, & oris amarorem eſſe queſtam; omni alterna veſpera luculentius febricitaſſe, erectam ut plurimum, atque heræ moroſiori, ſæpiusque adverſa valetudine tentatæ, etiam noctu ſervientem. Sub ipſis acceſſionibus mens vacillabat, atque etiam aberrabat. Febrim bilioſam eſſe medicus, qui vocabatur, ajebat, deditque ſcrupulum pulveris ipecacuanhæ. Vomuit perpaucam pituitam, at nil emendatur: ad me defertur, multa & inconcinna loquitur attamen non ferocit. Febris aſſidua vario tempore exacerbata, & ſub hiſce exacerbationibus deſipientia major.

Sanguinem compluribus vicibus detraxi, modo bonum, modo craſſa phlogiſtica cruſta coopertum, atque ex venis variis, pedum, brachiorum, & juguli. Sanguiſugæ ad tempora, veſicantia nuchæ, poſca capiti adplicata. Verum ſub horum uſu deſipientia in ferociam abiit aſſiduam: febris magna, tendinum ſaltus, atque per vices accedens triſmus.

Hac methodo cum proficerem nihil, reducere humorum impetum ab encephalo volui ope purgantium leniorum. Sed nec ita profeci quidquam. Ægra æque ferocit, attamen minus febrit, ſed virium jacturam mollities pulſuum teſtabatur. Mutato conſilio ad nervina, & camphoræ doſes largiores ventum, cum ejus remedii vim in non abſimili morbo clarorum ſcriptorum obſervationes quædam nobis facerent teſtatam.

Poſt diuturnum horum uſum deliniri ferocia primum, dein etiam lucidis intervallis diſtingui: tandem apta, concinnaque loqui, ſed immodica garrulitate, cui ſi diutius indulgere permit-

te-

tebatur, ferri denuo mens exlex cœpit, & ad ineptias divagari; ægra nihilominus obambulante, cæterisque actionibus ad modeſtiæ normam compoſitis; atque ita diutius fatuitatem inter, & mentis ſanitatem ambigebatur. Demum cortice peruviano, & foliis aurantiorum eſt uſa.

Exactis tribus menſibus, crurumque œdemate, quod ſub ultima morbi tempora acceſſerat, depulſo, ſanata domum repetiit, ſed ita, ut poſſim dubitare, ſecunda valetudo medicinæ, an corporis beneficio, contigerit.

Tres adhuc hiſtorias narrabo, etſi complures ſuppetant mox enarrandis conformes, ſed quas ob id ipſum non proponam. Collectæ obſervationes, & numero plures, & eventu diverſo in re non diverſa huic mentis ægritudini exactius intelligendæ forte quid lucis affundent.

Ita poſthac confidentius perſequemur hocce

parietibus textum cæcis iter.

Faber ille ferrarius, qui Nro. 11. decubuit, pulchram nobis in hanc rem obſervationem dedit. Fuerat in annorum 44. lacertoſus, copore breviori, ſed denſo, atque compacto. Noſocomium adiit die 13tia. Junii 1778. aitque, ſe jam a ſex diebus laſſum eſſe, minus appetere, levique per vices, maxime vero ſub veſperam, horrore peſtringi; ob hæc ipſa icommoda nudius tertius medici cujuſdam ſuaſu brachii venam ſecuiſſe. Nihil emendatum eſſe; quin potius, tremorem mox ab educto ſanguine acceſſiſſe totius corporis, (tremebat totus cum hæc narraret, quemadmodum ſub acceſſione febrili ſoleat); hucuſque nondum præter morem, decu-

cubuiſſe, atque operi fabrili, moroſius tamen, vacaſſe.

Pulſus habuerat a ſanitate vix abludentes, vibratos aliquantum, modiciſſime acceleratos. Nulla guſtus aliena conditio, & lingua leviſſime ad radicem albeſcens, mens firma, & ſermo promptus: alacritas: in ſudores fuiſſe per hoſce valetudinis adverſæ dies proclivem ajebat, & urinas paullum magis, ac ordinario, tinctas.

Ajebam adſtantibus, febrim eſſe perquam exiguam, & febris bilioſæ ſolum rudimenta: rem probabilius poſſe totam componi remedio leviter ſalito, blandiſſime alvum ſollicitante, potu aquoſo, mellito, poſca.

Eum diem in ſeram uſque noctem, quemadmodum narravi tranſegit.

Altera die, (14ta. Junii,) cum ægrorum cubilia peterem, procul clamores audio late ſonantes; mox hominem furiis agitatum ipſummet video, qui vinclis cohiberi, ob inſolens robur, vix poterat. Ajebant cuſtodes, nocte fere media repente fuere cœpiſſe, horasque noctis reliquas vociferatione aſſidua turbaſſe; vincula ſat firma aliquoties perrupiſſe, multa undique injecta manu vix potuiſſe coerceri; non vidiſſe ſe ullum a multis retro annis, qui tantis viribus polleret, neque tantopere efferatum. Sudores profuſi, aſſidui, toto copore depluentes; pulſus vibrati; urinarum conditio me latet, cum æger lectum comminxerit.

Illico tria grana tartari emetici exhibeo, non vomit, non dejicit, nec ulla ratione a minuta hac doſi affici videbatur.

Exacto horæ unius ſpatio potionem emeticam octo granis tartari emetici fœtam ita propinari juſſi, ut dimidiam portionem modo ab-

ſu-

ſumat, alteram exacta dimidia primum hora, ni prima doſis propoſito reſponderet. Fœmina ægrorum cuſtos potiunculam propinat, quam æger, vinum eſſe exclamans, ita avide ingurgitabat, ut, æſtimatione facta, ſeptem grana tartari emetici hauſerit uno fere hauſtu. Cuſtos, utut dividere portionem juſſa, hac prompta bibendi voluntate uti voluit, atque ita plus, quam mandaveram, ingeſſit, verum

——— *ut ſæpe jam in multis locis*
plus inſciens quis fecit, quam prudens, boni,

ita etiam nunc auſpicato hic error contigit, ter enim bilioſa vomuit, ter dejecit. Manabant uberrimi ſudores. Mox remittere furor, placide dein, & muſſitando delirare. Veſpera appetente indormire per vices, & tandem compluribus horis ſomno non interrupto, tranquilloque ultra mediam noctem ſoporari. Verſus auroram diei 15tæ. Junii evigilat, reducta mente, & prorſus ſana.

Ex eo tempore decocto tamarindorum, radicis graminis, taraxaci, cichorei, & tartari cremore uſus, ac paucos poſt dies ſanus ad ſuos rediit, valetudine, ut poſthac innotuit, conſtanter bona (*).

Au-

(*) Gaudeo, me hujus curationis teſtem, egregium *Carol. Gulielm.* NOSE poſſe compellare, quem ob præclaras integerrimi animi dotes, ob eruditionem multiplicem, in artis ſpes & incrementa natum, Viennæ tunc amabamus, nunc vero Auguſtæ Vindelicorum commorantem invitiſſimi deſideramus.

Autumno anni 1778. Famulus Illuſtriſſimæ Comitis de B** in Noſocomium ſuſceptus eſt mente lapſus, & furens. Quatuor, an quinque, diebus antea, cum multum hinc inde curſitando incaluiſſet, & cereviſia immoderatius ingeſta ſitim reſtingueret, mox capite doluit, & friguit per vices, & præter morem. Doluit quoque thorace dextro ad coſtas ſpurias, dolore pungente, non valde intenſio, & ſine tuſſi: non decubuit.

Inſtituta phlebotomia, atque extracto coriaceo ſanguine, non juvabatur. Linguæ & guſtus ea ratio, quam in recte valentibus videmus. Veſperi ejus diei, quo ſanguinem eduxerunt, mente dejectus delirat, torvo aſpectu, celerrime rotatis oculis, & quaſi prominentibus cum ejulatu, & œſtro percitus. Perfluebant ex omni corpore ſudorum rivi, pulſu arteriarum vix citatiore, veruntamen vibrato. Fit altera venæ ſectio eadem veſpera, quæ ſanguinem aſpectu bonum dedit, ſed ægrum non levavit. Noctem inter furias exegit cum interdiu cicuratius deliraſſet.

Altero delirii die circa meridiem nobis committitur, iis horis, meridianis nempe, cum domo efferreretur, in via reſipiſcere aliquantum incœpit; ut adveniens & apte loqueretur, & quod initium morbi fuerit ad id uſque tempus quo mentem amiſerat, ad amuſſim referret. Nondum integra hora ab adventu in Noſocomium præteriverat, cum denuo fureret, pulſu forti, pleno, vibrato, ſed vix præter ordinem accelerato, inter aſſiduos ſubſultus tendinum, & ſudores largos.

Sanguinis ex nocte perparum detraxi, viſurus, & quomodo phlebotomiam ferat, & quæ condi-

ditio ſit ejuſdem emiſſi. Eum cruſta phlogiſtica carentem vidi, & ſuperficie lætiſſime roſea.

Mulſam & poſcam adjecto ſale medio mitiori frequenter, & affatim propinavi, atque injecto clyſtere alvum ſollicitavi.

Cum eo tempore, quo pridie mitius delirarat, videlicet meridie furor adeo non remitteret, ut potius novis auctibus creſceret, grana quinque tartari emetici ex quatuor unciis aquæ haurienda dedi. Ter inde ſtomachum exoneravit, nauſea gravem, ventrem ſexies. Bilis vomitu rejecta eſt flava, & amurcoſa, ſed mole non maxima; bilis, etiam alvo ſeceſſit longe copioſiſſima, morbi fax, & origo. Mox cicurari aliquantium, & tractabilior eſſe; dormire tandem, ſomno ea veſpera inque multam uſque noctem producto, inter exiguos, rarioresque tendinum, & digitorum luſus. Poſt mediam noctem evigilat, ſui pleniſſime conſcius, & compos.

Ab eo tempore mens, quam rectiſſime, valuit: ſudores imminuti tandem nulli fuerunt.

Uſus eſt decocto radicum graminis, taraxaci, tamarindorum, & tandem, elapſo non multo tempore domum abiit; etiam nunc, dum hæc e pugillaribus excerpo, plane ſanus.

Id addo, hominem ante aliquot annos gravi terrore perculſum fuiſſe, tuncque etiam convulſum; ſed & antea, & poſthac ſanum vixiſſe.

Famulus Baronis P** 37 annorum die 17ma. Decembris 1778. mane laſſus, & capite dolens inhorruit; pituitam ſuapte vomuit; intercurrente per vices fugitivo calore. A meridie commodius valere videbatur, obambulabat, guſtum equidem non depravatum, at anoxeriam, queſtus.

Meraciorem cereviſiam & ejus largiores hau-

ſtus amaſſe, ad crapulam uſque, domeſtici teſtabantur.

Hæc incommoda quotidie recurrebant, donec die 21ma. Decembris Medicum accederet, qui herili, totiusque familiæ, valetudini curandæ præerat, is pulveres ex ſale medio, & rheo confectos præſcripſit, per vices adſumendos.

Die 23tia. Decembris a meridie idem Medicus ad ægrum accitur, totis artubus trementem, ſiticuloſum, & capite valdopere dolentem; cum pulſu duro, atque accelerato. Alvum, a ſale medio & rheo, aliquoties fuiſſe motam comperit: oris amaror nullus; nullæ nauſeæ. Mox ſanguis eductus eſt, cruſtam poſtmodum phlogiſticam exhibens: remedium refrigerans, nitroſumque propinatum. Cum morbus ad veſperam intenderetur manifeſto, alteram jam multa nocte phlebotomiam inſtituunt, ſanguine corium phlogiſticum denuo formante. Copioſus limonadæ potus dabatur: nox abſque ſomno, & inter deliria, exacta.

Die 24ta. Decembris mane convellitur. Veſicantia ad ſuras applicantur, & mixtura ex ſpiritus ſalis ammoniaci, aceto ſaturati, drachma una, ſyrupo papaveris albi, & aqua ſtillatitia conveniente propinatur. Delirat aſſiduo, & cum furore, niſi forte heræ aut admonentis, aut increpantis, conſpectu reſipiſceret aliquantum, & componeretur: nox inſomnis, & cum furore.

Die 25ta. Decembris meridie ad noſocomium deducitur. De morbo interrogatus apte, atque omnia exacte uſque ad id temporis, quo mente labi cœpit, narravit, & tremuiſſe ſe totis artubus per omne hoc morbi tempus, tremens addidit. Nunc vero frequenter ſibi poplites quaſi ſuc-

ſuccidi, veluti jamjam lapſuro. Conditio linguæ & faucium quemadmodum in ſanitate; ſed pulſus fortes, & pleni, vibratique cum aliqua celeritate, & uberrimi ſudores aderant.

Etſi cuncta concinne atque ex ordine, quemadmodum geſta fuerant, referret; nihilominus aſpectu, ſermonisque inſolita promptitudine, a ſana mente alieni quid attonitique, atque etiam rerum ſuarum icurii, prodebat.

Brevi morbi hiſtoria vix abſoluta, cum in plura volueram adcuratius indagare, delirare furioſe cœpit, furore veſperi, noctuque intenſiore. Ad nos venienti veſicantia detrahi curavi.

26ta. Dec. Ægrum aſſidue, ſed mitius, furentem inveni, eumque, quod antea recuſavit, ſtrenue bibentem. Alvum noctu bis poſuit. Collecta ſtudioſe atque aſſervata urina ſedimentum lateritium, aut potius cinnebarinum, depoſuit. Pulſus & ſudores, uti pridie.

Horis antemeridianis grana quinque tartari emetici in quatuor unciis aquæ ſoluta dedi, atque uno hauſtu potanda. Vomuit inde ſexies pituitam non copioſam, cum pauca bile: quaternis ſeceſſibus multæ bilioſæ fæces excernebantur. A vomitu mitius delirare & taciturne, ac quædam ſubinde quaſi mentis reverſuræ ſigna dare. Qui antea lectum conſpurcaverat, jam nunc excipulum petiit, atque matulam lotium miſſurus. Urinæ quædam jumentoſæ erant, quædam vero propemodum naturales, aut a naturalibus intenſiore ſolum flavedine differentes. Lingua per vices areſcebat. Sudores, & pulſus hucuſque nil mutabantur. Potus multus ex aqua ſimplici, aceto & melle. Noctem placide delirans & inſomnis egit.

27ma. Decembris mane vomiturit, vomitque

paucam pituitam; quietior eſt, atque ita compoſitus, ut manibus ſubinde libertas potuerit a vinculis dari; ſubinde etiam apte reſpondet, delirio licet identidem recurſante. Urinæ & pulſus iidem: Iidem etiam potus medicati, adjecto nitro & tartari cremore. Hac veſpera cum denuo inquietior, quin etiam ferox, redderetur; pulſu pleniſſimo, vibratoque, undecim uncias ſanguinis detraxi, qui cruſtam plumbeam, tenuem, modice contractam, & ſerum multum atque cæruleo-virideſcens monſtrabat. Ea nocte ad ſingulos potuum refrigerantium hauſtus pituitam non non paucam leviterque vireſcentem vomebat. Nox inſomnis, inter ſermones ineptos, ſed abſque furore.

Die 28va. Decemb. mane dormit, remotis vinculis, mente conſtat, laſſitudinem magnam, ſitim, & guſtum viciatum queſtus: perraro hæſitare videtur, quaſi denuo mente lapſurus. Circa meridiem ejus diei emeticum denuo propinabatur ex ſcrupulis duobus ipecacuanhæ, & grano uno tartari emetici paratum. Inde decies multa611a bilioſa revomuit, dejecit: mens inde perfecte ſana; febris vix ulla; levis tremor artuum; ſudores exigui.

29na. Decembris nulla febris, mentis ſanitas perfecta. Nullus ullibi dolor, lingua humectata, leviter albeſcens, urinæ croceæ. Decoctum ex radice graminis, taraxaci, & fructibus tamarindorum cum ſucco citri & ſaccharo.

30ma. Dec. nox bona, apyrexia plena. Remedia eadem. Per vices e lecto ſurgit.

Locus ille, quo de ſede phrenitidis diſceptatur, atque eidem medendi ratione, magnus eſt hercle, & a non paucis vexatus. Quibuſdam enim

enim phrenitides viſebantur encephalo inflammato; cum aliis ejuſdem viſceris inflammatio non infrequenter occurreret, etſi æger, quamdiu in vivis erat, non deliraret. Non raro nihil omnino quod accuſares, aut nihil ſaltem, quod non alibi ſæpius, quin prægreſſa phrenitis eſſet, conſpectum fuerit, intra calvariam reperiebatur, utut a phrenitide mors fuerat.

Non unam eamdemque ubique ac ſemper eſſe phrenitidem arbitror, nempe non unam ſemper, eamdemque phrenitidis cauſam, nec cauſæ ſedem.

Diverſæ dantur febres phreniticæ, ſeu phrenitides, quod exemplo illuſtratur.

Febres phreniticas æque inter ſe differre exiſtimo, ac febres *ophthalmicas*, *anginoſas*, *pleuriticas*, *peripneumonicas*, aliasque; quæ quantum & geneſi, & medendi ratione diſcrepent, alibi eſt abunde dictum. Amabo enim, ſi ophthalmiam videas, ruborem oculi nempe, doloremque cum motu febrili, num eadem ubique ægritudo erit? nonne hæc febris *ophthalmica* (ſi fas ſit hac compellatione uti) diverſas habere origines, cauſasque poteſt, & diverſam exigere ob id ipſum medendi methodum? Febris ophthalmica *inflammatoria* eſſe ſolet, in aliis *ſeroſa*, *rheumatica*, *gaſtrica*, *ſeu ſaburralis*, atque in aliis denuo alia.

Ea ipſa ratio etiam in phrenitide obtinet, morbo videlicet ſæpius differente.

Quod ſi forte curanda quædam febris occurrat, quæ more phrenitico mentem turbat, male ſolum plerumque delirium ſpectamus, quaſi is morbus princeps eſſet, & non potius febris cujuſdam quoddam accidens non neceſſarium.

Has, quas ego videram, phreniticorum febres, fuiſſe aut *clilioſas*, aut *inflammatorio-bilioſas*, exiſtimo eventu poſſe probari; atque hanc ipſam ſpeciem phrenitidis eſſe id circo multo fre-

quentiorem, quod & ipſa princeps febris, gaſtrica nempe, præ cæteris febribus ſit multo crebrior, annis omnibus, atque etiam per omnes terrarum tractus.

Quanam ratione ſaburra ventriculi encephalon afficiat.

Dum hujus phrenitidis ſedem (de hac enim ſola loquor) cujus hic exempla retuli, in abdominis ſaburra ſtatuo, non id dico, rationem me noſſe, qua ventris illuvies valeat encephalon turbare; fortaſſe enim nihil omnino morboſæ materiæ ad cerebrum ablegatur, ſed ægrotante ventriculo ob inexplicabilem quemdam conſenſum encephalum æque ægrotat: fortaſſis etiam id fit, quod in ophthalmia billioſa ac ſaburrali accidere ſæpe videmus; quod æque evenire in eryſipelate ſolet, morbo nempe ex ventris illuvie nato. In his enim morbis, quorum uterque natales ex abdominali ſaburra, ad oculos dimittitur, aut ad locum eryſipelate tentatum: videmus enim rubentes oculos, & acrium lacrymarum imbres, atque eryſipelas ipſo aſpectu docet, materiem alienam eſſe ægrotanti loco infixam.

Hujus ergo phrenitidis ſedes concipere fortaſſis *binas* poſſumus, in præcordiis unam, infatuante humore, biliformi, putrido, aut qualicumque farctis; atque alteram in ipſo encephalo, quod ejuſdem dementantis materiæ particulam, ut veterum phraſi utar, attraxit.

Videre igitur in cerebris demortuorum & vaſa infarcta, & rubores præter morem, & alienos latices frequenter licebit, etſi morbus in infimo ventre ſuum habuerit promptuarium, ſuamque penum; ignis ſacri, atque ophthalmiæ ſaburralis exemplo.

Emeſis ſuo tempore, iisque, quæ antea acta eſſe oportet, præmiſſis, inſtituta, & ventris ſaburram eliciet, novæque metaſtaſis generandæ,

aut

aut prioris alendæ anſam reſcindet, & ipſam forte materiem e ventre aliorſum jam dimiſſam, atque alicubi pertinacius adhærentem, ſubmovebit, concuſſu ſalutari corporis totius, aut largo ſudorum proventu; hi enim ab emeſi ubertim manant.

Verum quoſcumque hæc res explicatus poſcat, is ſemper veluti canon, atque regula obtinebit, a qua impune deflectere non licebit: *inquirendum eſſe in febrium indolem, easque, miſſo non neceſſario ſymptomate, directe eſſe oppugnandas.* Unde diviſio phrenitidis ſit repetenda.

Atque id non ſolum in febribus phreniticis facto opus eſſe exiſtimo, ſed etiam in omni alia quacumque febre, quam eminens quædam affectio topica comitatur, angina, pleuritide, &c.

Symptomatis cujuſdam apparens magnitudo plerumque Medicum inauſpicato abducit a contemplanda febris natura, & eum in ſe totum convertit, inſolentia rei, veluti monſtro, perculſum.

Ita phrenitidem *apparenter* eamdem, *re* diverſam, eidem plerumque methodo ſubjicimus, errabundæ potiſſimum, atquæ incongruæ; qualem nempe illam eſſe oportet, quam nulla morbi determinata notio regit.

Ipſe non eamdem in quinque phreniticis medendi viam inſtiti, etſi debueram; in morbo nempe, prout is mihi offerebatur, his quinque vicibus eodem. Epicriſes phrenitidum antea narratarum.

In prima ægra leniorum purgantium uſui, eoque protracto confiſus ſum, ea nempe ex opinione, id æque confici atque etiam tutius purgante poſſe, frequentius propinato, quod vomitorio.

Purgantibus, utut antiphlogiſticis, morbos evidenter ſaburrales efferari vidi, atque intendi non raro; quos emeſis, ſi ex ſimillimis, & quam

plurimis caſibus, judicium formare liceat, repente ſuſtuliſſet.

Attamen id etiam obſervavi, febres quaſdam alias, æque ex ventris infimi ſaburra natas, miti pharmaco alvum pluribus diebus movente fuiſſe ſublatas.

Inde est, cur non exiſtimem, eſſe indifferens, an emetico, an vero purgante in febre ſaburrali utamur, nec alterum poſſe alterius vices ſupplere.

Diſpicere igitur opportebit, an materies *ſurſum*, an vero *deorſum*, turgeat.

In cura hujus ægræ debueram miſſo delirio in morbum principem, febrim nempe ſaburralem inquirere, eique a fronte occurrere. Non enim commentitia lex eſt, neque à veterum placitis deflectens: *morbi jugulum premendum eſſe, non circumeumdum; ſed cautos eſſe, atque oculatos oportere, ne forte jugulum putemus, quæ ſolum aut manus, aut pes foret.*

Phrenitis ejuſdem ægræ, poſtquam febris deferbuit, in maniam convertebatur, delirium nempe apyreton.

Phrenitidis in maniam converſio.

Quidam, qui maniacis olim non paucis medebatur, ejuſmodi mihi narravit, unde collegi, pleroſque maniacos initio *phreniticos* fuiſſe, utut ob febrim obſcuriorem (ſi febrium notas ex pulſu fere ſolo capiamus) jam inde a morbi principio *maniaci* dicerentur, & febris expertes.

Id etiam aſſerebat, ſe multos, & fere omnes recentes maniacos ſanaſſe, cum multo ſolvente potu præmiſſo, & phlebotomia una aut pluribus, infatuantem fomitem ex eorum ventriculis evulſiſſet. Atque ea in re patrum noſtrorum conſuetudinem ſequebatur: fuit enim antiqui moris, delirantium animos helleboro detergere.

Al-

Altera juvencula febre laborabat manifeſto bilioſa; ſive ad Medici, qui prior ægrotæ curam geſſit, aſſertum attendas, hominis exercitati; ſeu id ſpectes, quod febris certis, dimenſisque momentis accreſceret, atque iterum modice ſubſideret.

Emeſin ab eodem medico concitatam non ſuffeciſſe, mirari deſinet, qui noverit, illam parciſſimam fuiſſe, & ab exigua vomitorii doſi factam, & in corpore ad vomendum non præparato, tanta igitur ægritudine minorem.

In Noſocomio vero periculoſam medicationem ſubiit. Copioſo equidem atque apto potu materies vitioſa, & morbum committens diluebatur; at, quod via & breviſſima, & tutiſſima, eam totam eveheret, nil fuit.

Miſſo non pauco ſanguine, & exantlato ſyſtemate venoſo arterioſoque, alienus isque dilutus humor intra vitæ hoſpitia receptus univerſum corpus oberrabat; donec tandem ad varia cola errabundus ferretur, atque aut artis ſtimulis, aut medicatricis naturæ vi a tergo pulſus diverſos ſibi exitus ac fugam quæreret, moroſam quidem ac tardam, neque ſine omni prorſus deſertæ ſtationis damno.

En criſin difficilem, ſæpe inadæquatam, & mille periculis implicitam!

Qua phrenitidis ſpecie tres reliqui phrenitici laborarint, prompta medendi ratio, & eventus docet.

Id ſolum difficile videtur, ut adcurate determines, an vera, atque inflammatoria phrenitis ſit, an vero ſympathica, aut etiam aliunde proveniat.

Etſi enim in ſcholis medicorum phrenitidum

diſtinctiones adcurate tradantur, earumdem tamen diagnoſis penes lectos ægrorum non raro anceps reperitur.

Ambigua ſunt inflammati encephali ſigna.

Quippe multa, quæ inflammationem præſentem indicare dicuntur, eamque encephali præprimis, decipere viſa ſunt non raro.

Ut a pulſu initium faciam, is ſæpe durus & vibrans inventus eſt, etſi nulla præſens inflammatio fuerit; atque alia vice debilis & mollis, ubi phlogoſis encephalo profunde inſidet.

Ætatem viridem, & calefacientium uſum, ſicubi in eodem homine febriente, & phrenitico concurrant, inflammatoriam phrenitidem indicare nemo facile dubitabit. Verumtamen ægri noſtri omnes ætate floruerunt, atque unus eorum cerere meraca, & vino abuti ſolebat etſi nullus eorumdem inflammatione encephali laborarit.

Cephalalgias validas phrenitidem veram antecedere aſſerunt; quod quidem ut ſæpe fieri non nego, ita ſemper accidere inficior, contrarium doctus. Cephalalgia gaſtrica, febrium bilioſarum, putridarum, malignarumque comes plerumque præ cæteris ſæva eſt, atque ex hac ipſa dolorum intenſione non raro ejuſdem indolem & cauſam dignovimus, nullatenus inflammatoriam.

Immoderatas vigilias, quas inter *veræ* phrenitidis cauſas Boerhavius recenſet, bis vidi *ſpuriam* feciſſe.

Faciei rubor & turgor, atque oculorum pars alba velut ſanguine ſuffuſa plethoram & inflammationem non raro notant; at vero eadem ſymptomata in quam plurimis febribus, bilioſis, putridis, malignis a me fuiſſe frequentiſſime conſpecta, fidenter ajo.

Adde etiam illud, deeſſe nonnunquam notas om-

omnes, quæ, corruptam atque acrem bilem circa præcordia hærere, communiter docent.

Non hæc idcirco prolata velim, ut hæc accidentia in determinanda phrenitidis indole negligantur, ſed ne in formanda diagnoſi difficillima iiſdem *ſolis* fidamus.

Tempus anni, morbi congeneres, eorum adcurata cognitio, quæ delirium præceſſerunt, morbi remiſſio per vices, juvantium & nocentium notitia, ſcientia earum rerum morborumque, qui *paſſim*, & *cæteris frequentius* eveniunt, & facultas quædam vel occultiſſima dignoſcendi, uſu comparanda, verbis non deſcribenda, medentem melius inſtruent, quam ſcholarum præcepta.

Diviſionem phrenitidis accuratam, & quæ omnes delirii febrilis ſpecies complectatur, ſtatui nullam poſſe exiſtimo; quemadmodum nullam quoque febrium partitionem habemus completam, neque habere poſſumus. An, & quomodo condi poſſit practica phrenitidis diviſio?

In tanta enim febrilium cauſarum infinitate, quarum ſingulis reſpondebit *ſua* humorum, ſolidorumque craſis vitiata, & *ſua* febris, neceſſum omnino erit, febres eſſe non ſolum innumeras, ſed etiam ſummopere ab ſe invicem differentes.

Jam vero vix ullam febris ſpeciem dari puto, quæ non aliquando encephalon quacumque ratione afficiat; aut dolore, eoque vario, aut functionum ejuſdem læſione varia; atque vix ullam febris ſpeciem, quæ non aliquando ſub certis quibuſdam conditionibus encephalon ita afficiat, ut æger *phreniticus* dicatur.

Erit ergo phrenitis ſymptoma quoddam commune quam plurimarum febrium, inter ſeſe ſummopere licet differentium; quemadmodum id de calore, frigore, cephalalgia, ſiti, ſudore, aliisqu

que communibus febrium non neceſſariis accidentibus dicimus.

Quemadmodum ergo in febrium partitione non omnes omnino febres complectimur, neque hoc dictam rationem complecti poſſumus, ſed ſolum *quaſdam easque cardinales*, *ac primarias* ſtatuimus, reliquas vero in partitione non expreſſas ad eam febrium cardinalem reducimus, quacum aliquam quoad cauſas, decurſum, & maxime quoad methodum medendi analogiam habent, reducere ſolemus; ita etiam agendum reor in phrenitidis partitione.

Non id ago, ut phrenitidis partitionem hic dem; ſed, ut, quid difficilem eam reddat, quidve in ea ſtabilienda ſit obſervandum, oſtendam.

Inadæquatæ pleroumque auctorum diviſiones & definitiones phrenitidis.

Hinc, qui vel in ſolo encephalo inflammato phrenitidis cauſam quæſivere, morbum latiſſime patentem nimis arctis limitibus circumſcripſere; æque ac illi, qui eamdem, encephalo ſano, ſubter præcordia locarunt. Sed neque ii phrenitidis omnem ambitum complexi ſunt, quibus placuit, utramque hanc phrenitidis ſpeciem ita admittere, ut aliam nullam agnoſcerent; cum pluribus, quam binis ſolum his locis, ſupremo atque infimo ventre, diſcludi infatuans cauſa poſſit, eaque ipſa ſummopere differentis indolis eſſe, & diverſiſſimo modo mentem lædere.

Idcirco differre etiam phrenitides debent, prout & *locus* phreniticæ cauſæ, & ejus *indoles*, & infatuandi *modus* differt.

Cum hæ phrenitidum differentiæ negligerentur, idemque ſemper & ubique morbus ſtatueretur, ubi mens febrientis erat diutius emota; id accidit, ut auctores diverſimode de morbi ſede, cauſis, & accidentibus, ac medendi ratione opi-

opinarentur, & quam maxime pugnantia proferrent; ſuis ſinguli obſervationibus confiſi, & extiſpiciis ſubinde docti.

Pleroſque res non *commentitias*, ſed *factas* in medium protuliſſe, lubens concedam, verum in eo lapſos eſſe exiſtimo, quod, quæ viderint in *paucis*, ad *plurimos*, quid ad *omnes*, tranſtulerint, qui cum febre delirarent.

In *definienda* phrenitide æque diſceptabatur; utut, ignorata & morbi cauſa, & ſede, in promptu fuerat, morbi notionem ex characteribus, qui conſtanter atque in quovis phrenitico, ſenſibus occurſant, haurire.

Verum plerique ex quadam amica hypotheſi, aut ex rarioribus obſervatis, definire morbum maluerunt.

Febrim acutam cum delirio phrenitidem nominabis.

Nil refert, quæcumque acutæ febris ſpecies ſit, quæ phrenitidem committat: neque ſemper *malignam*, etſi id quibuſdam placere videam, requiri, phreniticorum hiſtoriæ docuerunt.

Sed neque ſemper *inflammatoriam* febrim dices, nec inflammatum encephalon, in iis omnibus, quos phrenitis tenet.

Vix enim febrim acutam novi, quam non aliquando cum delirio viderim.

Quidam thorace ſolum inflammato, alii ventriculo & inteſtinis, phrenitice delirarunt, encephalo omnis phlogoſeos experte.

Encephalon inflammatum cum delirio obſervavi; inflammatum quoque, mente ſana.

Aſſerta mea extiſpiciis poſſum confirmare.

Delirium nec *aſſiduum* volo, nec *furioſum*, nec tale, quod morbum *inchoet*, ut phrenitis dici queat; quamquam, ſi hæc ita ſint, phrenitidem adeſſe, nemo dubitet. Non

Non enim ex eo, quod *plus*, *minuſve* eſt morbum adeſſe, aut abeſſe dices; ſed eum ſolummodo *plus*, *minuſque urgere*, *intendi*, atque *remittere*.

Acutæ febres propius aut longius abſunt ab eo ſtatu, quo præſente *phrenitis* dicitur, eruntque febres quædam *plus*, *minuſque phreniticæ*, *phreniticæ*, *leviter phreniticæ*, ſeu *paraphenitica*, vel vero *phreniticæ per eminentiam*.

Neque refert, an inter clamores deliret, ac lacertorum ſuorum vires periclitetur, an vero inter verba ſolum ineptiat, tranquillus, aut muſſitando.

Sed neque, ſi ſerius, ac morbo jam progreſſo, delirium accedat, propterea non erit phrenitis.

Verum hæ diſtinctiones, utut ad præſagiendum morbi exitum conferre quid & ejus docere periculum queant; nil tamen conferunt, quo poſſis oblatam ægritudinem a reliquis ejuſdem ſpeciebus dignoſſe.

Phrenitidis amplitudo. Phrenitis igitur latiſſime patet, & æque late, ac ipſa notio acutæ febris.

Et prout ipſa acuta febris varia eſt, & varium ejuſdem acutæ ſtadium, & varia in vario ejuſdem acutæ ſtadio medicina; ita etiam varia erit, & phrenitidis ſpecies, & modus ſanandi; quem idcirco ex curatione febrium repetere oportebit.

Cælius Aurelianus phrenitidem appellat *alienationem mentis cum acuta febre*, *pulſu parvo*, *& crebro*, *carpholagia*, *& crocidiſmo*.

Verum aliam pulſuum conditionem in phreniticis ſubinde obtinere, *carpholagiam* vero, ſeu feſtucarum collectionem, & *crocidiſmum*, ſeu fimbriarum ex operimentis decerptionem; phreniti-

nitidis definitionem ingredi non poſſe, utpote non neceſſarias nec individuas phreniticorum actiones, per ſe patet.

Nihilominus phrenitidis ſymptomata hic auctor ferme pleraque, veterumque de ejus morbi ſede opiniones, ſtylo licet minime latino, & in ſcriptores, quorum ſententias refert, perſæpe injurio, ita complectitur, ut lectorum patientiam remuneretur.

Sed alias referre phreniticorum hiſtorias malim, quam confutandis aliorum opinionibus immorari.

Delirium, & acutam febrim in multis obſervavi, qui ex alto delapſi caput alliſerant: ſanguis ſecta vena eductus cruſtam pleuriticam contraxit.

Diſſecta poſt mortem capita encephalon multis in locis valdopere ſugillatum monſtrarunt.

Quaſdam vero aliorum phrenitides, pariter a vi externa capiti illata profectas, miſſionibus ſanguinis, & antiphlogiſtica methodo ſanavi, eadem nempe ratione, qua validiori contuſioni aliarum partium, quarum periculoſa inflammatio foret, medemur.

Phrenitis a ſero intra caput effuſo poſt lapſum ab alto.

Die nona Aprilis 1779. famulus quidam triginta ſeptem annos natus nocte per octodecim graduum ſcalam delapſus eſt, & caput pavimento lapideo impegit. Per aliquot temporis minuta ſenſuum officio caruit. At iis paulo poſt reſtitutis integro biduo ſe domi continuit, levem carebariam, & vulnus queſtus, quod dextro capitis lateri inflictum multus ſanguinis fudit, & pollicem longitudine exæquans ibi loci viſebatur, qui medio oſſi parietali reſpondet.

Die a lapſu tertia tremere artubus vehementius

tius cœpit (tremebat enim jam a multis annis, quod olim tinctor pigmenta ſaturnina plurimum tractaret), & inter aſſiduos calores delirare : delatus in Noſocomium cum furore inſaniit. Specillo exploratum vulnus ad os ipſum non pertingebat.

Inciſa vena eſt ſemel iterumque: eductus ſanguis in craſſam, tenacem, & obſolete flavam cruſtam coivit. Clyſteri alvus mota, & emulſum, in quo aliquid ſalis amari, & mannæ diſſolvebatur, propinatum. Pulſus validi, duri, accelerati, & calor febrilis.

Die quarta cum inſania ferox, & febris incrementa caperent, vulnus altius inciſum eſt ad oſſis uſque ſuperficiem leviſſime fiſſam. Trepano perforare cranium placuit, ubi extimam ejuſdem ſolum laminam fiſſam videramus; fiſſura ultra diploen non penetrante. Nihil humoris e ſuis vaſis effuſi comparuit. Noctu delirium furioſum, & febris.

Die 5ta. denuo trepanon applicatum, ut amplior redderetur oſſis perforati plaga. Nil alieni repertum. Delirium aſſiduum & furioſum cum febre.

Die 6ta. mane menti reſtitutus ad interrogata apte reſpondet, & mitiſſime febrit.

Die 7ma. & 8va. mens integra, & febris vis ulla; alvum his diebus facilem habuit crebro enemate ſollicitatam.

Die 9na. de novo incaleſcere, febrire & delirare cœpit. Sanguis miſſus corium pleuriticum exhibuit: non levatur.

Die ſequenti moritur.

Ablata olla cranii inter duram, & piam menigem per omnem late ambitum inſignis copia ſeri aquoſi inventa eſt. Cætera illæſa, nec ulla ulli-

ullibi encephali ſugillatio, quam tamen in aliis, qui alliſo capite periere, toties deprehendi.

Spes forte ſalutis fuiſſet, ſi dura matre initio cruciatim perſciſſa, aquæ colligi aut non potuiſſent, aut jam collectis fuiſſet exitus paratus.

Si pathognomicus phrenitidis character ſit, ut æger acute febriens ferme aſſiduo deliret, quæcumque demum febrilis inſaniæ ratio ſubſit, non miraberis, opinor, me etiam hæc deliria, febrimque ex valido in caput impactu ortam in phrenitidum tribum tranſcripſiſſe.

Senex ſeptuagenario major vegeto adhuc corpore, & ſenectute cruda, per duodecim ſcalæ gradus fallente veſtigio cadit. A caſu illico delirat. Vulnus in occipite paulo infra ſuturam lambdoidem, ac ſiniſtrorſum pollicis unius longitudinem æquans, ibique os denudatum adparuit. Per aurem ſiniſtram, & nares, aliquid ſanguinis ſtillabat. Eum diem domi ſuæ abſque auxilio, & inter deliria exegit. *Phrenitis a ſugillatione encephali poſt lapſum ab alto.*

Die altera ad noſocomium deportatur delirans, ac inter inconditos & motus, & clamores; pulſu pleno, forti, duro, vibratoque, at juſtam inſanis celeritatem vix excedente. Incaluit præter morem. ἀλυσμος, & exſilitio frequens e lecto.

Examinatum vulnus: nulla initio læſio cranii in conſpectum prodiit. Sanguis detrahitur aliquoties, alvus injecto enemate, & antiphlogiſtico purgante proritabatur, verum perpauca, & moroſiſſime ſeceſſerunt.

Ea die, & ſequenti nil emendatum eſt, pejus habuit, febris augebatur.

Vulnus producere ſectione placuit; fiſſura cranii detecta moritur.

Fiſſura cranii paulo infra ſupremum oſſis occipitis marginem incipiens per latus ſiniſtrum decurrebat ad foramen uſque occipitale, quod & ipſum erat diffiſſum.

Inter calvariam, & duram matrem juxta dictum fiſſuræ pauxillum effuſi, grumoſique, ſanguinis exiguam tæniam referentis, pluſculum vero ſanguinis non coagulati in ipſo foramine occipitali offendebatur.

Cerebellum totum amplioribus vaſis, & atro ſanguine turgidis perreptabatur, omnesque ejus anfractus, ſi eoſdem explicueras, ſanguinem hubuere effuſum, atrum, grumoſum; ipſam inter cerebelli ſubſtantiam, & piam meningem ita retentum, ut nullibi copioſius colligeretur, ſed diffuſus per omnes cerebelli mæandros graviſſimam potius ſugillationem referet, & piæ matris, & ſuperficiei cerebrinæ.

Hemiſphærium cerebri ſiniſtrum totum nigreſcentibus, ampliſque ſugillationibus & vaſis atro cruore tumidiſſimis commaculatum.

Lobus ejuſdem hemiſphærii anterior hanc, quam dixi, ſugillationem, multo graviorem habuit partibus, cæteris quibuſcumque.

Anfractus omnes ejuſdem hemiſphærii, ubi eoſdem ab ſe invicem dimoveras, effuſus cruor coagulatus inter piam meningem & cerebri ſubſtantiam hærens opplevit.

Hæmiſphærium dextrum, qua parte medio bregmati reſpondet, plagam orbicularem, pollicis diametro ſugillatam, & atram, ibique loci intra anfractuoſos cerebri ductus atrum quoque ſanguinem exhibebatl

Phrenitis, fortaſſis

Famulus quidam quadraginta circiter annos natus Medicum accedit,, laſſitudinem, & minorem

rem ab aliquot jam diebus appetitum queſtus. Suaſum eſt, ut ſale amaro ventrem purget: melius habuit. Elapſo octiduo redit, aitque minui de novo deſiderium cibi, & ſubinde parum bilis ſuapte vomere, corpore quaſi a laboribus defatigato. Exhibebatur mixtura ſolvens, ſalina: vomuit frequentius. Cum alvum poſiturus latrinam peteret, indeque in cubiculum rediret, in limine concidit: alliſo in acutum ferramentum capite, regioni temporali ſiniſtræ vulnus inflictum eſt digiti longitudine, quod ultra integumenta quaſi cultro diſſecta non penetrabat. Subtus & circumcirca ſana omnia & videbantur, & a morte reperta ſunt. Impos mentis per aliquot momenta humi jacuit, crebrius modicam æruginem vomitu rejectans, & ſanguine multo ex vulnere manans. Acccerſitus prior Medicus propinato quodam hauſtu vomitum cohibuit. Mens plene rediit haud multo poſt, vulnus exploratum, ac deligatum eſt, & ſanguis e brachio ductus. Æger commode valere viſus eſt.

ſympathica, poſt caſum.

Veſpere cum recte ſe habere, & die proximo conſueta munia, obiturum ſe diceret, repente totus convellitur. Phlebotomia larga fit, & clyſter injicitur. A convulſione delirium, furorque, & exſiliendi conatus validi, aſſidui. Ante mediam noctem denuo ſanguis extrahitur, idem furor, & jactitatio eadem.

Die altero (cum duodecim fere dies exacti eſſent, ex quo prima vice Medicum acceſſerat inappetentiam queſtus) circa meridiem ad Noſocomium deportatur, in quo tranſacto inter furores, febrimque magnam nychthemero, primo convulſus, dein toto corpore obrigeſcens moritur.

Cum cranium ſerra in orbem circumducta diſ-

ſecaretur, parum ſeroſi humoris effluxit, quod intra meninges concluſum, & iis ſerra læſis promanare, arbitrabamur.

Cranio remoto nihil vitii repertum eſt, ſi majora meningum vaſa atro ſanguine paululum turgidiora, minora vero quaſi ab injecto pigmento rubentia excipias. In ventriculis lateralibus perparum ſeroſi laticis deprehenſum.

Nullum omnino vitium intra thoracem fuit.

Hepar, reſerato abdomine plurimum flavebat, & ſuperficie modice inæquali fuit, ac minus, quam in ſanis ſolet, lævigata, atque, ſi contrectabatur, durius, & veluti coctum apparebat: bilis amurcoſa veſiculam replevit. Ventriculus amplus, & inteſtinorum tractus omnis profunda, ac lurida flavedine ſaturate tingebantur; multa quoque bile ejuſdem coloris, & tenaci, horum viſcerum cavum obliniente.

Reliqua juxta naturæ conſuetum ordinem fuerunt.

Antiquum in potatore (nam hominem mero a multis annis profuſe indulſiſſe, qui eum noverant, aſſerebant) officinæ biliferæ vitium fuit, quod in hepate videramus.

Prima ventriculi incommoda a bilioſa & tenaci materie profecta videbantur, quibus ſal amarus aliquantum medebatur.

Phrenitidem conſenſualem exiſtimabam potius, quam idiopathicam. Bilioſa enim colluvies, jam antea præſens, caſu ipſo adaucta atque ferocior facta in caput irrupit, vi illata debilitatum, & morbo opportunius effectum.

Hos conſenſuales quidem encephali affectus, cephalalgias, deliria, &c. plerumque ſerius, atque aliquot primum a lapſu diebus cum febre ſubortos vidi; cum, quæ propria fuerant ipſius capi-

pitis mala, mox ab illata injuria præprimis urgerent.

Verum ſubinde contrarium obtinere & ipſius expertus ſum, & ab aliis legi conſignatum.

Neque iſthæc humoris bilioſi vis DIVI SENIS perſpicaciam fugit, qui *L. de vuln. capitis*: *Si vulneri capitis vel ſerra ſecto, vel etiam non ſecto, oſſe tamen nudato, tumor rubicundus, & eryſipelatodes in facie, & in ambobus oculis, aut ſaltem alterutro, ſuperveniat, &, ſi contrectato tumore doleat, eumque febris, & rigor prehendat; cæterum ulcus ipſum, quantum ad carnem, atque ad os pertinet, atque excepto illo faciei tumore partes ambientes ſe belle habeant; denique, ſi nullus in reliqua victus ratione error fuerit commiſſus, eum medicamento, quod per inferiora bilem ducat, opus habere*, teſtatum facit. *Sic enim purgato & febris ſedatur, & tumor evaneſcit, & ſecunda valetudo reſtituitur.* Bilis poſt capitis læſiones impetum ab HIPPOCRATE obſervatum.

Quam hic afflicto encephalo efferri bilem, elatamque & faciem, atque oculos igne ſacro impetere, Coo teſte, & experientia ſuffragante, didicimus, eamdem eadem illa in læſa capita poteſtate, aut phrenitides in aliis generare diras poſſe, aut veternos in aliis, aut apoplexias, aut quodcumque genus convulſionum, atque omnibus hiſce malis *eodem e fonte* manantibus *idem* quoque *remedium* mederi, *pharmacum* nempe, *quod bilem ducat*, nemo opinor, inficias ibit, qui, quam verſatili ingenio hic humor polleat, & diverſiſſimorum in ſpeciem morborum eſſe choragus ſoleat, non ignoraverit.

Sepoſito paulisper, quem de phrenitide inſtitueramus, ſermone, poſtmodum denuo reſumen- Digreſſio ad capitis læſiones.

 do,

do: pauca quædam læſionum capitis exempla narrabo, quæ, utut ad præſens inſtitutum non pertinentia, ſuperioribus nihilominus, cumque aliis aliorum obſervationibus comparata, aliquid forte in re adhucdum obſcura lucis dabunt.

CASUS I.

Vir 38 annorum compage robuſta, & optime valens, 25ta. Januarii ex ingenti altitudine, ex ſecunda nempe altiſſimi ædificii contignatione, decidit, atque in machinam levandis oneribus deſtinatam caput ita impegit, ut tranſverſus machinæ truncus, isque ſat firmus, confractus diſiliret.

Vulnus ad ſupremum bregmatis dextri marginem haud procul a ſutura ſagittali, cum eaque ad duorum fere pollicum longitudinem decurrens, os nudum exhibuit, attamen illæſum.

Senſuum omnium officio compluribus horis deſtitutus jacuit: mox ſanguinem e brachio eduxerunt.

Die altera ad Noſocomium deportabatur, ſoporoſus, ita tamen, ut apte reſponderet, ſi inclamaveras. Tenſivus dorſi, lumborumque dolor, uti etiam dextri genu quod moveri non poterat, nec abſque dolore contrectari: nihil tamen externæ læſionis adparuit. De capite exiguæ querelæ. Calor febrilis aderat, & pulſuum robur inſigne, durities, & plenitudo, celeritate vix aucta. Sanguinem copioſum e brachio miſimus, corio poſtmodum pleuritico coopertum. Potus copioſi, antiphlogiſtici, nitroſi propinati. Man-

Manſit illa in ſoporem proclivitas in quintum diem uſque, dolor lumborum vero, & dorſi primo intendebantur, deinde ſenſim mitiores facti ad nucham & ſcapulas migrarunt.

Antiphlogiſticorum & potuum, & eccoproticorum, & enematum uſu circa octavam a lapſu diem dolores & febris evaneſcere cœperunt.

Genu fomento diſcutiente emendabatur. Denudato oſſi initio aquam noſtram vulnerariam, cui dein aliquid ſpiritus maſtichini affudimus, vulneri vero ipſi Arcæi balſamum applicabamus. Non eſt animadverſa exfoliatio. Vulnus brevi coaluit. Sanus poſt menſis Martii initia diſceſſit.

CASUS II.

SARTOR 53 annos natus, Bacchi ſtrenuus cultor, ante annum e lapſu caput vulneraverat: curatus eſt, verum ab eo tempore interjectis longioribus intervallis ſine febre, & placide delirat.

Die 7ma. Februari 1778. hauſto veſperi potu meraciori per duodecim ſcalæ gradus devolvitur, alliſo capite; ex ore & naribus largo ſanguine manabat. Domum delatus de capitis, & potiſſimum hypochondrii dextri dolore querelas movebat: mente conſtabat.

8va. Februarii hypochondrium dextrum plus doluit. Oppreſſio thoracis acceſſit. Sitis, jactitatio: noctu dormivit, ſed inter manuum, quaſi floccos captantium, aſſiduos luſus: mentis conſtantia.

9na. Februarii ſymptomatum incrementa, tuſſis; ſternutatio, & inter ſternutandum hypochondrii dolor intenſior, nuncque etiam thoracis.

10ma. Februarii mane in Noſocomium ſuſceptus dolorem epigaſtrii totius, hypochondrii præcipue dextri, pectoris oppreſſionem tuſſim, difficilemque tenacis materiæ anacatharſin querebatur. Caput non multum dolere conteſtabatur: domi ſuæ abſque remediis decubuit: ſenſuum functiones hucusque illæſæ: febris magna.

Sanguinem hac die binis vicibus detraximus. Veſperi inſultus epileptici per intervalla acceſſerunt, ubi oculi ſiniſtri frequentiſſima motitatio fuit, & convulſivi labiorum motus muſculorumque faciei, præcipue in ejuſdem latere ſiniſtro. Continua ferme maſticatio, etiam extra tempora convulſionum: extra hos epilepticos inſultus mente conſtabat exacte, dolorem epigaſtrii ſolummodo, & hypochondrii dextri, atque etiam infimi thoracis accuſans. Alvum eccoproticis, & crebro enemate, ſollicitavimus. Noctu frequentiſſimæ convulſiones.

Die 11ma. Febr. denuo venæ ſectio. Sanguis corio pleuritico, craſſo, vireſcenti livido ſemper contegebatur. Mentis præſentia creberrimis epilepſiæ inſultibus interpolata. Noctu moritur.

Suprema occipitis pars, qua in apicem excurrebat bregmatis concurſui contiguum, multum atque inæqualiter protuberabat, quod omnibus originarium videbatur, atque a prima conformatione profectum. Paulo infra hoc tuber oſſeum vulnus ſex fere lineas longum, atque tranſverſim inflictum extimum ſolum capitis integumentum penetravit, illæſo muſculo ſubjacente.

Caput, antequam diſſecaretur, exploratum,

&

& in homine vivente, & in demortuo, ſi vulnus hoc leve exceperis, nihil alienum votioſumque objecit.

Recluſo cranio en, quantam maximam concipere vales, rerum omnium ruinam! Os bregmatis ſiniſtrum ita diffractum, ut late hiaret, fracturaque commiſſuram oſſis occiptis contigui tranſſiliret atque decurreret per ſiniſtrum occipitis, latus, jam non una, ſed in quatuor ibidem alias fiſſuras diviſa, quarum una tenuis foramen magnum ſindebat, cæteris aliorſum excurrentibus & cum hiatu.

Fiſſura unum cum dimidio pollicem longa e bregmate dextro in vicinum os temporum deſcendebat.

Cruor multus in grumos coactus effuſusque in tota baſi cranii, maxime in utroque ejuſdem baſis laterali cavo inter utramque meningem colligebatur.

Supra & infra tentorium magna ejuſdem cruoris vis fuit, magnaque item cerebellum circumdedit, inter utramque meningem hærentis.

In occipitis fere centro dura meninx ab oſſe receſſit, magnamque hanc inter & ipſum os cruoris copiam invenimus.

Sanguis quoque coagulatus corpori calloſo inſidebat.

Omnem inteſtinorum tractum ſaturatiſſima flavedine bilis tingebat.

Quas in aliis encephali ſugillationes videramus, in hoc ægro omnino nullas; collectiones vero inſignes cruoris grumoſi obſervabamus.

CASUS III.

Operarius 48 annos natus, præterita æſtate abſoluto diurnorum laborum penſo cauponam intrabat, modico deinde baccho incaleſcens domum repetiit, per quinque ſcalæ gradus devolutus caput impegit, ſenſibus deſtitutus jacuit. Latus dextrum paralyticum erat; ita tamen, ut ſubinde & crus leviſſime commoverit, & brachium. Fit bina phlebotomia.

Altera die ad Noſocomium deportabatur; ſtertoroſe, cum ſibilo, & labore reſpirans, & febriens magno, pleno, duroque, & accelerato pulſu, & calore intenſo. Ad angulum poſteriorem inferioremque bregmatis dextri per vulneris hiatum os ipſum ad lienas fere ſex denudatum ſpectabatur, & fiſſum in crucis formam. Terebra cranium reſeratum eſt, ubi dura meninge perciſſa multum cruoris effluxit. Nil emendabatur. Venæ ſectionibus, enematibus, eccoproticis nil effectum eſt. Febris increvit. Die poſt lapſum tertia ad plures abiit.

In medio occipitis levior integumentorum contuſio fuit. Totius piæ matris continuata ſugillatio, maxima omnium erat ad latus ſiniſtrum, verſus encephali anteriora.

Intra anfractus cerebri, & graves fuere ſugillationes, & hinc inde cruoris collectiones. In baſi calvariæ ſiniſtra multus effuſus cruor inter utramque meningem colligebatur.

Ad alia phrenitidum exempla redire juvat, &

& abruptum antea ſermonis filum reſumere.

Reditus ad inſtitutum ſermonem de phrenitide.

Quidam ætatis conſiſtentis vir, qui duros Cyclopum labores ferventiſſimis æſtivis horis exercuit, cumque ipſius tempeſtatis, tum ignium vulcaniorum æſtu incaluit, febrire, dolere capite, tremereque totis arubus cœpit, laſſus, vertiginoſus, & elato magnoque pulſu, atque accelerato, cum interim vino ſe largiter proluerет.

Phrenitis ab æſtatis & ignium calore, & abuſu vini.

Vix in Noſocomium receptus, quaſi œſtro percitus furit. Bina phlebotomia, & oxycrato, tecto, atque umbra ferocientem ſanguinem componebamus. Paucas intra dies reſipuit, atque convaluit.

Murarius 44 annos natus procero corpore atque robuſto, die 6 Aprilis 1779. ad Noſocomium venit, aitque, ſe a quatuor jam ſeptimanis catarrho laborare, a novem vero diebus pejus habere; dolorem enim punctorium thoracis ſiniſtri paulo infra mammam acceſſiſſe; corpore erecto, & obambulantem ægrotaſſe.

Phrenitis, an idiopathica?

Morbum flocci facere videbatur, atque ita narrabat, ac ſi leviſſima ægritudine teneretur. Vox prompta, narratio audacula: pulſus pleni, fortes, non valde accelerati: tuſſis pauca, atque inter tuſſiendum dolor lateris, qualem antea dixi.

In lecto reponitur; fit venæ ſectio; potus multi emollientes, tepidi, nitroſi.

Mox vero peracta morbi narratione delirare furioſe, tremere, & vociferari incœpit.

Conſequentibus diebus complures venæ ſectiones factæ ſunt. Corium pleuriticum ſanguis habuit: furor aſſiduus: abdomen tumidilum, &, ſi paulo rudius contrectaretur, doloris ſigna, utut furens, dedit. Die

Die 8va. Aprilis jam devexa ſpiratio ſtertoroſa, ſopor, atque in male ſoporato oculorum conniventia: pulſus duri, vibratique, atque appreſſo digito difficillime elidendi, naturalibus tamen vix celeriores.

Mane die 9na. April. moritur.

Cadaver, per errorem maturius humanum, noctu effodi curavi, ut in viſcerum, atque in capitis præcipue, conditionem inquirerem.

Vaſa meningis piæ ſolito ampliora, & ſanguine pleniora comparebant: erat ita conſtitutum hoc cerebri involucrum, ut, an aliqua ejus inflammatio adſit, vel vera, an ſola ſit quædam vaſorum a ſanguine congeſto *dilatatio non inflammatoria*, qualem etiam in delirantibus, & nullo capitis morbo defunctis non raro vidi, fuerit dubitatum.

Inter utramque, utriuſque cerebri, meningem ſerum fuerat coloris ſtraminei repertum, atque idem ejuſdemque coloris utrumque ventriculum lateralem ita replevit, ut ambo hæc cava inſtar abſceſſus pure turgentis extumeſcerent, & fluctuarent.

Pulmonis ſiniſtri dimidium inflammatum. Tenuia inteſtina fere omnia perquam inflammata fuerunt; ampliſſimus ventriculus. Vacua cyſtis fellea; reliqua bona.

Phrenitis a cerebelli abſceſſu, & pure intra meninges diffuſo.

Die 29. Aprilis juvenis 26 annorum, robuſtus, ad Noſocomium venit, aitque, ſe a biduo cephalalgia ingenti, ad occiput maxime, atque aurium tinnitu, & recurrente per vices cervicis validiſſimo dolore affligi, non appetere, ſitire, incaleſcere.

Adſtantium quidam referebant, hominem hoc bello inter levis armaturæ milites ſtipendia meruiſ-

ruiſſe, eumque his diebus, fervidiſſimis nempe, & quales vigente ſolum æſtate aliis annis experiebamur, iter ex Hungaria, jam tum valdopere languidum, Viennam feciſſe: ante duos vero dies linquente animo, in foro publico concidiſſe.

Ab uno & dimidio anno frequentiſſime & ferme aſſiduo caput dolere, multo mitius tamen, quam hoc biduo, aſſerebat.

Ante quatuor annos gonorrhæa laborabat.

Multa alia diſtinctius interroganti confuſe reſpondit. Pulſus validi, accelerati, duri, atque ita vibrati, quales plerumque in colica ſaturnina deprehendo; ſitis, calor, & lingua aliquantum immunda, atque albeſcens. Dolor occipitis atque cervicis ſubinde, potiſſimum veſperi ita intendebatur, ut ejularet, moxque iterum remittebat.

Exacto biduo delirium acceſſit, aſſiduum quidem, at mite, atque cum carphologia. Potu multo, refrigerante, nitroſo uſus eſt, & phlebotomia, quin vel hilum emendaretur.

Durante morbo ſepties ſanguinem detraximus, qui vix emiſſus pleuriticum corium contraxit. Pulſuum vibratio, eorumque frequentia major a ſingula ſanguinis miſſione, & delirium idem obſervabatur.

Semel emeticum datum eſt, & veſicans applicatum ad nucham, abſque emolumento.

Balneo tepido, quo illum arteriarum ſpaſmum ſolveremus, per quatuor dies, una alterave hora impoſitus, reſipiſcere cœpit, emollito pulſu. At iterum & durities pulſuum & delirium rediit æquo paſſu, balneo jam non juvante. Lotium plerumque croceo colore tinctum adparebat.

Pridie ante mortem oculorum conniventia per

vi-

vices, & quaſi incipiens opiſthotonos; pulſus item duriſſimi & vibratiſſimi fuerant. Septima phlebotomia inſtituebatur. Periit, vena vix deligata, die 11ma. Maji.

Inter piam meningem & arachnoideam, juxta ductum majorum cerebri vaſorum, pus excurrebat, nullibi tamen intra ipſos anfractus profundius immittebatur.

In cerebello utrinque, qua dura auditorii nervi portior oritur, ulcuſculum fuit ipſius cerebelli, eroſa meninge pia.

Pus item ſat copioſum, & pone acuſticos nervos, & circa opticorum nervorum conjunctionem, & in foramine occipitali inter utramque meningem diffuſum.

Tentorium hinc inde, dextro in latere præprimis, profunde rubrum, & veluti ſugillatum.

Ventriculi laterales cerebri ſero turgebant. In thoracis ſiniſtro cavo nigricantis & liquidiſſimi ſanguinis unciæ quatuor repertæ ſunt, atque in dextro illius cavo unciæ ejuſdem ſanguinis ſex.

Inteſtina omnia bile ſaturate crocea ex toto ſuffundebantur. Sana reliqua.

Quæ ulceris in cerebello origo? Adcurata præteritorum cognitio, quam ægri confuſa & truncata narratio ſuppeditare non potuit, aliquid lucis his tenebris affudiſſet. Videbatur antiquum ulcus eſſe, ob antiquos capitis dolores.

Duriſſimos pulſus, & inſtar fili ferrei vehementer tenſi vibratos perſæpe in morbis acutis obſervavi, metaſtaſi ad caput facta, eaque ſemper pernicioſa: tunc vero ſeroſo latice laterales ventriculos cerebri turgidiſſimos in extiſpiciis offendi; quique ita habuerunt, ex febre plerumque compoſita perierunt, nempe putrido-inflammatoria.

Hinc

Hinc eſt, ut ſerum in cava encephali expreſſum conjiciam, ubi in febribus putrido-inflammatoriis, jam multum provectis, *delirium aut accedit, aut intenditur, cum oculorum conniventia, pulſu præpuro, celeri, atque vibrato*, præcipue ubi hæc omnia, aut eorum complura, ſimul, ac ferme repente, contigunt.

At facta ex hiſce ſignis probabili conjectura, id genus metaſtaſin ad encephalum accidiſſe, aquæ videlicet in ventriculos irruentis, quæ medicatio.

Unde ea liquidiſſimi & nigri cruoris effuſio? Eamdem in alio homine nuper obſervavi, cujus & anatomen & hiſtoriam morbi ſubjungam.

Sed quam rationem afferemus ſanguinis extra ſua vaſa in cavo thoracis collecti? nec enim calefacientem medendi methodum, quæ ſanguinem intempeſtivis ſtimulis in loca aliena urgeret, criminaberis, hic utpote non uſurpatam; nec ſanguinis putridam diſſolutionem accuſabis corio pleuritico, quotieſcumque emittebatur, contecti. An a ſpaſmo arteriarum id fuit, quem earumdem vibrata durities prodebat, ſanguinem ex vaſis ſuis exprimente?

Ob labis in cerebello detectæ ſimilitudinem, utut diſpar accidentium ratio fuerit, & diſpar mortis genus, alteram addo cadaveris ſectionem.

Cerebelli abſceſſus priori major, ſed abſque phrenitide.

Juvencula 22 annos nata, ſemper antehac ſana fuit, niſi quod ante 12 annos ſcabie fœdaretur, quam ſolo ſibi litu depulit, & abſque remediis internis. A ſex fere annis dolore occipitis vexabatur; ita, ut ſubinde totus conquieverit, ſubinde fuerit reverſus, at nunquam ægræ patientiam ſuperavit. Ab eo fere tempore vire-

ſcens ichor per intervalla ex aure ſiniſtra parce ſtillabat, cum lateris illius obauditione.

Catamenia juxa legem conſuetam ſemper recurrebant, niſi quod his ultimis binis menſibus ſtatum reverſionis tempus præoccuparint.

Poſt feſta Bacchi anni 1779. veritigine tentabatur aſſidua ferme, ut exire domo nequiverit integris 4 diebus. Per id tempus nunc modicam bilem, nunc vero aſſumta ſuapte vomebat, & amaroris ſenſu vitiatam guſtandi facultatem querebatur. Tandem miteſcere ſenſim vertigines, & oris amaror corrigi cœperunt, reſtante tamen, quæ his binis ſeptimanis continua fuerat, levi ad occiput cephalæa.

Die 19na. Aprilis dolor occipitis, hucuſque tolerabilis, ingraveſcebat, ad ſingulos corporis, non magnos, motus vehementer auctus. Rediit & amaroris in ore ſenſatio, & repletionis in epigaſtrio. Veſperi levi horrore ſe quotidie perſtringi ajebat, inſequente calore.

Die 21ma. Aprilis ad Noſocomium venit. A meridie ejus diei dolor in ſiniſtro occipitis latere diriſſimus invadit; ejulatus, & aſſidua per lectum volutatio, noctu præcipue. Pus vireſcens ex aure fluit, os amareſcit.

Die 22da. Aprilis interdiu dolor occipitis magnus, veſperi major, & noctu. Pauxillum bilis vomuit.

Die 23tia. 24ta. & 25ta. Aprilis nihil mutatum eſt; nulla toto hoc tempore, quo apud nos fuit, febris obſervabatur; utut ſe domi ſuæ febriculam veſpertinam quotidie expertam fuiſſe, teſtaretur. Pulſus tardiuſculi potius, non elati, & calor naturalis fuerunt.

Nocte diem 25tam. Aprilis inſequente dolor occipitis ferme totus evanuit; aut potius muta-

ta

ta ſede ad nucham migravit, multo hic loci implacabilior.

Mane alterius diei (26ta. Aprilis) lingua viridiſſimo muco fœda, & fauces vireſcenti ac pendulo pure oppletæ. Gargariſmata & injectiones nil profuerunt. Periit a meridie, aucta in fauces viridiſſimæ, aut pituitæ, aut puris, illuvie, ortaque difficili, ſtrepente, breviſſimaque ac celeri ſpiratione.

Aperto cranio lobus ſiniſter cerebelli abſceſſum virenti ac ductili pure plenum continuit, qui facilem nucem juglandem caperet. Ductus quidam, calami amplitudine, ex eo ſacco protendebatur ad os uſque petroſum, quod ipſum eroſum ita fuit, ut pus in aurem internam penetrare, inde ſibi exitum parare potuerit. Sana reliqua fuerunt.

Negavit ſe unquam impuro fluore laboraſſe, utut non frequenter ejuſdem contrahendi diſcrimini ſe expoſuerit; illicito nempe, ut aperte eſt faſſa, nec ullius ſolum viri, commercio uſa.

Dubitabamus, an venereum id eſſet, vel vero ſcabiei, non ſcienter olim ſanatæ, effectus.

Tiro Sartor 16 annorum, die 28va. Octobris 1779. in Noſocomium deducebatur. Tertio ætatis anno a curru velocius acto proſternebatur in lapidem eminentem & acutum. Inde oculi diſtorquebantur, & aures multo ſanguine manabant. Venæ ſectione, & cataplaſmate diſcutiente capiti applicato emendabatur; manſit tamen & oculi ſiniſtri ad radicem naſi detorſio, & recurrens per vices cephalalgia, & obauditio conſtans. Sexto ætatis anno cephalalgia graviſſima prehendebatur, ad initia uſque convulſionum, ſed phlebotomia & puris fluxus ex aure dextra ſo-

Phrenitis a pure in encephalo.

ſolatio fuit. Pus etiam poſt hæc parcum & ſanguinolentum, atque per vices, ex eadem aure fluebat, cum auditus gravitate ad hanc uſque ætatem.

Variolis interea perbenignis defungebatur.

Die 23tia. Octobris 1779. mane ab irruente carpento in pavimentum lapideum projiciebatur, poſtquam a quatuor jam ſeptimanis cephalæa intenſior fuiſſet, & copioſior fluxus puris ex aure. Mox febris orta eſt cum validiſſimo dolore capitis, in ſummo præprimis vertice, atque ad frontem: delirium item & furor. Biduo apud nos propemodum tranſacto moritur.

Ventriculi cerebri laterales, dexter præcipue, turgebant pure viridi & fœtidiſſimo; e quarto ventriculo, eroſo & aperto, pus prodibat uberrimum, quod & totum cerebellum circumfluxit, & ſpecum vertebrarum colli replevit. Hemiſphærium cerebri dextrum alicubi firmius adhæſit oſſi petroſo; quo nexu ſoluto canalis patuit, carie eroſus & apertus in acuſticum tubum, atque e cerebro modice ulcerato pus evehens per aurem, fœdum & putridiſſimum.

En, quam ſubjuncturum me dixi, & anatomen, & morbi hiſtoriam alterius ægri, ob phrenitidem quoque huc pertinentis!

Febris putrido-inflammatoria phreniti-ca, & extiſpi-cium.

Famulus quidam 28 annorum, cum fratri, ex febre putrida mortuo, & valde amato parentaret, triſtari initio cœpit; per quatuordecim a morte dies moroſus ſemper & taciturnus. Poſt hæc & ipſe febri tentabatur, cum pectoris oppreſſione non magna. Erat lingua ex albo flava, ſignaque alia ſaburræ glioſo-putridæ.

Ægrotabat erectus. Domi ſolventia ſumſit, & dein emeticum, præmiſſa ſanguinis miſſione: levamen nullum.

Die

Die morbi quinta ad Noſocomium venit. Febris continua: lingua flavo muco obducta & levis oppreſſio thoracis dextri.

Mentis integritas, ejusque & virium muſcularium vigor: pulſus duriuſculi & pleni.

Elapſo biduo petechiæ conſpiciebantur ubique diſſeminatæ; quæ colore dilute roſeo corpus inſtar marmoris variegati diſtinguebant.

Paucos poſt dies delirium non interruptum acceſſit, cum aſſidua arteriarum celeriter vibratarum ſpaſmodica duritie, eaque poſt ſingulas phlebotomias, quæ ſexies univerſim inſtitutæ ſanguinem pleuriticum, ſed luridiſſime flavum dedere, majori.

Sudores ſub ultimos morbi dies confertim manabant; oculis connivebat, floccos colligebat.

Circa decimum ſeptimum morbi diem periit.

Cum phlebotomiis, potuque refrigerante, nitroſo, aliisque, quæ utilia fore exiſtimabam, nihil proficeretur; bina veſicantia ſuris admota ſunt, unde pejus habere videbatur. Urinæ nunc intenſius croceæ, nunc naturales fuerunt.

Recluſo cranio magna ſeri copia inter binas meninges, & inter cerebrinos ſulcos reperiebatur.

Singuli laterales ventriculi unciam ejuſdem ſeri concluſerunt.

Tota pleura, præcipue in dextro cavo thoracis, uti etiam magna ſepti tranſverſi portio, qua æſophago parforatur, inflammatæ conſpiciebantur.

In ſingulo thoracis antro ſerum cruentum, aut potius ipſe, ſed liquidiſſimus, ſanguis, ultra libram dimidiam continebatur.

Pulmonis dextri exigua pars fuit inflammata, & inteſtina tenuia hinc inde leviter inflammari cœpta.

Phrenitis post graviſſimam cruris contuſionem & fracturam.

Operarius 42 annorum die 9. Junii 1779. crure dextro minutiſſime confracto nobis committebatur. Ampla ubique vulnera & carnium comminutio. Ea, & ſequente die commode habuit.

11. Junii circa meridiem per vices delirat, e lecto exſilit; pulſu pleno, & modice celeriori, non duro; incaluit, ſudavit.

Veſperi & noctu aſſiduum delirium & ferox.

Die 12. Junii delirium perſtabat, & acceſſit pedis livor & frigus.

Hinc die ſequente amputatio facta eſt: ſub qua, uti & meridie, mens ſubinde redire viſa eſt. A meridie vero denuo cum furore delirabat, cum febre, & inter ſudores continuos.

Periit nocte media, diem 14tam. Junii, quem inter aſſidua, & ferocia, deliria exegit, excipiente.

Inter utramque cerebri meningem, item infra tentorium cerebelli, atque in utroque laterali ventriculo ſerum limpidum continebatur, unciarum univerſim quinque. Reliqua in encephalo bona fuerunt.

Jecori ſubſtantia omnis *æruginoſiſſima* fuit, ubicumque diſſecueras. Veſicula fellea penitus vacua, & omnes bilis viæ in duodenum apertæ.

Vulneris conditio bona. An ſpaſmus a terrore, cum ab illabente trunco vulneraretur, inductus, bilem e veſicula expreſſit in hepar?

An hepar vulnerato capite afficitur, compatiturque? an etiam in aliis, aliarum partium vulneribus? atque ibi quidem frequentius, hic vero rarius? an eo in caſu hepaticum ſyſtema a ſolo terrore afficitur, vim illatam excipiente?

Quæ mala inde oriuntur? & quo eventu? & quis influxus eſt biliferi ſyſtematis; dicta ratione affecti in ipſum morbum chirurgicum?

Un-

Unde hæc ſeri collectio, & inde exorta phrenitis?

Phrenitis ab ira.

Puella ob negatam ab hera mercedem iraſcitur. Mox phrenitica fit, frequenter convellitur; perit die quarta. Cadaver ſedulo perquiſitum nil prorſus alieni oſtendit.

Febris miliaris phrenitica.

D. L. * * ex febre miliari phrenitica decubuit. Delirabat aſſiduo & frequenter convellebatur εἰς τὰ ὀπίσθω. Cum Poëtarum lectioni ſe fere totum ſanus daret, & ipſe quoque non illepidus poëta, cumque adſtantium quidam Klopſtokium nominaret, illico reſipuit; tamdiu integerrima mente uſus, quamdiu volueras de immortali ſublimis poëtæ carmine ſermocinari. Sermone hoc dimiſſo, mens aberrabat toto cœlo, toties iterum revocanda, quoties divinum carmen quis recitaret. Convaluit.

Cum quotidie ferme phrenitidis, præprimis ſymptomaticæ, exempla ſe offerant, complura volueram de ejuſdem curatione diſſerere. Verum ſentio, me in ampliſſimo argumento verſari; cujus ſi ſingula capita vellem vel ſtrictim perſequi, idem agerem, ac ſi caloris febrilis, aut cephalalgiæ, aut cujuſvis alterius ſymptomatis fuſam vellem pertractationem dare. Nonne enim de febribus eſſet & ſingulis, & omnibus, earumque diverſis curriculis, agendum; argumento nempe vaſtiſſimo, meiſque viribus majori?

Gorteri effatum de phrenitide.

Infinita enim fere ſunt, quæ vel ingerendo, vel adplicando, vel morſu, communicata corpori; mentem perturbant: hac non omnibus in hominibus eandem inſaniam inferunt: & varia hæc varias quoque mentis amotiones inducunt. JOANN. DE GORTER *in medicina dogmatica.*

 Hinc

Hinc viam relegam, ut, qui hucuſque ſolum littus raſi, mature portum occupem. Tu vero, Vir Præstantissime, qui vento veheris ſecundiore, & nave firma, viarum errorumque probe gnarus, alto te mari committes tuto, &, quod es bonis avibus jam aliquoties emenſus, denuo, ſi volueris, ingens auſpicato iterabis æquor (*).

(*) Egregium opus *de natura febrium*, *& methodo iiſdem medendi* Guillelmi Grant, idiomate germanico nuper donatum, cum maxima meritiſſimaque Auctoris commendatione ubique innotuit.



SECTIO IV.

DE

NATURA ET INDOLE

DYSENTERIÆ

COMMENTATIO.

CAPUT I.

Cur Auctor ad deſcribendam Dyſenteriam animum appulerit?

COMPLURES in deſcribenda dyſenteriæ indole & curatione fuiſſe egregie verſatos, ut aut nihil omnino, aut ſane perparum, deſiderari, videatur, quod vel ad cognoſcendam hujus morbi naturam, vel ad ſanam medendi rationem, pertineret; probe novi.

Nihilominus, cum ab aliquot jam annis dyſenteriæ naturam ſtudioſius contemplarer, variorumque annorum conſtitutiones, atque etiam ejuſdem anni dyſenterias compararem, magnasque non ſolum diverſis æſtatibus, ſed eadem quoque tempeſtate, dyſenteriarum differentias viderem; non illas accidentales, quæ methodum medendi non mutant, ſed quæ alium quaſi morbum faciunt, alia ſanandum ratione; dubitatio ſubiit, num omnis in perveſtiganda dyſenteria labor præoccupatus jam ſit, nihilque reliquum factum temporibus futuris.

Et Hercle, non eam eſſe huic morbo ſimplicitatem, atque impermixtam naturam, ut quibuſdam videri poſſit, has morbi differentias aut

non, ut perfunctorie contemplantibus, &, quod inde conſequitur, non eſſe tam planas in medendo præceptiones, ut irritus idcirco meus labor futurus ſit de hoc morbo ſcripturi; mecum ſtatuebam.

Hinc vellem dyſenteriæ notionem dare clariorem, morbumque, ſimplicem viſum, ſed re ipſa plerumque compoſitum atque ex pluribus aliis ægritudinibus conflatum, in ſua quodammodo elementa diſſolvere; ut inde ideæ naſcantur *illuſtres*, & *directrices*, quæ dyſentericorum medicinam tuto regant, plane verſatilem, & deſultoriam; qualem nempe implexi morbi ingenium petit.

Quamplurimis fortaſſe actum agere videbor, & nihil novi, atque antea nondum viſi, proferre: id vero, quemadmodum multis concedo lubens, ut qui & plura, & perſpicacius viderunt, (novi enim ingenii mei tenuitatem); ita vereor, ne quidam alii *vocabuli* potius, frequentiſſime nempe prolati, atque vulgi ore triti, quam *rei ipſius* hoc vocabulo ſignatæ ideam habeant; uti nempe non paucis accidere video, qui audito e. g. *febris putridæ* nomine, *rem* ſe tenere, non vero *ſolum vocabulum* arbitrantur, diverſiſſimis (utut iiſdem ſymptomatibus quaſi veſtiantur) febribus imponi ſolitum; neque inquirendum ultra eſſe exiſtimant, quæ ea degeneratio ſit, quam hoc vocabulo, multa & varia, & oppoſita ſæpe complectente, *putredinem*, aut *febrim putridam* appellabant.

Eſt etiam non infimum meritum, aliorum præclara obſervata firmare ſuis, & illorum præceptis ſubſcribere.

Non hic omnem dyſenteriæ ambitum complectar, nec aliorum referam aut obſervata, aut

aut medendi præcepta; ſed, quid ipſemet viderim, & quam ipſe ſortem in ſanandis dyſenteriis ſim expertus, quam denique morbi notionem ex meis ſolius obſervationibus abſtraxerim, narrabo, aliorumque judicio ſubmittam; ut mea cum ſuis conferant, rectificentque.

De ea ſpecie dyſenteriæ loquar; quæ quamvis æſtatem plus minuſve contaminant, etſi in alia quoque tempora ſubinde incidat; quæve vel in ipſum vulgus nota eſt, quamcumque demum ejuſdem definitionem ſtatueris.

CAPUT II.

Dyſenteriæ complicatio, & varia diviſio.

MORBUM hunc rariſſime ſimplicem, plerumque diverſimode dixi complicatum. *Simplicem* morbum tunc appellabam, ubi ægri *ſeceſſus creberrimos, aquoſos, admixto non raro ſanguine, morbo præcipue aliquandiu durante profuſoſque, initio ſubinde mucoſos, ſemper torminoſos habuerunt; cum febricula tenui; guſtu aut non omnino, aut leviter, & cum doloris extra tempora dejectionum abſentia.* Sæpe coryza, aut angina, aut alia ad thoracem, vel ad artus facta defluxio, aut inde catarrhus eſſet, aut dilacerans artuum dolor, hunc alvi fluxum præceſſit, aut una adfuit.

Ima. ſpecies dyſenteriæ, ſeu dyſenteria ſimplex.

Quibus neglecta hæc ægritudo fuit, aut remediis ineptis tentata, his tormina augebantur,

at-

atque etiam extra tempora ſeceſſuum perſtabant; qui frequentiores fiebant, mucoſiores, magiſque cruenti, & teneſmoides ſupra modum.

Nunquam accidiſſe hunc morbum vidi, niſi ſi corpori ſudore mananti incaute admiſſum frigus fuerat.

Diverſis anni partibus diverſæ quoque corporis partes plerumque ægrotant.

Hæc perfrigeratio aliis anni temporibus alias corporis partes impetebant; *ſupremas* hyeme, vere *medias*, ſed *infimum* ventrem adulta æſtate, atque autumni initio.

Ventriculum nempe & inteſtina hac anni tempeſtate debiliſſima habemus, & excipiendæ recurrenti materiæ perſpirabili præ alia quacumque parte opportuniora.

Cur æſtas plerumque dyſenterias proferat.

Hinc materies, quæ alio anni tempore aut odontalgias fecerat, aut coryzas, anginas, catarrhos &c. morbos videlicet ſeroſos; tunc ad inteſtinorum membranas projecta *ventris coryzam*, aut *inteſtinorum catarrhum* aut *eorumdem rheumatiſmum* fecit; morbum nempe, ab aliarum anni partium ſeroſis morbis non niſi *ſede* differentem.

Etiam illud accedit, quod non quovis anni tempore eadem deſtillantis materiæ indoles ſit, ſed nunc *benignior*, atque inſons fere, nunc vero *acrior*, & *ſeptica*; qualis nempe æſtivo tempore eſſe plerumque ſolet.

Dyſenteriæ primæ ſpecies, & quid in hac ſimplici dyſenteria profuerit.

Anno 1778. menſe Auguſto hæc dyſenteriæ ſpecies, quæ mihi *prima* & *ſimplex* erat, aliquoties obſervabantur, eamque ipſe ea tempeſtate perfrigeratus experiebar.

Profuerunt juges, & tepidæ potiones, cum lecti tepore: ſubinde eumdem potum leni aromate feceram medicatum. Sub veſperam pulverem ex nuce moſchata, & opii pauxilo propinavi. Motis per noctem ſudoribus alvus compre-

preſſa eſt, cum euphora & abſque alterius morbi metu.

His male ceſſit quæcumque alia medendi ratio; ſeu quæ eccoproticis, ſive quæ emeticis, aut quæ radice arnicæ dyſenterias ſanat; aucto dejectionum torminoſarum, cruentarum, ramentoſarum numero &c. & quid nocuerit.

Dicto modo intra nychthemeron cum perſeverantia ſanabantur; ſi modo nondum invaluerat morbus, aut perverſam medicinam fuerat expertus.

Abſque negotio nunc intellexi, quænam illæ dyſenteriæ fuerint, quas ſolius aquæ tepidæ potum cum tenuiſſimo victu, aut tenue infuſum theæ, aut dilutiſſima carnium juſcula affatim epota, ſanaſſe, obſervatores teſtantur. Hinc quorundam methodi dyſenteriæ medendi explicari poſſunt.

Ejuſdem quoque indolis, *ſeroſæ* nempe, aut *rheumaticæ*, *ſimplicis*, *impermixtæ*, illas fuiſſe dyſenterias puto, quas infuſo florum ſambuci, ſtibio diaphoretico non abluto, opio, aut remediis vi leviter carminante donatis, aut balneo tepido aquæ dulcis, aut fotu crurum, ve abdominis &c. aut alia quacumque ratione, huc revocanda, tuto, feliciterque curatas narrant.

Quibuſdam auxilio fuiſſe in dyſenteria veſicans legimus, abdomini admotum, & ſalutis mox inſecutæ rationem ex hucuſque relatis colligimus. Rheuma enim inteſtinorum veſicante ad cutem evocabatur, ſudore (quemadmodum poſt applicatas alicubi cantharides ſemper eſt obſervare) ubertim moto, atque alvo reſiccata.

Qui dyſenterias alternatibus ſanant, ex opii, & radicis ipecacuanhæ refracta doſi confectis & perſpirationem ſollicitantibus, *has* certe *ſolas* ſanant, nempe *rheumaticas*, habentque eventus fortunati rationem.

Sy-

Cur quidam methodum Sydenhami dyſentericis medendi inique criminatur.

SYDENHAMUM (quem virum, & quantum !) in eo reprehenſum legi, quod uſui ſui laudani tum in aliis morbis non paucis, cum vero vel maxime in dyſenteria ſananda, plus juſto indulſerit. Verum æquiſſimum fuerat, id quoque addere, nec *eadem* eumdem ratione *omni dyſenteriæ*, nec *omni* fuiſſe *conſtitutione* medicatum.

Nonne enim variam dyſentericis medicinam fecit, prout varius fuerat dyſenteriæ genius, ab ipſo non prætervîſus? nonne cathartica non raro ſuaſit? nonne ſolis phlebotomiis profuiſſe ſe fœminæ ait, longa dyſenteria vexatæ?

Sed etiam omnibus hiſce auxiliis locum dedit, ubi dyſenteriæ fuerat compoſitio ea, quæ compoſita quoque methodo indigeret.

Certe, ſi quando ſolius laudani ope, omiſſis catharticis, rem totam confici poſſe aſſeruit, id ita experiundo edoctum fuiſſe credendum eſt, fuiſſeque eas ipſas dyſenterias, quæ ſolo laudano conquieſcebant, illius prorſus originis, de qua hucuſque diſſerebam.

Fortaſſe mihi litem quis movebit de morbi nomine, ut quem dyſenteriam ſalutarim, quæ ejus ſola quædam *ſimulatio* fuerit, quocumque alio demum vocabulo, e. g. *rheumatis inteſtinalis*, *colicæ*, *diarrhææ torminoſæ*, *a perfrigeratione &c.* aptius inſignienda. Verum multa pro hac mea compellatione purgant; atque hanc veram dyſenteriam eſſe, aut eſſe potius unam ex amplo dyſenteriarum genere quaſi ſpeciem, eamque *ſimplicem*, meracam, & cæteris ſpeciebus multo benigniorem, multis evincere argumentis poſſem.

Nam, ut pauca afferam, 1mo. eoſdem exhibuit characteres, quos eo ipſo in morbo deprehendimus, quem omnes unanimi ſuffragio dyſenteriam appellarunt; dejectiones videlicet frequen-

quentes, cum ventris torminibus, & colluvie mucoſa, utique etiam aquoſa initio, & paulo poſt cruentata.

2do: Intra eoſdem quoque temporum fines coercebatur, intra quos contineri dyſenteria ſolet; eoſdem cum dyſenteria progreſſus fecit; eoſdem eſt ſortita cum illa exitus, ſi morbum aut nihil feceras, aut eidem ſiniſtre medebaris.

3tio: Ab auctoribus quoque non paucis & viſum hunc morbum, & pro dyſenteria habitum, & eadem nobiſcum ratione ſanatum, accipimus.

4to: Inteſtinorum hoc rheuma, quod ſimplicem dyſenteriam appellabam, in omnibus dyſentericis, quoſcumque vidi (& videram non paucos) adfuiſſe, utut multiplici alia complicatione ita variegatum, ut diverſiſſimæ medendi methodi requirerentur, affirmo.

Nonnunquam hoc rheuma inteſtinorum altius figitur, ita, ut ſudoribus motis dimoveri, diſſiparique non poſſit, ſed perſtet immotum; tunc autem & hæc ſimplex dyſenteriæ ſpecies repetitis vicibus blando, anodyno, tepidoque potu, & laudano ſubinde interpoſito tentari debet. Quodſi vero hæc dyſenteria ſeroſa negligatur, male curetur in veram abibit, eamque pertinacem *febrim inteſtinorum rheumaticam*, longam, difficilem: quemadmodum febres rheumaticas artuum, carpis & genubus tumentibus, & valde dolentibus, fieri videmus.

Altera dyſenteriæ ſpecies eſt; eadem cum priori tempeſtate occurſans, ſed priori magis compoſita, & e binis, ut ita dicam, elementis confecta. En ejus geneſin, indolemque, & qua parte priorem contingat, & ab eadem recedat. Altera ſpecies dyſenteriæ.

Ven-

Ejus geneſis. Ventriculum & inteſtina æſtate adulta, & ineunte autumno plus ſolito languere, & ſorde biliformi gravari non raro, ac crebrius, quam aliis anni temporibus, id vero vel in vulgus conſtat.

Saburra hæc temporum opportuna viciſſitudine, & appetente brumali frigore ab invigorato ſyſtemate gaſtrico ſenſim ſubigitur, immutatur, eliminatur, viis & modis variis. At ſunt, quibus abundantior bilis inſidet, & ventriculus eſt imbecillior, iisque, non exſpectata hac temporum felici mutatione, ea materies, quam abundare dixi, morbum facit *bilioſum*, e. g. febrim *bilioſam*, *choleram* &c., verumtamen nondum dyſenteriam.

Fac jam, homini cruditate bilioſa laboranti, quæ forte hucuſque iners delituit, &, ſi nulla occaſio ejus commovendæ fuiſſet data, etiam poſthac iners delituiſſet, donec annua vice fuiſſet mutata; fac, inquam, huic homini corpus perfrigerari, prehendique illa dyſenteria, quam ſupra deſcripſi, *deſtillatoria*. Ægrotabit jam hic tuus homo & *rheumate illo inteſtinorum* a perfrigeratione orto, (quod vel ſolum dyſenteriæ primam ſpeciem facit), *cruditate bilioſa*, quam ipſum rheuma mole auxit, atque acriorem reddidit, quamve gaſtricum ſyſtema, ob defluxionem nunc irritatum & exquiſitius ſentiens, graviſſime feret.

En jam alterius hujus dyſenteriæ geneſin, compoſitæ 1mo. ex *dyſenteria ſuperiori*, *ſimplicique*, & 2do. *ex bilioſa materie commota*; binis nempe, quæ dixeram, elementis.

& curatio. Cum hac dyſenteria ſuperius allata remedia nequaquam congruebant, niſi bilem commotam eduxeras, atque ex morbo *compoſito* feceras *ſimpli-*

plicem. Hæc illa dyſenteriæ ſpecies erat, quæ, propinato antea pharmaco, medicinam ſopientem & diaphoreticam amabat.

Non idem omnibus modus eſt ventrem purgandi, multis enim vomitio placet, non paucis alvus purgante mota blando, ſalino, mannato, tamarindis, rheo &c.

Utraque ratione in ſananda dyſenteria utebar, (de hac ſecunda ſpecie loquor, *rheumatico-biliosa*); quamvis & efficacius, & pluries morbum vomitorio, aut emeto-catharſi commiſerim.

Everſo ventriculo turbæ plerumque ſuapte, & quin narcoticum daretur, componi, & ægri in placidos ſomnos labi, atque inter dormiendum in ſudores, cœperunt.

Sic pharmaco bilis abſterſa eſt, & ſudoribus rheuma inteſtinorum.

Dyſenterias æſtate anni 1776. omnes huic methodo ſubjeci, easque celeriter confeci; pleraſque etiam in Hungaria annis 1773. & 1774. eadem ratione, & eodem eventu ſanavi.

Plerumque autem hunc canonem ſtatuebam, ut ſaburram, ventrem infimum & inteſtina craſſa occupantem, blande per ſeceſſus evocarem, at vero materiem *ſurſum turgentem*, atque exitus molientem per os, excuterem vomitu.

Has quoque dyſenterias fuiſſe exiſtimo, quas SYDENHAMUS non ſolo laudano, ut quaſdam alias, ſanavit, ſed catharſi, eaque repetita, & opio primum a purgatione propinato, atque in plenam uſque ſanitatem protracto.

Dyſenteriam *rheumatico-bilioſam* mitioremque, & a ſaburra non copioſiſſima productam, preſſo uvarum ſucco ſanavi; qui ab ægro remediorum aliorum impatiente largiter hauſtus ventrem turbavit, ſolutamque bilem purgantis inſtar eduxi; Uſus horæorum fructuum.

dyſenteria in diarrhœam converſa, ſalutarem, & facilem curatu.

Cuidam & pruna recentia conceſſi, ablata cuticula indigeſtibili, quin & alios horæos fructus, qui ſucco præ cæteris abundabant, aut, ut aſſumant, ipſe juſſi, aut non invitus conceſſi, fibroſis tamen, & duris eorum partibus rejectis. Hi horæorum ſucci ſaburralem materiem ſolvebant, quo opportunior emeſi, aut catharſi efficeretur; vel vero ipſimet purgantis remedii ſimul vices ſubierunt.

& abuſus in dyſenteriis. Convaleſcentes tamen ab uſu fructuum horum arcebam, ſaltem largiori; tunc enim firmare potius & acuere languidas ventriculi vires oportebat.

Hanc alteram dyſenteriæ ſpeciem ab ea, quam *rheumaticam* appellabam, certæ quædam notæ diſtinguebant, eæque potiſſimum ſequentes: Qui proximis diebus dyſenteriam fuerant experturi, ventriculi pondus per aliquot ante morbum tempus querebantur, aut matutinum amarorem oris, aut ſudores præter morem nocturnos; nidoroſos, & ſomnos turbatos. Quibuſdam alvus antea ſine torminibus fluxit, eaque ſubſiſtente ſuapte, aut intempeſtive cohibita, hæc inteſtinorum difficultas acceſſit.

Quibuſdam abdomen ſubinde levi, & fugitivo per vices dolore, aut flatu crebro perſtringebatur, alvo adhucdum ordinata; donec elapſis aliquot diebus dyſenteria adoriretur. In aliis alia præceſſere futuri morbi indicia.

Morbum præſentem ea omnia comitabantur, quæ biliformem ſaburram indicant circa præcordia collectam; atque aliunde jam abunde nota.

Dyſenteria rheumatico-bilioſa febre *evidenti* quidem carebat, non omni tamen *motu febriculoſo*,

loſo. Atque univerſim, utut non ignorem, dyſenterias febris expertes deſcribi, earum tamen nullam me vidiſſe recordor, febre penitus deſtitutam. Sed febrim forte, quæ *exigua* fuerat, *nullam* prorſus putaverunt.

Sola intenſione differebat ab hucusque deſcripta dyſenteria is morbus, qui mihi *febris bilioſa dyſenterica* fuit. Erat enim & copioſior bilis collectio, ejusque acrioris, atque ita agentis, ut febrim faceret bilioſam, accedente inteſtinorum rheumate tali, quale requiri ad noſtræ dyſenteriæ geneſin ſuperius dicebam. *Febris* hæcce *bilioſa* ſibi novum cognomen adſcivit, fuitque *bilioſa dyſenterica* dicta. Febris bilioſa dyſenterica.

Aliunde conſtat, quibus notis bilioſæ febres prodantur, iis nempe, quæ materiem biliformem intra præcordia fluitantem indicant; cujus tamen portio quædam ſuam jam ſtationem deſeruit, intra humorum circumeuntium canales recepta. Manifeſti quoque ſunt certa plerumque horarum aut dierum periodo recurrentes febris auctus, decrementa.

Febri hac bilioſa dyſenterica detenti non omni diei tempore, nec omnibus diebus æquali ratione dejecerunt; ſed ſuam hæ dejectiones torminoſæ periodum obſervarunt, ut nunc frequentiores eſſent, aucta nempe ipſa febre, nunc vero eadem remiſſiore ipſæ quoque remitterent.

Hæc tertio loco memorata dyſenteria vitæ periculum poterat intentare, quod ab utraque priori, niſi inſana medicatio ex benigniſſimo morbo periculoſum fecerat, longiſſime abfuit. rarius periculoſa fuit,

Quæ torminum ratio fuerit in hac febre dyſenterica, exponam.

Abdomen nempe ſub ipſa dejectione, & momento ante eamdem non raro vehementer doluit;

 mi-

mitius tamen, aut non omnino eo tempore, quo æger mox a ſeceſſu ſurrexit. Verum, utut perſæpe graviora tormina eumdem vexarent, venter tamen, etiamſi rudi manu contrectatus, validius non dolebat, nec mitius eadem remota.

Inde inflammationis abſentiam conjectabar, & tempus emetico opportunum.

niſi complicata inflammatione. At tumidulum aliquantum abdomen cum aliqua tenſione, & cum dolorum ſub ipſa manu contrectante augmento inteſtinorum phlogoſin prodidit. Sed hac de re inferius erit dicendi locus.

Qua ratione medendi uſi ſimus in febre bilioſa dyſenterica. Methodus medendi his febribus bilioſis dyſentericis (de iis loquor, queis nulla inflammatio juncta erat) tota in eo ferme verſabatur, ut febris bilioſa ipſa, tanquam morbus eminentior, ſanaretur, cujus ſanandæ modum *Tom. II. Rationis medendi meæ* abundanter oſtendi.

Conſiſtebat enim intra remediorum ſaponaceorum, ſolventium, aceſcentium uſum; cui ſubjungi, aut interponi emeto-catharſis debebat.

Opium tardius propinandum hic erat, & parce & febre bilioſa ferme ex integro jam conſopita. Male enim bilioſæ febri, & opio convenire is novit, qui vim utriuſque perſpectam habet, atque alterum cum altera contulerit.

Raro ſolis purgantibus febris bilioſa dyſenterica curabatur, niſi mitior fuerit, & ipſa purgantia fuerint blandiora, antibilioſa, eccoprotica, tamarindi, caſſia, &c.

Rheum enim quacumque ratione datum, aut myrobalani, aliaque huc revocanda, ſpem fefellerunt, niſi febre jam inclinata, & emeto-catharſi præmiſſa.

Plerumque aliis adjumentis hæc ſpecies dyſenteriæ non egebat.

Va-

Varios modo exitus referam, quibus *febrim biliofam dyſentericam* contigit terminari. quoſve exitus habuerit eadem hæc febris.

In quibuſdam, iisque compluribus, morbus recta in ſanitatem abiit, intra idem ferme tempus, quo alias bilioſæ febres ſolent concludi, atque eadem etiam ratione.

Vidi, cui febris dyſenterica methodo ſuperius expoſita in intermittentem fuerat converſa; alvo extra tempora acceſſionum febrilium compreſſa, ſub iiſdem vero denuo dyſenterica. Dixiſſes *febrim intermittentem dyſentericam*: hanc dein corticis peruviani decoctum ſanavit.

Quidam initio ex febre bilioſa dyſenterica ægrotabat; hæc in tertianam abiit, abſque ſymptomate dyſenterico.

Nonnunquam hæc febris bilioſa dyſenterica apta methodo profligabatur; verum alvus, utut indolenter, attamen immoderatius, & longo tempore fluebat; dyſenteria nempe in diarrhœam abeunte; bonam quidem, niſi diuturnior fuiſſet, & ob amiſſum inteſtinorum robur difficulter ſupprimeretur, & convaleſcere prohiberet.

His radix arnicæ aut pluverata, aut infuſa præ quovis alio roborante remedio conſtanter profuit. Uſus radicis arnicæ.

Non raro *febris bilioſa dyſenterica* in morbum putridum tranſibat, ut nomine mutato *febris putrida dyſenterica* appellaretur.

Diverſa ratione hæc morbi mutatio contingebat; cui explicandæ nunc diutius immorabor, cum hic fœcundæ notiones deliteſcant, quibus in medicina antidyſenterica abſque piaculo nemo caret.

Febris *bilioſa* dyſenterica in *putridam* convertebatur.

1mo. *neglectu*: qui enim auxilia ſprevere, vel

 iiſ-

iisdem ineptis uſi ſunt, his non jam remittere febris viſa, iterumque ſtato tempore intendi, ſed uno impetu atque accelerato ferri. In continuam itaque mutabatur, gravem, iisque ſymptomatibus ſtipatam, quorum complexus *febrim putridam* inſignit. His diuturnior ſolventium, emollientium, tepidorumque uſus, non raro etiam venæ ſectio, profuit, & ſero tandem emeto-catharſis; poſtquam nempe, quam diuturnior & elatior febris inteſtinis jam affricuerat, inflammatio fuerat abſterſa.

2do. *inepta methodo*: alii enim febrim bilioſam dyſentericam venæ ſectionibus compluribus aggreſſi ſunt; verum, ſanguine ultra ægri tolerantiam extracto, exaſperari biliformis materies cœpit, atque intra corporis penetralia attracta quaquaverſum diſpenſari, & humores circumeuntes malo ſuo connubio coinquinare.

Hi longiſſime ab inflammatoria conditione abfuerunt, ſed ardoribus peruſti acerrimis, parvo debilique, ac celeri pulſu, & febre aſſidua, eaque nunc *putrida* ægrotabant.

Quandonam habeatur directa radicis arnicæ indicatio in dyſenteria.

Hoc rerum ſtatu radix arnicæ præ quovis alio remedio ſaluti fuerat ad dr. S. omni, aut ſecunda, aut tertia, hora propinata.

Emeto-catharſin hi non ferebant; utut enim illuvie venter ſcateret, nihilominus vel impurorum ſuccorum evacuatio reſiduas vitæ vires attrivit. Serius autem, atque arnicæ radice refocillati ſubinde ſalubriter emetico purgabantur, reſumta denuo eadem radice.

3tio: Febres bilioſas dyſentericas *imprudenter iterata emetica*, aut etiam *purgantia ultra modum protracta* contumaces effecerunt, & ob exhauſtas vitæ vires periculoſas.

Tunc vero deſertas propemodum res radix arnicæ reſtituit.

Quem-

Quemadmodum *ſimplici febri bilioſæ* remedia calefacientia, conſtringentia, & narcotica valdopere adverſabantur, easque in *inflammatorio-putridas* invertebant; ita febres bilioſas dyſentericas eadem medicatio longe peſſimas fecit. Tunc vero phlogoſin prava methodo accerſitam potu, fotu, phlebotomiis omnium primo ſedare opportuit, ac tandem expoſita ante ratione perſanare.

Nonnunquam febris adeſt *originario - putrida;* non multum ab illa differens, quam *ſecundario-putridam*, ex prægreſſa nempe *bilioſa*, fieri ſupra narrabam.

De *ſynocho putri* diſſerere nunc oporteret, priuſquam de ejus cum dyſenteria connubio verba facerem; niſi animus mihi dudum fuiſſet, alia occaſione de febrium diverſiſſimarum indole, quas ſub *eodem* putride febris *vocabulo* tanquam *natura eaſdem*, & hercle, quanto cum errore, & quam multis pernicioſo! complectuntur, & de diverſa iis medendi ratione, præcipere.

Ubi putri ſynocho rheuma inteſtinorum ſub iis conditionibus adjungebatur, quæ ad generandam dyſenteriam requiruntur, *febrim putridam dyſentericam* appellabamus. Synochus putris dyſenterica, ſeu dyſenteria putrida.

Toti in eo tunc verſabamur, ut, an omnis inflammatio abſit, conſtaret; hanc enim præſentem fotu abdominis, & emolliente, ac mucilaginoſo potu, quin etiam phlebotomiis delinivimus. Tum demum aut emeſi, atque hac crebrius, uſi ſumus, aut blanda catharſi; prout materies aut ſurſum turgeret, aut ad alvum inclinaretur.

Tandem radix arnicæ complementum curationis fecit.

Dyſenterias ejuſmodi putridas, ſed abſque notabili ſaburra, atque omnis inflammationis exper-

tes, mox initio propinata radix arnicæ ſanavit ſola.

Tunc autem ferme omnibus alvum pedetentim, & lente inhibuit, & ventris tormina ſenſim compoſuit : pauciſſimis vomitum movit : perpaucis dyſenteriam in diarrhœam convertit.

CAPUT III.

Febris inflammatoria dyſenterica, ſeu dyſenteria inflammatoria, benigna, maligna.

RHEUMA inteſtinorum, quo ſine dyſenteriam concipere nequimus, inflammatoriam non raro ſibi febrim ſociabat; ſeu ipſa materies deſtillans acredinem, & inflammandi habuerit vim; ſive ægri habitus fuerit præ cæteris opportunus phlogoſi; vel vero conſtitutio anni phlogiſtica, tunc forte vigens, quidquid per id tempus morborum occurſabat, in phlogoſin inclinaret inverteretque. Non raro, quod neque temporis neque ægri conſtitutioni tribueris, nec peculiari cuidam rheumatis acredini, inepta & prava medicina fecit, vinoſa, aromatica, narcotica, adſtringens, &c.

Dyſenteriæ *vernæ*, *autumnales*, *hyemales*, *plethoricorum*, *robuſtorum*, aut *ex toto* erant inflammatoriæ, aut ſaltem *ex parte*, majore, minore.

Sub-

Subinde *æſtiva* quoque dyſenteria multum phlogoſeos habuit, ſubinde vero omnino nihil. Anno 1776. unicam certe dyſenteriam inter longe plurimas offendi inflammationis participem. Unde natura dyſenteriæ poſſit determinari.

Ea in re dyſenteria naturam *dominantis febris* imitabatur, ut, ſi *hæc* multum, aut parum, diſtaret ab inflammatione, *illa* quoque ab eadem longius abeſſet, aut propius.

Oculatum Medicum eſſe oportuit, atque emunctæ naris, ni inſidentem ventri phlogoſin voluerat prætervidere: decepit pulſus, deceperunt vomitiones ſaburrales, , æruginoſæ, vermes ore rejecti, ut motæ turgentiſque ſaburræ molimina crederes, quæ potius ab incendio fuerant inteſtinorum. Dolor *aſſiduus alicubi fixior*, *tactum refugiens*, *inquies*, αλυσμος, atque alia, quæ enteritidum ſolent ſigna eſſe, medentem periculi commonefecerant.

Eamdem in *hac* dyſenteria medendi rationem tenuimus, quam enteritidi quoque conducere noveramus, nempe *generoſius antiphlogiſticam*.

Balnea, aut cataplaſmata, poſtquam ſanguis, ſubinde iterato, detractus fuit, & emulſa tepida, ore aſſumpta, ano injecta, juſcula quoque non pinguia, queis gummi arabicum incoctum fuerat, cruciatus abdominis & dejectionum frequentiam compoſuerunt: quæcumque alia, aliarum nempe virtutum, remedia nocuerunt.

Dyſenteriæ diverſæ ſubinde commiſcebantur. *Inflammatoria*, atque *bilioſa*, in unum morbum conflari præ cæteris ſolebant; conſtitutione temporis cæterum valente, pleno, ſtricto; vel vero, ubi opio, vino, rheo, mirobalanis, aromaticis, adſtringentibus æger fuerat abuſus. Dyſenteriæ complicatæ, ſeu varia ratione commixtæ.

Nonnunquam, quæ in quibuſdam ægris aut Dyſenteriæ variæ.

...e invicem excipientes.

ſolæ fuerunt, aut complicatæ, in aliis ſibi ita ſucceſſerunt, ut una dyſenteriæ ſpecies exceperit alteram; atque huic dyſenteriarum variarum ſucceſſioni opportuit medendi rationem accommodare.

CAPUT IV.

Tentamen novæ diviſionis morbi dyſenterici, ex cognatione cum vario rheumatiſmo repetitæ.

QUAM hucuſque dyſenteriæ diviſionem dedi, pleraſque ejuſdem ſpecies complectitur, easque communiores, ſanatuque non difficillimas.

Superſunt autem aliæ quædam, quas ad hucuſque recenſitas operoſius referes, & quarum indolem ex ſuperioribus vix perſpicies.

Hinc aliam inire viam placet, qua ad genium morbi intimius cognoſcendum nos perventuros confido.

Statuo, dyſenteriam, hiſce annis obſervatam, fuiſſe *inteſtinorum rheumatiſmum*, ab eadem genitrice materie natum, qua rheumata naſci, æſtate adulta atque autumno, ſolebant.

Febris ergo rheumatica æſtatis, rheumataque partis cujuſcumque, artuum, faciei, &c. *eamdem* per ea tempora habuere cum dyſenteriis *cauſam materialem*, & ſolummodo *forma* differebant.

imo.

1mo. enim rheumatiſmos artuum videre contigit, repente ſublatos dyſenteria oborta.

2do: nonnunquam eumdem hominem & rheumatiſmus vexabat, & dyſenteria.

3tio: dyſenteria quoque ſubito ceſſabat, ut primum carpi, aut genua intumuere, doluereque ad eum modum, quo a febre rheumatica ſolent, in artus incurrente.

4to: par quoque utriuſque morbi frequentia fuit eadem tempeſtate, ut alios rheumatiſmus affligeret, alios dyſenterias.

5to: eadem medendi ratio in utroque morbo valebat, idem etiam habitus ſymptomatum erat; ſi ea excipias, quæ ob partis affectæ diverſitatem differre neceſſario debebant.

6to: dyſenteria non in frequenter ſudoribus, aut efflorescentia miliari, vel vero utraque hac ratione, judicari & ſolvi ſolebat, quod ſæpenumero in rheumatiſmis quoque obſervabamus.

Sola certe acrior bilis, atque ab rheumate non adjuta, dyſenteriam non fecit. Accerrimam ſaburram in febre bilioſa ipſe quondam vomebam, fauces ita exurentem, ut integro biduo, vel leniſſima potulenta ignis inſtar œſophagum quaſi arroſum afficerent; nihilominus, præſente licet hac acerrima bile nec ventriculus, nec inteſtina doluerunt, nec ullum dyſenteriæ ſignum adfuit. Preterea, qui dyſenteriam patiuntur, ſæpe perpauca vomunt, & que nec colorem, nec ſaporem depravatum habent, nec ſenſibilem aliam qualitatem vitiatam, etſi cum multo plerumque levamine vomant.

Idcirco non videtur dyſenteria produci ab acri bile intra tubi inteſtinalis cavum contenta, & nondum reſorpta; licet ab eadem reddi poſſit periculoſior: atque emeticum non raro profuiſſe

vi-

viſum eſt, qua *ſudoriferum* : novimus enim poſt emeſin ſudores.

Hinc dyſenteria non ob remotam quamdam analogiam, & per metaphoram, ſed *vere* ac *genuine rheumatiſmus inteſtinorum* dicetur, ſuntque hi duo morbi ἀδελφεὰ παθήματα, atque ejuſdem matris.

Quapropter methodus rheumatiſmis æſtivis medendi rectificari corrigique ex ea medendi ratione poteſt, quam dyſenteriis applicamus, & e contrario hæc per illam poteſt illuſtrari.

Recenſebo nunc, quam rheumatum diverſitatem viderimus temporibus dyſentericis; ut, quanta rheumatiſmos inter & dyſenterias analogia interceſſerit, liquido conſtet.

Prima ſpecies rheumatiſmi, & dyſenteriæ.

Rheumata obſervabantur in hominibus cæteroquin bene valentibus, ab aura frigidiore, quæ forte ſudantes afflarat. Hi rheumatiſmi benigni fuere abſque febre, & potu tepido, diaphoreticove abſque negotio difflandi.

Ejuſdem omnino moris dyſenteriam vidi feroſam, benignam, cito & eadem ratione ſanandam; hanc ſuperius *primam dyſenteriæ ſpeciem* nominabam.

Secunda ſpecies rheumatis, & dyſenteriæ.

Alteram ſpeciem rheumatiſmi conſtituebat rheuma artuum pertinax, & diuturnum, initio febrile & cum afflictæ partis tumore, atque, febre licet profligata, diutius nihilominus dolorificum, quove; in exquiſita methodo ſuccureretur, articulos ſero tandem a dolorum cruciatu liberarat, & eos reliquerat ad motum ineptiores, rigidiores, tuberoſos, tumidos, & per omnem fere vitam veluti ſemidiſtortos.

Non diſſimilem dyſenteriam offenderamus rebellem ad notas ſanandi leges, & cum hac pertinaci fluxione articulorum apprime convenientem

tem. Sero dolor abdominis valedixit, longiſſimamque omnium moram traxit, ſano reliquo abdomine, in inteſtino recto; quod aſſiduo teneſmo mucum tremulum lineis ſanguineis pictum expreſſit. Teneſmum hunc diutiſſime durantem ſublatum una nocte vidi, oborto mox femoris ſiniſtri, & carpi dextri tumore, ac dolore rheumatico, qui ſero lactis, & frictionibus ſanabatur.

Cum pauciſſimis tamen tam benigne agebatur, nonnunquam enim dyſenterico dolore, utut ſero, ceſſante, alvus nihilominus indolenter & aſſiduo fluebat multis ſeptimanis. Varia incaſſum tentata ſunt: ægri aut hydropici perierunt, aut conſumpti ab aſſidua, aquoſa, chymoſa dejectione.

Tunc inteſtina, potiſſimum craſſa, reperiebantur ſolito multo craſſiora, rigida, coriacea, at nullibi ulcerata.

Idem hic inteſtina ſunt paſſa ab inveterato rheumate, quod articulis ab eodem accidiſſe ante dixi; tumidis manentibus, tuberoſis ac rigidis effectis, & ad motum ineptioribus.

Oblitteratis nempe inteſtinorum abſorbentibus vaſis, rigeſcentium, durorum, alvus abſque torminibus & aſſiduo manans, hydropem induxit, & conſumptionem.

Horum pauci, iique ſolum valentiores, & quibus adhucdum virebat genu, poſtquam diuturna ægritudine ferme ad incitas redacti fuerant, attritas ſenſim vires reſumſerunt; fatiſcente fortaſſis materie rheumatica, & inteſtina deſerente. Sed longa mali mora memoriam ſui reliquit, & languidior ventriculi vis, decoctusque juventæ flos ſuperati morbi identidem commonefecit.

Ter-

Tertia ſpecies rheumatiſmi, & dyſenteriæ.

Tertium quoddam genus erat deſtillationum; æſtate, & ſub initia autumni, ſæpe conſpectum, eryſipelatodes, urentiſſimum, quod vel leviſſime digito contrectatum, ægro ejulatus expreſſit; ſub veſperam & noctu crudelius ſæviens, & ſepticum.

Anno 1777. binas juvenculas habuimus, quarum altera manum habuit ejuſmodi rheumate tentatam, altera pedem. *Tempore* potius delinitum morbum exiſtimabam, quam *conſilio* fractum; quod etſi varium fuerat, tamen a morbi ingenio capitoſo identidem vincebatur.

Quibuſdam id genus rheumata poſt multorum dierum cruciatus in pus convertebantur.

Quorum corpora jam ante morbum pravos ſuccos fecerunt, hos præ cæteris hoc rhuma invaſit.

Sed etiam dyſenteriam non abſimilem vidi in cacochymicis, graviſſimam, lethalem, atque id ſolum boni habentem, quod rarius fuerit obſervata, & anno 1776. omnino nunquam.

Dyſenterici hi *ardorem abdominis*, eumque intenſiſſimum, aſſiduum, contrectationis vel mitiſſimæ impatientem mox primis morbi diebus; anxietatem miram, & jactitationem; creberrimas, mere, ſed obſolete ſanguineas dejectiones; pulſus ſæpe magnos, vibratosque, ſed nunquam valde aeceleratos, ſubinde autem tenuiſſimos exhibuerunt. Vena ſecta ſanguinem dedit laudabilem, abſque ulla phlogiſtica cruſta, & abſque dolorum levamine. Sub frigidiſſimo artuum frigore & pluſquam cadaveroſo internis caloribus ſe peruri querebantur; potus gelidi inexplebile deſiderium. Lingua ſicca, hirſuta, & ipſa quoque frigida. Mentis conſtantia, & dolorum ſenſus uſque fere ad ultimum vitæ diem. Mucilaginoſæ,

ſæ, tepidæ, crebræ, potiones, & abdominis fotus aſſidui, rariſſime profuere. Tertia, quartave plerumque die marmoreum illud humidumque frigus artus omnes occupavit; ſudore gelido in magnas guttas collecto ubertim manante, præprimis ex facie.

Septima atque octava die, dejectionibus & rarioribus, & melioribus, jam non torminoſis, αναθερμαινεσθαι ſubinde videbantur: at ore aperto, oculis conniventibus, taciturne deliri, & neglectim cubantes nona, aut decima, periere.

In cadaveribus cœcum; colum ejuſque potiſſimum tranſverſa portio, & quæ per ſiniſtrum latus deſcendit, itemque inteſtinum rectum, craſſas, & carnoſas membranas habuere, duras, & tumefactas; calor autem plumbeus fuerat, aut luride ruber.

Meſenterium & omentum obſoleta, & late diffuſa rubedo infecit; hinc inde altius intra eorumdem viſcerum ſubſtantiam demiſſa.

Diſſectus horum inteſtinorum canalis villoſam tunicam profundo, & triſti virore imbutam, exhibuit, quem nec aqua eluit, nec ſpongia exterſit.

In quibuſdam cadaveribus hic viror obſervatus non eſt; cum inteſtina interea fœde ruberent, & luride rubente ſanguine manarent. Glandulæ quædam meſenterii ex inflammatione tumebant, referebantque ſanguinis grumos.

Rariora, & leviora, aut etiam nulla, vitia in tenuibus reperta ſunt inteſtinis.

Meſenteritis graviſſima hic fui, & enteritis cum omenti ſimul inflammatione, non *benigna*, ſed *ſeptica*, *eryſipelatoſa*, & antiphlogiſtico apparatu non domanda.

Qui lubricantibus, & involventibus remediis mor-

morbum commiſit, æque parum profecit, ac is, qui aut emeſi, aut catharſi voluerat ægro mederi.

Solis quippe antiphlogiſticis cicurare phlogoſin interaneorum non licuit, relicta acri & inflammante, ſi qua aderat, bile: ſed neque hanc licuit evacuare, ubi inteſtina, & omentum, & meſenterium jam tanto incendio conflagrarant.

Nec morbi cauſa ſolum intra tubi alimentarii cavum commorabatur; uti forte in illis ſolet, quorum ventriculus ex prandio heſterno vitium & cruditatem traxit, ſed ipſis inteſtinorum membranis, meſenterio, omento, infixa portio materiæ dyſentericæ non parca. Hanc extricare, perſæpe difficillimum fuit, periculique plenum.

Febris ipſa ex ampla, & variegata *febrium ſepticarum*, aut potius, inflammatorio ſepticarum, & eryſipelatodon, familia fuit.

Quarta ſpecies rheumatiſmi æque, ac dyſenteriæ.

Rheumata gaſtrica, dari obſervatio quotidiana docet: eorum autem cum magna inter ſeſe variatio eſt, tum ab aliis rheumatiſmis hucuſque deſcriptis diverſitas. Neque hoc novum eſt, aut nuper conſpectum, ſed homini vel mediocriter docto notum, & cognitum jam dudum. Ophthalmiæ enim gaſtricæ, odontalgiæ ſaburrales, cephalalgia gaſtrica, rheuma artuum bilioſum, aliæque aliarum partium fluxiones, quæ a ſordibus ventriculi naſcuntur, nonne vulgata nomina jam ſunt, & ex ipſis rerum cauſarumque viſceribus petita?

Fluxionibus his vel nulla comes it, vel obſcura ſolum, febricula. Moleſtiam potius quamdam, quam morbum, arbitrantur, qui ſic ægrotant.

Horum ventriculum acrior bilis ferit, ſed quæ tota intra eumdem collecta non manet, tenuior enim

enim ejuſdem portio ac ejus veluti aura quædam intra alveos circumeuntium humorum ſuſcepta, vel ad varia corporis cola defertur, abſceditque κατ᾽ ἐκρουν, vel vero in itinere ſuo aberrat, atque alicubi adhæreſcit.

Quod ſi id in pulmonibus contingat, hique hanc ἀπόθεσιν patiantur, catarrhum habebis ex primis viis ortum, ſi in membrana narium, coryzam &c.

Fac jam halitum illum bilioſum intra circumeuntes humores ſuſceptum ita ſuo curſu deviare, ut ad opportunum quoddam colatorium non appellat, aut forte per cutis poros exitum molliens, admiſſo frigore repercutiatur, neque tamen, uti antea poſui, pulmonibus infigatur, aut naribus, ſed decumbat ad ipſum inteſtinorum corpus, ad meſenterium &c.; catarrhum habebis inteſtinorum, aut eorumdem coryzam, ſeu *dyſenteriam*, eamque ſpeciem quam in principio hujus diſſertationis ſimpliciter appellavi *bilioſam*.

Sola ventriculi, & inteſtinorum ſaburra bilioſa abſque eo rheumate, & intra cavum inteſtinale ſolummodo contenta, alvinum forte fluxum feciſſet indolentem, aut etiam dolentem, ſi quidam materiæ fuiſſet acor: ſed ejuſmodi *diarrhœam* utut fortaſſe, acore poſito, *torminoſam*, diverſam arbitror a *dyſenteria*; cujus creberrimæ quidem, & torminoſæ ſunt dejectiones, ſed ferme irritæ, ut fæcum ſecedat plerumque nihil, ſanguis vero & mucus vi exprimatur.

Ea certe eſt dyſenteriæ legitimæ conditio, ut hanc morbis adnumeres alvum potius occludentibus, inter aſſiduos licet dejiciendi, ſed fruſtraneos, conatus, & diarrhœa quoque dyſenteriam ſanet perſæpe.

Nihilominus non ita dyſenteria diarrhoeæ opponitur, ut hac oborta, aut ſponte, aut ope remediorum, neceſſe ſit, illam *ſemper* & *certo* tolli. Juvencula enim quædam; cum ſaltu incaluiſſet, & meraciore vino, noctuque eſſet perfrigerationem paſſa, altera mox die in dyſenteriam incidit crudelem omnino; cum intolerabili exili pulſu, ἀλυσμῷ; exacto triduo ad nos venit. Materies veluti lactea, cum exiguo hinc inde virore: magno impetu, & pari copia, & ferme aſſiduo, per inferiora ſeceſſit. Venam ſecui, cum conceptam in abdomine inflammationem adverterem, & potu tepido, mucilaginoſo, & fotu externo abdominis uſus ſum, ut prolapſos ad inteſtina humores revocarem; tandem & opio volui ad aliquot ſaltem tempus ſeceſſus inhibere. Nihil profeci. Periit ægra inter aſſiduas jactitationes, & immanis circa præcordia ponderis querelas, cum tormina conſopirentur.

In cadavere inteſtina omnia & ventriculum reperi colore intenſe roſeo imbuta per totum; mollia tamen, & membranis horum viſcerum, ſecus ac in aliis obſervaram dyſenteria enectis, non tumidis. Omentum, & meſenterium eumdem habuerunt colorem.

Sed redire ad *dyſenteriam bilioſam* juvat, quam inter reliquas ſpecies multo frequentiſſimam vidi, ac popularem; & anno 1773. in Hungariæ quibuſdam locis, atque æſtate vigente anni 1776. per omnem agrum viennenſem, prope ſolam.

Utut hæc vulgaris perſæpe ſi, multique per ea tempora in Libitinæ rationem veniant; tamen naturam hujus ſpeciei immerito malignitatis damnares, reamque ageres tot funerum.

Incuſare ægrorum potius ſocordiam oportebat, morbi initia contemnentium; aut eidem me-

medentium quidem, verum ſiniſtre, & inauſpicato.

> Αυτων γαρ σφετερησιν ατασθαλιησιν ολεντο,
> Νηπιοι. (*)

Morbi faciem, atque notas hic non deſcribam; cum id a me fuerit antea præſtitum in relatione *dyſenteriæ bilioſæ*.

Sed & methodum medendi ibidem expoſui, quæ ferme in ſolius emetici, aut emeto-cathartici uſu conſiſtebat, & opio emeticum excipiente.

Emeto-catharticum præplacuit præ ſolis catharticis, iisque quibuſcumque. Nam eduxit id genus remedium, quidquid offenderat alieni in tubo alimentari, qua data porta.

Confidebam quoque in illa emeticorum vi, quæ finita purgatione ſudores movet: hos tuto moveri tunc poſſe, iiſque motis rheuma abdominis una ſubmoveri, exiſtimabam.

In eum finem *Nepenthes Helenæ* propinavi, diaphoreticorum potentiſſimum, certiſſimumque, & dulce ſimul cruciatuum lenimen.

Quod ſi is morbi habitus fuerat, quem in antecedentibus, *febrim bilioſam dyſentericam* nominavi; parcius, tardiusque opium exhibui, & febre jam inclinata. Ejus rei rationem ſupra dedi.

Plerumque unicum emeto-catharticum profligando morbo par fuit; nonnullis id bis dedi, vix

(*) *Odyſſ.* A. *v.* 7.: *nam propria Stulti culpa periere.*

vix ulli ter, interjecta die una inter ſingulas emeto-catharſes. Die intercalari decoctum radicis graminis, & taraxaci cum ſyrupo ribeſiorum, aut alio conſimili, æger per vices ſumſit, cum narcotico veſpertino.

Aliud quoque eſt, quod emeſin præ ulla purgatione commendabat, actio nempe ipſa, & labor vomendi; qua re videlicet vel ſola pungentes particulæ eliciuntur, atque prolectæ quaquaverſum excutiuntur.

Multi ad nos venerunt, rheo, myrobalanis, tamarindis, ſale medio vario, manna, jam dudum, ſed fruſtra uſi. Fateor, me laborioſius ſanaſſe horum dyſenterias, quam illorum, qui paribus cæteris morbum naturæ commiſerunt.

Horum quidem remediorum encomia novi: fors tardius ſanarunt dyſenteriam, quam noſtra citius ſanaſſent.

Quin mihi hæc remedia nocere viſa ſunt, ubi abundantior ſaburra adfuit; aut in ventriculo, eique connexo inteſtino, ſita.

Idem in dyſentericorum curatione evenire obſervavi, quod in pleriſque aliis morbis contingit; ut nempe ſanati hoc vel illo remedio dicantur, quibus ſub uſu ejuſdem id ſolum fortunæ obtigit, ut non morerentur. Hinc intempeſtivæ curationum quarumdam laudes explicari poſſunt.

Periclitanti methodos diverſas, eaſque inter ſe, & cum ſolis naturæ non adjutæ viribus, conferenti conſtabit, quænam methodus alteri præſtet, & quantum ſolius valeat naturæ vis, quid ferre recuſet. Horum omnium nobis copiam Noſocomium fecit.

Aliæ quædam ſpecies

Rheumatiſmos *inflammatorios*, atque etiam inter ſeſe *complicatos compoſitoſque*, aut diverſas rheu-

rheumatum ſpecies *ſibi invicem ſuccedentes*, ea ipſa tempeſtate ſpectare licuit, qua ejuſdem omnino indolis dyſenteriæ graſſabantur, & eodem modo ſanare, quo populari inteſtinorum morbo medebamur.

rheumatiſmi & dyſenteriæ.

CAPUT V.

Varii exitus dyſenteriæ.

NUNC quos *hæc* dyſenteria diverſos exitus habuerit, exponam. Non raro emeto-catharſis inſtituta morbum ex integro, atque repente ſuſtulit, non rediturum.

Atque hanc quidem rheumatum gaſtricorum, phrenitidis e. g. gaſtricæ ophthalmiæ, coryzæ, catarrhi, aliarumque ægritudinum, ſi forte ex ſordibus ventriculi naſcerentur, promptiſſimam levationem perſæpe mox emeſi intuebamur, atque etiam mirabamur, non enim ventriculum ſolum a recrementitia materie vomitorium vindicavit, verum etiam id, quod ab ea materie decerptum in parte ſubinde diſſitiſſima fixum hæſit, pari ſubmovit celeritate. Ea fortaſſe portionis ex illuvie gaſtrica decerptæ, & aut oculos, nares, thoracem, artus, inteſtinorum membranas vexantis tenuitas, mobilitaſque fuit, (in corpore præſertim jam præparato, & fibris aliquantum jam emollitis, cedentibuſque, ſeu *coctione prægreſſa*); ut eodem tempore & remedio eodem vacuari ventriculus potuerit, atque id, quod inde ad viſcus quoddam ante abſceſſerat,

1mus dyſenteriæ exitus in ſanitatem.

moveri loco reducique in circulum communem, atque ad aliquod corporis colon deferri.

Subinde mitior morbus evaſit, ceſſitque ſerius, nova materiæ coctione prægreſſa, & corporis præparatione ulteriori, datoque altero, vel etiam tertio, emetico.

Aliquoties nullum ab emeſi levamen obſervabatur, manente eadem dolorum ſævitie, & ſeceſſuum frequentia eadem. Venam in brachio tunc ſecui, & ex Coi Senis oraculo *partes ſub umbilico aqua calida multa lavabam*, & tepidos, copioſos, emollientes potus propinabam; atque ita multis tempeſtive profui, aliis vero aliquanto tardius profui, certo tamen.

Tum vero ſanguinem eduxi perſæpe, qualem in pleuritide ſolemus, ſic antiphlogiſticam methodum cum illa conjunxit, quam appellant *evacuantem.*

Appetente autumno, aut ubi cœlum aſperius, quam pro anni ratione, atque aura rudior homines tenuiter veſtitos, aut meridianis ſolidus, aut exercitatione, in ſudorem ſolutos, percuteret conjiceretque in dyſenteriam, ſola non raro phlebotomia juvit cum emolliente, & copioſa potione & abdominis fotu.

2dus exitus in diarhœam. Torminibus, ſeu *evacuante* methodo, ſeu *antiphlogiſtica* conſopitis, alvus ſubinde fluebat indeſinenter diebus multis, quin etiam ſeptimanis. Radix arnicæ, vel ejus infuſum cum emolumento exhibebatur; uni alterive hanc diarrhœam veſicans ſtitit.

Crurum œdema, quod diuturnum alvi fluxum excepit, ſtomachica, invigorantia, frictio, & tempus tandem ipſum, diſpulerunt. Verum caute invigorantibus utendum eſſe docebar, ne, dum corroborare ventriculum volumus, eidem ingera-

ramus, quæ nimia ſunt, aut mole ipſa, aut vi. Languidiſſimum enim, & debiliſſimum ventriculum mitiſſima ſolum tonica reficiunt, fortiora offendunt. Diæta medicatrix, & auxilium ab ipſo tempore petitum potiora fuerunt hoc alvi fluxu laborantium, indeque convaleſcentium adjumenta.

De dyſenteria, etiam poſt emeto-catharſin, non mitigata, deque hujus phænomeni ratione, & medela, itemque dyſenteriæ in longam diarrhœam converſione, dilucide, opinor, atque abunde diſputavi.

3tius dyſenteriæ exitus in dyſenteriam chronicam.

Verum tertiam quamdam ægrorum conditionem vidi, etſi raro obvenientem, at eo difficiliorem ſanatu. Dyſenteria nempe ſubinde plurimum remiſit, ut & ſeceſſus rariores fuerint, & vix torminoſi; torminoſi tamen, multisque ſeptimanis.

Hanc chronicam dyſenteriam, utut dolore pauco, brevi evanido, ſub ipſa ſolum dejectione modice percepto, ſtipatam præ acutiſſima dyſenteria, præque illa longa diarrhœa abominabar. Remedia, ſpesque noſtras ut plurimum eluſit, & ægros lentæ, & certæ morti conſignavit.

Cadavera horum *phlogoſin chronicam*, & duritiem rigiditatemque inteſtinorum potiſſimum craſſorum monſtrabant.

Hanc dyſenteriæ conditionem cum rheumatica, aut arthritica materie comparabam, articulis tumentibus pertinaciter infixa, indeque non dimovenda; ut eumdem putarim morbum, eamdemque cauſam materialem, ſed diſpari fixam loco.

Qui florem ætatis jam ſuperarunt, ex morbi diuturnitate potius, quam vi perierunt.

4tus exitus in teneſmum varium. Pauciores hoc anno (1779.) dyſenterias teneſmus finiit, qui ſymptomatum dyſentericorum alias plerumque ultimum eſt, atque agmen claudit. Fuere tamen, qui torminibus jam penitus compreſſis per aliquot dies inanem deſidendi conatum experiebantur, expreſſo muco, ſubinde etiam pauco cruore. Semel ſolummodo teneſmum obſervavi longius durantem, & nulla pellendum ratione. Nam rheo, & myrobalanis ſubinde, nonnumquam mucilaginoſo clyſtere, nonnunquam, conſilio mutato, narcoticis moleſtum hoc ſymptoma volui profligare. Fruſtra fui. Una nocte repente teneſmus evanuit, orto mox, ea adhuc nocte, dolente tumore ad carpum dextrum, ortaque ex ſiniſtro latere iſchiade. Non multo poſt æger etiam ex his doloribus uſu ſeri lactis convaluit.

Quædam teneſmi ſpecies eſt, veluti dyſenteria partialis. Teneſmum, eumdem poſtmodum morbum exiſtimavi cum dyſenteria, ſede ſolum diverſum, & magnitudine minorem. Si enim potior craſſorum, colique præcipue inteſtini tractus, quam ego præcipuam, ſolennioremque dyſenteriæ provinciam puto, eo rheumate, atque eo modo laboret, quo id ad conſtituendam inteſtinorum difficultatem requiri ſuperius aſſerebam, *dyſenteriam* adeſſe in confeſſo fuit. Rheumate autem dyſenterico ſua illa ampliori de ſede moto, atque intra anguſtos ſolum inteſtini recti, aut ejuſdem extremæ tantum oræ cancellos concluſo, *dyſenteria recti* ſolummodo inteſtini fuerat, ſive mutato nomine *teneſmus*.

Non aliam teneſmi, ſeu *dyſenteriæ hujus partialis* curationem noveram, quam ipſius morbi integri, principiſque.

Hinc evenerat, ut aut evacuantibus ανω aut κατω, vel vero emolliente enemate, potuque, ac

ac venæ ſectione, nonnunquam etiam laudano, etiam veſicante ſemel ad os ſacrum adplicato, teneſmum expugnarim; ratione videlicet diverſa, prout diverſam hujus *topicæ dyſenteriæ* notionem conceperam, & concipi debere arbitrabar.

Tempori ſubinde committi tuto teneſmus potuit.

Puellam ex dyſenteria convaleſcentem teneſmus vexabat, ſed quem alterius indolis eſſe exiſtimabam. Olim enim hæmorrhoidum tumore dolente, & cum teneſmo afficiebatur. Nunc quoque eaſdem ab hæmorrhoidum irritatarum tuberculis moleſtias pati videbatur. Alia vero ſpecies eſt teneſmus hæmorrhoidalis.

Hæmorrhoidalis hic teneſmus frequentius poſtea obſervabatur, in viris iiſque robuſtioribus, frequentius quoque in dyſenteria autumnali, quam æſtiva.

Teneſmo hæmorrhoidali emulſio medebatur, & mere emollientia enemata; opiata vero eumdem augebant.

Nonnullis dyſenteria verſa eſt in rheuma cujuſdam alterius partis: ſic humeri quibuſdam, aliis nucha, occiput, manuum carpi, genua, &c., dolore dilacerante occupare viſa ſunt, ventre, atque alvo ſanatis. 5tus exitus dyſenteriæ in rheumata artuum, articulorum, &c.

Converſionem hanc dyſenteriæ in morbum articularem *ſubinde* optabam, utut a plurimis obſervatoribus damnatam. Malui enim articulos ſanare, qui morbi vim facilius & minori cum noxa perferebant, quam inteſtina. Sed id *ſubinde* optaſſe me dixi, in dyſenteria nempe graviori, difficulter, aut vix ſananda, non autem in *dyſenteria ſimplici bilioſa*; utpote quam & cito poteram ſanare & multo facilius, ac morbum articularem.

Subinde pulmones ægrotare veluti catarrho cœperunt, ut primum a dyſenteria mitius habebantur, aut ex eadem convaleſcebant.

Quibuſdam a dyſenteria aures tinniebant cum aliqua ſurditate.

Pauciſſimis, morbo inteſtinorum jam cicurato, malum ad ventriculum verſum eſt, ubi ingens quaſi pondus percipiebatur.

Nonnunqnam mitigatis jam ſymptomatibus dyſentericis, pectus valdopere opprimi, aut latus veluti pleuritice dolere, citra tamen magnam, ac manifeſtam febrem; rheumate nempe in pleuram, aut muſculos intercoſtales, irruente.

Subinde fixum hoc rheuma uni loco adhæſit, nonnunquam vero vage, atque errabunde diſcurrebat, ut modo hanc partem vellicaret, modo aliam.

Intra non multos dies hæc deſtillatio evanuit, in quamcumque demum partem cecidiſſet, ſeu ſponte, ſive etiam aptis remediis.

In hunc ſcopum diaphoreſin movebamus potu tepido floribus ſambuci medicato, & ſtibio diaphoretico non abluto. Decocta radicis bardanæ, &c. profuerunt, nonnullis ſerum lactis, aliis rheum, aliis admotum alicubi veſicans, hanc ſuſtulit defluxionem.

Fœminam dolor pleuriticus corripuit, qui relicto thorace hypochondrii dextri portionem mollem obſedit, inde defluxio ad pulmones ſe recipiens moleſtiſſimam tuſſin, noctu præcipue, veluti catarrhoſam fecit; ea repente ceſſante orta eſt dyſenteria, quæ nychthemero nondum exacto ſubito conquievit, thorace dextro ſupremo pone claviculam acerbe dolente. Diaphoreſin potu multo, tepido, & ſambucino tentabam, atque inter ſcapulas ponebam veſicans: convaluit.

Pe-

Petulantis id genus rheumatis æſtivi, atque autumnalis exempla plura vidimus; quæ, qua affinitate teneantur cum dyſenteria, vel maxime reluctantes, atque aliter hucuſque ſentientes ita docent, ut omnis dubitatio eximatur.

Quibuſdam ad veſicam morbus decubuit ita, ut dyſenteria repente ſubſiſteret, orta ingenti mingendi difficultate, aut etiam lotii plena ſuppreſſione. Aliis ingens ſolum in pube pondus erat, alvo ſanata. 6tus. exitus in urinæ difficultatem.

Nonnulli dyſenteria vigente adhuc moleſte mingebant. Dyſuriam poſt dyſenteriam emulſum amygdalinum, cui ſyrupum althææ admiſcebam, itemque adplicatum ad pudem cataplaſma emolliens ſolvit.

Hoc anno (1779.) multo pauciores obſervavi, utut numero dyſentericorum longe majori, quos mictus difficilis una affligeret cum dyſenteria, quam anni (1776. æſtate.

Pauciſſimos videre erat ſtrangurioſe mingentes, cum ponderis ad pubem ſenſu, ſed abſque dyſenteria.

CAPUT VI.

Exitus dyſenteriæ in hydropem.

EPISODION

De hydrope plethorico.

EXITUS quoque dyſenteriæ in hydropem fuit; in ſexu præprimis ſequiori, quem morbi diuturnitas attrivit magis. 7mus exitus dyſenteriæ in

Subi-

varium hydropem.

Sub ultimos nempe dyſenteriæ dies, eaque in indolentem alvi fluxum fatiſcente, pluriſque crura, ſubin & femora albo phlegmate intumuerunt; nonnullis abdomen quoque, & univerſum corpus.

Quibuſdam, pedes ſolum & crura tumidis, lenia tonica, grata cardiaca, amara &c. & crurum aromaticæ frictiones, & ipſum tempus, remedio fuerunt.

Quibus vero totum corpus intumuit, quod quidem pauciſſimis contigit, laborioſior curatio fuit & variis modis tentata. Somno parco, exercitatione corporis, decocto taraxaci, cichorei cum terra foliata tartari, *extracto* præterea *colliniano*, quod ex ſucco recentis herbæ *lactucæ viroſæ* parari curaveram, autumno devexo, & ſub initia hyemis convaluerunt.

Digreſſio ad hydropem plethoricum.

Hydropes alios complures & aliunde exortos, remediis methodisque cognitis ſanatos non recenſebo, cum nihil habeant non ubique deſcriptum. Illata tamen hydropis mentione non poſſum non aliquantum ab inſtituto deflectere, &, ſermocinantium more, diſſerere de ea re, ad quam forte fortuna delapſi ſumus, nempe hydrope.

Reſumam iterum abruptum de dyſenteria ſermonem, ubi aliqua rerum varietate veluti refocillati, a longæ narrationis tædio quieverimus.

Hydropem quemdam, præter alios hydropes frequentiores, ſed quos & quorum cauſas hic prætermitto, videre erat hinc inde quidem deſcriptum, minus tamen in praxi, ut opinor, cognitum, atque idcirco ſiniſtra nonnunquam curatione vexatum.

Is nobis *hydrops plethoricus* erat, ſeu *ortus a plethora*.

Cauſas habuit aliis hydropis ſpeciebus ferme op-

oppoſitas, plethoram nempe, & laborioſum abundantium humorum, cæteroquin bonorum, circuitum. Inde vaſa ſanguifera, cruore nimio diſtenta, aquoſam portionem facillime dimiſerunt, extruſeruntque, ſed ita demiſſam difficulter receperunt: hinc aquæ intra celluloſum corpus, aut cava varia collectæ, hydropis eam ſpeciem fecerunt, quam *plethoricam* appellabamus.

Hydropis hujus geneſin ipſe mihi exemplo quodam illuſtrare conabar. Quemadmodum enim ultimo graviditatis tempore venarum iliacarum compreſſio abundantiam humorum in artubus inferioribus contentorum, ſive topicam plethoram, indeque crurum, femorum & pudendorum facit hydropem; ſic plethoricis columna cruoris major, quam quæ apte contineri vaſis poſſit, & expedite ad cor reduci, hydropem gignit.

Hic morbus in corpora ſolum robuſta, ætatis florentis, & bene paſta, juxta noſtras obſervationes cadit.

Atque ex *hac* corporum ætatis & vitæ ratione, item ex defectu cauſarum illarum, quæ alias producere hydropis ſpecies ſolent, huic noſtræ plethoricæ oppoſitas, hydtopis hujus indoles, cum eaque conveniens medendi methodus nobis innotuit.

Coquum comitis St. **, quadrato corpore donatum, fabrum item lignarium, fabrum ferrarium, famulum quoque compagis cæteroquin firmæ, item binas fœminas, viraginum habitu utramque, præter alios hac ſpecie hydropis detentos vidimus; eventu, ut poſtea referam, diverſo.

Plerumque hic hydrops *intercus* eſt, & diffuſus per totum corpus, ſubinde crurum ſolum, &

fe-

femorum. *Aſciten plethoricum* nondum obſervabamus. Nonnunquam hydrothoracem præ ſe ferebat, difficili inter gradiendum ſpiratione, decubitu ſupino impoſſibili, nocturna in primo ſomno excitatione cum ſuffocationis metu, aliisque.

Hydrothoracem plethoricum difficulter diſtinguebamus ab aliis hydrothoracis ſpeciebus, alia a cauſa ortis, & alia ſanandis ratione.

Chloroſis quoque *orta a plethora*, & ab aliis chloroſeos ſpeciebus diſtincta, in puellis ruſticanis, & duro labore exercitatis, nonnunquam occurrebat.

In hoc & hydrope, & chloroſi remedia pleraque aliis chloroſeos & hydropis ſpeciebus apprime dicata, nocuerunt.

Profuerunt autem phlebotomiæ moderatæ, ſed aliquoties repetitæ, & antiphlogiſticus victus: decocta item emollientia, nitroſa, acidula, ſerum lactis cum terra foliata tartari.

Quaſdam hujus hydropis curationes longo cremoris tartari uſu perfecimus.

Subinde hic noſter hydrops & chloroſis phlogoſin concœperunt. Sanguinem pleuriticum iterato educebamus, generoſiori antiphlogiſtica methodo uſi.

En hujus hydropis exempla quædam minus fauſta.

Coquus commitis St. * *, quadrato corpore, lacertoſus, amplo thorace, brevique ſed craſſo collo, vigente hyeme pleuritide laborabat domi ſuæ: ægræ eluctatus difficilem in inceſſu & noctu ſupine decumbens, reſpirationem querebatur; inter primos ſomnos veluti jamjam ſuffocandus evigilabat, atque e lecto exſiliebat auram capturus. Multas noctes ſedendo tranſegit; crura valde tumebant aquoſo tumore, uti etiam carpi, hi vere

ro modice. Pulſus ampliſſimi, tardi, & inſtar chordæ ferreæ digitum ferientes. Aliquoties domi adhuc ſuæ ſanguinem emiſit pleuriticum & cum aliquo, ſed temporario, levamine. Victu nihilominus priſtino utebatur, carneo videlicet, & vinoſo, atque hoc quidem non raro meraciore, utpote multos inter labores, & penes ignes incaleſcens.

Exeunte vere mihi tradebatur. Uſus ſquillæ, aliorumque remediorum urinas potentius moventium, & crurum frictionibus, intra breve tempus id eſt conſecutus, ut noctu non excitaretur, aut excitatus non exſiliret. Diſparuit intra paucas ſeptimanas tumor crurum & manuum, thoracis incommodis ſublatis. Diſceſſurus a nobis cum pridie ſuas ſarcinulas collegiſſet, hilaris, & de recuperata valetudine ſibi gratulatus, ſe lecto commiſit: poſt mediam noctem cum ejulatu epileptice convellitur, inde apoplectico ſopore preſſus veſperi periit.

In cadavere cor triplo fere majus inventum eſt, ac alias ſolet offendi, & giganteum; non morboſe dilatatum, cum juſta partium id conſtituentium proportio fuerit.

Pulmones ubique laxiori celluloſa tela ambienti thoraci revinciebantur.

Vaſa encephali prægrandia, & multo cruore diſtenta. Pauxillum aquæ intra meninges diffuſæ.

Remediis diureticis, purgatione, frictionibus plethoræ effectus auferebantur: collectiones nempe aquoſæ, cauſa manente, atque etiam aucta.

Hiſtoriam ſimilem in *diariis Swietenianis* legi, quorum notabiliorem partem, ut primum per alios labores licuerit, publici juris faciam.

Quidam enim *eadem*, qua hic meus homo,

ra-

ratione hydropicus, *eadem* curatus *eamdem* quoque mortem oppetiit.

Famulus compagis firmæ, & valentiſſimo cæteroquih corpore ultra annum frequenter vomebat, matutinis horis præſertim: ſiti aſſidua vexabatur. Tandem intumeſcere ανασαρκα cœpit. Purgantibus domi ſuæ fruſtra utebatur; diuretica non profuere, quin urinas potius parciores reddiderunt. Mirum id omnibus, qui hominem noverant, viſum fuit, potuiſſe nempe hominem ex athletico habitu tranſire repente in aquoſam humorum cacochymiam, quin antea morbus quindam intercalaris vires athleticas atriviſſet.

In Noſocomium receptus pulſus plenos, duros, & vibrantiſſimos exhibuit; totum corpus, femora, & crura immane quantum tumebant: diuretica tentabantur de novo, eaque varia, cum experientia conſtet, in eodem etiam hydrope non idem ſemper remedium urinas movere.

Tandem, cum nihil proficerem, cruribus veſicantia apponi curavi; qua methodo alias graviſſimos quoſdam, & remediis quibuſcumque internis rebelles hydropes ſanavi.

E plagis veſicante eroſis aquæ largiter diu, noctuque manabant, ut æger fere totus paucos intra dies detumuerit.

Lævum jam ab initio augurabar de hoc hydrope, quod ortus eſſet a cauſa ignota in homine juvene, ad hydropem, ut arbitrabar, non prædiſpoſito; & quod quædam coquum inter, & hunc famulum, analogia intercederet.

Siniſtrum eventum, mortem convulſivam, apopolecticam, omnibus aliis bene ſperantibus, & non longe adfuturam, prædixi; etſi tunc, qua ratione imminenti tempeſtati occurentem, neſciebam. Paucos poſt dies, aquis jam ferme evacua-

cuatis, repente aliquoties convulſus, & apoplectivus periit.

Cerebellum ſero ambiebatur, vaſa ſanguine turgida. In thoracis cavo dextro libra ejuſdem ſeri, & unciæ novem in cavo ſiniſtro fuerunt; pericardium uncias ſex ejuſdem ſeri continebat.

Veſicula fellea vacua: hepar conſiſtentia ſanum, ſed colore per omnem ſuam ſubſtantiam viridiſſimum.

Suſpicabar, hunc hepatis virorem, & bilis in veſicula abſentiam, explicari a convulſionibus poſſe, quæ ſub finem vitæ acceſſerunt.

Noveram quidem jam dudum hanc ſpeciem hydropis, eamque etiam ſanavi. Verum neſcio, quid meam diagnoſin in binis his ægris itu ſubverterit, ut morbo cauſam ſubjicerem non ſuam.

Apparente fortaſſe curationis, utut male inſtitutæ, ſucceſſu decipiebar, inque mala, quam de morbi natura conceperam, notione confirmabar.

Equidem aquæ exantlabantur copioſe, verum iis remediis, quæ vel cauſam ipſam hydropis non attigerunt, vel ejuſdem adeo vires auxerunt.

Ex eo tempore in hydrope *plethorico* à veſicante abſtinui: malui infima crura *ſcarificare*, & aquas ad plagam inciſam invitatas evocare. Hæc praxis ſanationis celeritatem, mirum, quantum, adjuvat.

Murarius 38 annorum ante ſemialterum annum in quodam noſocomio ægrotaſſe ſe ajebat ex catarrhoſa thoracis affectione, tuſſi crebra, ſicca, reſpiratione laborioſa, & frequenti, nocturno præcipue ſuffocationis metu. Pectus oppreſſum habuit. Venæ ſectionibus, ut hæc thoracis incommoda non raro reditum minitarentur, nova ſanguinis miſſione denuo depulſum.

Jam ab undecim ſeptimanis oppreſſionem infimi thoracis, & ſpiritum impeditiorem conſueta methodus non ſolabatur. Sputabat mucoſa; ſuoque opificio vacabat.

Ab octo diebus tuſſis catarrhoſa, aſſidua, noctu gravior, & eo tempore ferme ſuffocans acceſſit; auctis & oppreſſione, & impedito ſpiritu, ut e lecto exſilire, & per cubiculum ambulare, ne cubans, & quietus ſuffocaretur, debuerit.

Decumbebat æque facile, aut verius, æque difficulter, in quamcumque partem libuerat. Jam non appetit: dedolatus eſt, corpus totum ἀνα-σάρκα, pedes præprimis, crura, & femora tument. Pulſus fortis, plenus, & vibrans erat.

Cum reſpiratio continuo laborioſior fieret, ſibiloſa, aſthmatica, cumque univerſum corpus tumeret indies magis, & ſputa lateritia complutibus noctibus excuterentur, intermixto multo muco & æger frequenter e lecto exſiliret, atque ultimis temporibus aliena per vices loqueretur; die, ex quo apud nos fuit, decimo tertio circa auroram periit.

In pugillaribus meis id ſolum adnotatum reperio, ſecto cadavere utriuſque thoracis, & pericardii hydropem fuiſſe detectum, cum non exigua inflammatione dextri pulmonis.

Aquæ repertæ quantitatem per oblivionem, aut aliis laboribus diſtractus, non connatabam.

En hydropem, ad hanc, de qua loquimur, hydropis ſpeciem, referendum; venæ ſectionibus initio ſanatum, dein vero eodem auxilio frequenter mitigatum, donec tandem viribus reſumptis hominem penitus oppreſſiſſet.

Faber ferrarius 46 annos natus à juvenilibus annis difficilem & per intervalla ferme aſthmati-

ticam reſpirationem habuiſſe ajebat; cæterum nunquam graviori morbo, niſi hyeme anni 1768, ubi octiduo ex morbo thoracis acute decubuerit, conflictatum fuiſſe.

A menſis Decembris (1778.) initio abdomen leviuſcule tumidulum fieri occœpit, uti etiam crura circa malleolos. Ab eo etiam tempore laborioſius, præprimis a paſtu, ſpirabat, laborioſius quoque decumbens.

Jam inde a fine ejus menſis noctu frequenter e lecto ſurgit, aërem capturus, metuque, ne ſpiritus præcludatur cubanti.

A ſeptemdecim diebus lateri ſiniſtro incumbere nequit abſque metu ſuffocationis, ſed neque ante eos dies valebat ſemper, & abſque moleſtia, in id latus cubare.

Huic *venas heſterno ſemper Jacho* turgere, plures, qui hominem noverant, aſſerebant.

Tuſſicula moderata paucum ſubinde gluten elicuit.

Die 15ta Januarii 1779. Noſocomium adiit, tumentibus utroque crure femoreque, ac ventre, attamen non valde.

Terram foliatam tartari ex aqua petroſelini & pauco oxymelle ſquillitico hauriebat, & multum juvabatur, urinis motis & alvo reſerata. Poſt quatriduum, me vel maxime invito, diſceſſit, liberius multo reſpirans, nondum tamen liberrime, tumiduliſque & artubus inferioribus & ventre: hac ſe libertate ſpirandi contentum eſſe, & nolle ſe apud nos tanti emere plenam ſanitatem; victu nempe tenuiori, & hydropoſia, quam vivendi rationem præ morbo impatientius ferret.

Die 24ta. Januarii mane carpento impoſitum ad nos deducunt, eumque facie turgida, purpurea, liveſcente, & labiis plumbeis, protuberan-

 ti-

tibus oculis, ſibiloſe, atque abruptim reſpirantem, veluti jamjam moriturum, ad portam noſocomii deponunt.

Fit modica venæ ſectio; deportatur ad lectum; redit vox, & uſus ſenſuum; reſpiratione tamen vix emendata.

Cum per horulam quieviſſet, & ad interrogata reſponderet, ajebat ſe pridie, atque reliquis diebus, poſtquam a nobis diſceſſerat, labores vulcaneos exercuiſſe, eoſque ſolito duriores, Baccho uſum idcirco meraciore.

Fit denuo venæ ſectio unciarum decem; ſanguis cruſtam phlogiſticam tenuiorem, gelatinoſam, plumbeam efformavit. Educto ſanguine dextrum thoracem perforari curavi, unde ſeri flaveſcentis libræ quinque pleno rivo fluxerunt. Chirurgus teſtabatur, ſe pulmones *duros*, quemadmodum eoſdem inflammatos ſæpe in cadaverum ſectionibus videramus, immiſſo digito offendiſſe.

Signa pleraque aderant, quæ hominem oſtenderant, præter hydropem, læva quoque peripneumonia correptum.

In lectum repoſitus commodius quidem multo, non tamen abſque omni prorſus ſibilo, ſpirabat. Terram foliatam tartari ex aqua petroſelini, & pauxillo oxymellis ſquillitici hauſit; unde bis vomuit materiem ſoluto lotricum ſaponi ſimillimam, albidam, ſpumantem, aliquantum tenacem, & amaritie intenſa.

Cum die proxima iterum æſtuaret magis, & laborioſe atque cum ſtrepitu reſpiraret, potus mere emollientes, & tepidos, nitroſoſque haurire juſſus eſt multis diebus; ſanguine iterum iterumque educto, pleuritico ſemper, & ſemper levante; ut die 1ma. Februarii libere ſpiraret, de-

decumberetque & ſupinus, & in quodcumque latus voluerat, tuſſiretque perquam raro.

His omnibus diebus magna aquarum vis effluxit e cavo thoracis, atque & tela celluloſa muſculorum thoracicorum. Sed crurum & femorum tumor manebat aquoſus, & magnus.

Ab hoc tempore e lecto ſurgebat, & cubiculum obambulabat: oxymelle ſquillitico aliisque, quibus lotium cieri poſſe ſperabamus, uti cœpit.

Verum poſt medium menſis Februarii crurum femorumque tumor ita increvit, ut lecto iterum affigeretur. Tuſſis redire, veſpertina potiſſimum, atque nocturna: calere demum, atque febrire aſſiduo, veſperi tamen intenſius. Vulnus paracenteſi inflictum pus fudit tenue, aquoſum, uberrimumque.

Artubus inferioribus ſupra modum tumentibus, lacertoſa brachia conſumi, quæve thoracem ambierunt, carnes tabeſcere.

Die 28va. Martii occubuit. Pulmo lateris perforati *inflammatiſſimus* erat totus quantus, & ubique cum pleura arctius cohæſit, pariter *inflammata*. Nulla ullibi puris collectio, ulceratio nulla fuit. Cætera uti ſanis fuerunt.

Mirabamur veram graviſſimamque peripneumoniam hydrothoraci junctam, & ingenti artuum inferiorum hydropi; ſputa quoque *purulenta*, non *puriformia*, admirationi fuerunt; nullo ulceris, aut in pulmonibus, aut alibi, veſtigio reperio.

Etſi æger initio Februarii febre careret manifeſta, & ſe e lectio proriperet; non omnis tamen pulmonum inflammatio, quam ad nos attulerat, videtur fuiſſe ſoluta.

Pulmonum cum pleura cohæſio ſerius, & poſt

inſtitutam paracenteſin, naſcebatur. Nam aquæ & liberrime profluxerunt, & nullus obſervabatur ab exploratore digito, mox a facta perforatione, coalitus pulmonum cum pleura.

Pleuræ inflammatio ſine dolore. Utut inflammatam pleuram reperiremus, nullos tamen dolores punctorios querebatur.

Hydrothoracis cum peripneumonia connubium (ſeu bini hi morbi fortuito ſolum ſocientur, ſeu vero uterque a communi quadam cauſa naſcatur, aut alter ab altero (id quod ut plurimum fieri, ſupra oſtendi) dependeat tanquam effectus a ſua cauſa) non infrequenter offendi, atque etiam quoſdam ſanavi parciori, at vero frequentius inſtituta, phlebotomia, & althææ decocto cum nitro.

Quæ de uſu mitiorum ſalium, acidorum, mediorum, ſalis acetoſellæ, cremoris tartari, terræ foliatæ tartari, & ipſius nitri in cura hydropis dicuntur, ad hanc præprimis hydropis ſpeciem, *plethorici* nempe, aut inflammatorii, pertinebunt; ſi & reliqua auxilia in eumdem finem conſpirent; victus, & potulenta congrua, & ſubinde ipſa quoque ſanguinis detractio.

Quamquam nec alios *quoſcumque* hydropes dira a potu abſtinentia putem expugnandos; quam certe praxin pernicioſam eſſe, & ipſus expertus ſum, & luculenter legi ab egregio Millmanno demonſtratum (*).

CA-

(*) Animadverſiones de natura hydropis, ejusque curatione, Auctore *Franciſco* Millmann, M. D. Colleg. reg. med. Conſ. & regiæ Societatis Lond. Socio. Viennæ & Londini, apud *Rudolphum* Græfferum.

CAPUT VII.

De variis & remediis, & methodis anti-dyſentericis : quædam dyſenteriæ proprietates.

LONGIUS fortaſſe, quam initio propoſitum fuerat, in exponendo *hydrope plethorico* proceſſi, re nempe ab inſtituto ſermone aliena : neque veniam ob hoc ανακολουθον, aut ipſe alteri darem, aut rogarem ab aliis ; niſi ferme perinde eſſet, quo ordine quis narret, qui non integram quamdam hiſtoriam, ſed ejus ſolummodo lacinias quaſdam, & fragmima velit proferre.

Ordini, atque rerum œconomiæ, is ſtudeat, qui ſtruere ædificium vult : nos, qui huic ſtructori a ſervitio ſolum ſumus, tanquam officio noſtro egregie defuncti lætamur, ſi quædam uſui futura in acervos, prout ſors dedit, congeſſerimus.

Hinc ſepoſitam nuper telam reſumam, & quæ de dyſenteria ſparſim ac prout, aut in pugillaribus deſcripſi, aut memoria teneo nullo certo rerum nexu narrabo.

Remediis variis in cura dyſenteriæ opus fuiſſe, conſtabit morbi diverſiſſimam faciem non ignoranti. Nunquam tamen adſtringentibus me uſum ſcio, niſi unica vice æſtate anni 1776. in alvi profluvio indolente, & longo, dyſenteriam excipiente. Nihil profeci ; venter aſſiduo fluens hydropem primo, dein, hyeme jam inclinata, mortem induxit.

Variæ methodi anti-dyſentericæ.

Adſtringentibus remediis cum ea notione male convenit, quam de dyſenteriæ natura concepi.

Qui bolum armenam eum in finem dyſentericis propinabant, ut laxata oſtia fluentis alvi reſtringant, & egregie *adſtrinxiſſe* putabant, ſi dragmulam inertis terræ dederint; næ illi ſeſe in ægrorum plerumque ſalutem deceperunt perbelle.

Longam & *apyreton* dyſenteriam nullis remediis comprimendam balſamo, *Saxonico* dicto, ſublatam novi.

Sublatam quoque conſimilem dyſenteriam ſcio veſicante abdomini impoſito, atque aliam ſinapiſmo ad ventrem adplicato.

Oleoſorum vix ullus quoque uſus fuit, niſi blandiſſimorum, & multa mucilagine diviſorum; qualia in ſeminum *frigidorum* emulſionibus habentur: in dyſenteria non bilioſa, ſed potius *enteritica plus minuſve*, tepidæ emulſiones cum reliqua antiphlogiſtica penu primas tenebant. Ejus vero indolis dyſenterias veris exordium, aut etiam frigidior autumnus profert, non diu regnaturas, conſtitutione nempe jam ſeneſcente, jamque emoritura.

Atque hac ipſa tempeſtate (1779.), & autumnali rigore rariſſimæ fuerunt dyſenteriæ illæ, quæ, utut præmiſſis præmittendis, ab opio non abhorrerent. Febrim acutam, auctum adeo ſeceſſuum numerum, & peripneumoniæ ſubinde initia proximo mane debueras venæ ſectione, & emulſo tepido, & ventris fotu comprimere; ſi pridie opium dederas, quietem, ſomni blanditas ægro conciliaturus.

Dyſenteriæ *autumnales* plerumque erant *bilioſo-inflammatoriæ*, aut *inflammatoriæ*; quales etiam

etiam *vernas* habuimus; utut univerſim perquam raras, & ſola plerumque antiphlogiſtica methodo non moroſe ſanatas.

Dyſenterias complures, vix inchoatas, ſub menſis Auguſti finem, & per autumnum anni 1779, tenui victu, & potu tepido atque emolliente, priuſquam invaleſcerent, ſuppreſſi, abſque morbi recurſu.

Nec eſt, quod quis objiciat, *diarrhœas* ſolum fuiſſe leviculas, leviterque torminoſas, non vero *dyſenterias genuinas*, quas tanta facilitate ſanarim, vix ortas. Idem profecto his morbi initium, quod aliis fuerat, quos morbos exercuit, omnium conſenſu dyſentericus.

Erant igitur quædam, veluti gravioris morbi præludia, & velitationes dyſenteriæ; conſummatæ futuræ, ni principiis obſtitiſſes.

Menſe Septembri ejuſdem anni dyſenterias quaſdam jam perſanatas, ſed poſt aliquod dies reditum denuo meditantes, eadem ratione arcebam; victu nempe tenuiori, & potu tepido, ac emolliente; niſi forte voracior æger ventriculum oneraſſet, adhucdum languentem, atque emeſi purgandum.

Primarius canon in dignoſcenda natura dyſenteriæ, & eligenda medendi methodo.

Plerumque determinari methodus medendi dyſenteriis epidemicis potuit ex ea methodo, quam *febris illius tempeſtatis dominatrix* poſcebat; cum *dyſenteria epidemica ad epidemicæ febris naturam quam proxime acceſſerit.*

Anno 1776. *bilioſiſſimam* habuimus febrim æſtivam, non male tamen moratam, ni illam inepte quis irritarit, meracam, & omnis phlogoſeos ut plurimum expertem: atque & dyſenteriæ fuerunt *eodem* anno *ejuſdem* prorſus indolis; bilioſiſſime nempe, meracæ, & abſque ulla

inflammatione, & *eadem* prorſus methodo, atque *eadem* etiam celeritate confectæ.

Anni 1777, 1778, atque hoc ipſo, quo hæc ſcribo, anno 1779, febris æſtiva bilioſa, bilioſo-putrida, non raro pertinax, cum phlogoſi complicata, & exanthematibus variegata, non boni moris, non paucos oppreſſit. Eamdem omnino indolem dyſenteriæ una regnantis experiebamur admirabundi.

Non tamen obſervabatur, quo anno plurimæ fuerint æſtivæ febres, eodem quoque plurimas fuiſſe dyſenterias; ut idcirco, ſtante licet eadem inter febrim dominantem & dyſenteriam affinitate, tamen diſpar ſubinde utriuſque dominium fuerit, & diſpar ex alterútro morbo ægrotantium numerus.

Prima dyſenteriæ initia non operoſe reprimuntur.

Etſi hic morbus, ſi quando latius diffundatur, ampliſſimas ubique prædas agat, neque niſi cum opimis ſpoliis recedat; tamen ejus ſævities plurimum cohiberetur, ſi modo morbi primordia occuparentur, eaque opinio omnium animis inſideret, vix ullum morbum eſſe eos inter, qui *populares* appellantur, cujus initia tam cito queant comprimi, & qui neglectus urbes, agros, caſtra adeo depopuletur; ut hæc peſtis caſtrorum plures ferme, ac ipſum hoſtile ferrum necet.

Dyſenterias quaſdam nullum hucuſque cognitum remedium ſanabat; at vero, dummodo non *graviſſimæ* fuerant, & dummodo *valentiori* remedio non urgerentur, mortem non intulerunt, niſi jam antea debilibus: tepidi & mucilaginoſi potus, & abdominis fomenta & ipſum præprimis *diuturnum tempus* profuere.

Idem in curatione quorumdam rheumatum contingebat, quæ *potentius* urgere non oportuerat; ei

citius enim reliquam ſanitatem attriveras, quam expugnaveras rebelle rheuma. Temporum *conſtitutio mutata* & *longa mora* ſolum præſidio fuerunt.

Atqua univerſum convincebamur, quoſdam morbos urgeri nimium & premi non oportere: ſat eſſe, ſi in pejus non abeant, & ſi, utut tarde, quotidie tamen pauxillum ex morbo detrahatur. Quemadmodum enim medicando recte fit, ſic etiam medicando peccatur. Monitum grave!

Nullam ætatem hic morbus præteribat, nec ſexum: conditio hominum quæcumque, & quævis humorum & ſolidorum craſis, valetudinis quævis ratio dyſenteriæ ex æquo patebat, etſi diverſo diſcrimine. Nec ullam ab hoc morbo immunitatem, aut hydropoſia dedit, aut uſus vini. Dyſenteria nullum ſexus, ætatis, & vitæ rationis diſcrimen fecit.

Qui a fructibus horæis ſevere abſtinebant, aut iisdem utebantur, aut etiam abutebantur, ita, aut in dyſenteriam inciderunt, aut ab ea perſtiterunt intacti, ut nulla ratione, vel modice probabili, determinaveris, quid potius facere expediat.

Dyſenterii fiebant, & qui victu animali ferme ſolo veſcebantur, & qui vegetabili ferme ſolo.

Non tamen par ubique periculum fuit, ſi quem morbus corripuit; gravius enim fœminæ mulctabantur, cum morbo ipſo, & cum ejuſdem jam profligati reliquiis diutius colluctatæ. Diverſum tamen periculum erat in hominibus diverſis.

De vita periclitabantur cacochymici, ſeniculi, articulorum morbis antea vexati, & inter hos fœminæ præ viris.

Illi enim ægri e ſexu ſequiori fuerunt, quibus dyſentericis factis mox lingua aruit, extrema friguerunt glaciali frigore, manante per univer-

verſum corpus ſudore frigido, in magnasque guttas collecto cum ſenſu aſſidui & intolerabilis ardoris, interanea exurentis, non reſtinguenda ſiti, & potus frigidi, vinoſique implacabili deſiderio, mentis acie non retuſa, & valente uſu ſenſuum cæterorum.

In cadaveribus dyſentericorum nunquam offendi ſuppuratam plagam, ut idcirco perrara exiſtimem inteſtinorum ulcera ex dyſenteria.

CAPUT VIII.

Binæ opiniones erroneæ de indole & ſede materiei dyſentericæ, deque ejuſdem contagio.

BINAS ſcaturigines dyſenteriæ hujus *malignæ* (ni eam malis *maligne inflammatoriam* appellare), quam ſexui ſequiori potiſſimum inimicam fuiſſe paulo ante dicebam, mihi viſus ſum detexiſſe; ipſius nempe male moratæ conſtitutionis ingenium pravum, & corpus ægri huic morbo præ aliis opportunum.

Binas quoque opiniones notavi, quæ de dyſenteriæ natura vigent, *plebeiam* alteram, quæ humorum tumultuoſe ad inteſtina reuntium *copiam* accuſat, eaque ipſa debiliora: alteram vero *non ignobilium Medicorum*, atque *aliquid* veritatis habentem; nempe: omnem dyſenteriam pertinere ad *morbos ſaburrales*; quam ſcilicet materies, aut

aut *bilioſa*, aut *putrida*, eaque ſimul acris, intra inteſtina commorata, vellicando irritandoque producat.

Multis exemplis utuntur, qui ſic opinantur, ad illuſtrandum aſſertum. Qui enim (ut ajunt) reſinam purgantem male ſubactam, & inteſtinorum plicis poſtea pertinacius adhærentem devorarint; in dyſenteriæ ſpeciem incidunt æſtivæ dyſenteriæ analogam. Idem ex horum mente illis ſolet evenire, quorum inteſtina aliud acre quodcumque, aut etiam vermes rodunt; unde frequentiſſima, & teneſmoides, terminoſæ, mucoſæ, cruentæ dejectiones proliciuntur. Dyſenteriæ ſpuriæ.

Verum has ego dyſenterias potius *ſpurias* nominandas puto, aut *diarrhœas torminoſas*; nihil commune habentes, cum *inteſtinorum rheumatiſmo*, ſeu *dyſenteria vera*.

Plebeia opinio inter Medicos temporis tractu extabuit in generis humani felicitatem, nihilominus Herculi potius clavam, quam eamdem hanc opinionem rudibus animis extorſeris.

Hæc tot malarum praxium auctor eſt, atque inventrix, unde tanta ſeges funerum quotannis ſuccreſcit.

Opio enim, & abſtringentibus conatur alvum ſiccare.

Altera opinio, quæ propius abeſt a vero, rodentis atque intra cavum inteſtinorum morantis materiæ exitum molitur emeticis, purgantibus variis, & vario modo, in eaque re curationis cardinem docet verſari.

Verum non omnis omnino dyſenteria vomitorium aut purgans admittit: nonnullæ enim, etſi perpaucæ; ſolo opio, & prolectis ſudoribus illico ceſſant, SYDENHAMO teſtante: quædam aliæ, non multum ultra initia provectæ, potu te-

tepido & emolliente comprimuntur, quas evacuans remedium exaſperaſſet. Atque alias quaſdam phlebotomia ſanat, eaque repetitis vicibus inſtituta. Ut ita conſtet, dyſenteriam popularem non eſſe morbum inteſtinalis cavi, acrem materiem continentis, ſed ipſarum adeo *inteſtinalium membranarum*, rheumate laborantium; ſubinde & meſenterii, & omenti, & urinariæ veſicæ.

Hunc quidem rheumatiſmum inteſtinorum *perſæpe* aut emeticum, aut purgans tollit, ut experientia conſtat.

Inde eorum opinio nata eſt, qui dyſenteriam prorſus omnem merum eſſe *ſaburralem morbum* arbitrantur.

Quamquam neque altera opinio veram dyſenteriæ notionem habeat, tamen medendi rationem in *pleriſque* dyſenteriarum epidemiis non erroneam inſtituit.

Potiores enim hujus morbi epidemiæ eam ſpeciem conſtituunt, quam ſuperius *bilioſam* appellavi.

Eſt nihilominus, ubi haud leves errores practici hanc quoque opinionem conſequuntur.

Quando autem bona eſſe medendi methodus poſſit, utut falſæ opinioni innixa, & quando è contrario, ea ipſa opinio in errores practicos inducat, & quæ hujus rei ratio ſit, is intelliget, opinor, qui expoſitam in antecedentibus dyſenteriæ naturam & varias ejuſdem ſpecies penſitavit.

An detur contagium dyſentericum ab uno homine

Contagium dyſentericum pauci in dubium vocarunt, idque effluvium ex uno homine exſpirans communicari adſtantibus poſſe plerique credunt. Miror hercle, qui nos immunes per omnes hos annos a dyſenteria manſerimus, Medici,

ci, Medicorum adjutores, & ægrorum cuſtodes. Atqui quotidie mane ſingulorum fæces luſtramus ea nocte exceptas, & vel inviti haurimus putidiſſima effluvia totis naribus.

dimanans in plures.

Probe equidem novi, dyſentericorum dejectionibus aërem, ex quo omnes tanquam ex communi fonte potant, fœdo putore corrumpi, morbosque putridos, per eminentiam *noſocomiales* appellatos, invitare; verum quod dyſentericorum exhalationes *eumdem* in aliis morbum producant, id quidem arbitror obſervationibus adverſari.

Magni intereſſe puto, non ignorare, dyſenteriam contagio carere. Quo enim animo Medicus dyſentericorum domos & pauperum præprimis tabernas, adibit, de morbi contagio perſuaſus?

De vanitate quorundam aliorum contagiorum.

Quanti igitur intereſt, & eſſe ipſummet a vano metu liberum, & eum aliis poſſe excutere.

Idem de miliari, petechiali, & ſcarlatinoſo contagio intellectum velim; quod nullum eſt, neque tactu, nec inſpiratione, nec devoratum, neque *inoculatum* quocumque modo *eumdem* in aliis valet morbum excitare; obſervatione mea & experientia multiplici id perpetuo atque conſtanter teſtante.

Sic uno ſaltem, alterove terriculamento, eoque non minimo, minus habebimus, tot inter alios tam veros, quam inanes terrores.

C A-

CAPUT IX.

Prophylaxis.

A dyſenteria non præſervat, nec purgatio.

REMEDIUM prophylacticum dyſenteriæ in frequenti alvina purgatione fruſtra quæſitum eſt, hanc enim potius noxiam arbitror, niſi præſens ſaburra eamdem poſcat. Vires enim ventriculi & inteſtinorum æſtivis caloribus remiſſiores crebra purgatio magis frangit, & rheuma tanquam ad partem *debiliorem* invitat.

Obſervationes etiam confirmarunt, hanc prophylaxin vanam eſſe.

nec vomitio.

Æque parum a dyſenteria præſervatur, qui frequenti vomitione ventriculum per vices ſubvertunt, dyſenteria graſſante; niſi forte jam adſit cacochylia exantlanda.

At ſic non *prophylacticum* remedium haberes, ſed *curativum.*

Nec ullum vitæ genus.

Nullum vitæ genus a dyſenteria intactum præteriri, ſupra dixi.

In quo conſiſtat prophylaxis dyſenteriæ.

Nullam certiorem prophylaxin novi, quam quæ æſtuantis corporis, & profuſius perſpirantis refrigerium repentinum, & auræ frigidioris afflatum vitat.

Non raro ſubita dyſenterica correptos obſervavi, quorum male veſtitum abdomen poſt largiores ſudores ſubito perfrigeratum fuit.

Vitato *ejuſmodi* refrigerio, cruditatem quoque, & ſaburralia vitia vitanda puto; quæ, etſi dyſenteriam ſola non producat, corpus tamen debi-

bilitando eamdem invitent, præſentemque reddant graviorem.

Proderit etiam præter hanc & perfrigerationis, & cruditatis fugam, leni quoque tonico vim primarum viarum ſuſtentare.

MOHRLINI apud præclarum ZIMMERMANNUM (*) obſervationi lubens ſubſcribo, eos potiſſimum dyſenteriam a ſe prohibuiſſe, qui vitatis diætæ vitiis, potum, præſertim aquæ frigidæ, ſi forte corpus æſtuaret, liberaliorem vitaſſent, & diu noctuque non interceptam diaphoreſin fuiſſent experti.

Magna curationis difficultas in eo eſt, quod ægri continuo ſurgendo, male contecti, pedibus nudis, noctibus ſæpe perquam frigidis, morbi cauſas identidem de novo repetant, perfrigerationem videlicet.

Hinc tantum quoque ſolaminis experiuntur, ſi in lecto manere jubeantur, iisque ſupponantur excipula, in quæ vel decumbentes alvum ponant; item, ſi abdomen dolens molli & calido cataplaſmate foveatur.

Hac ego ratione dyſenteriam a me, meisque fortunate arcebam.

CA-

(1) Quis neſcit egregium *Zimmermanni* de dyſenteria librum, qui, quidquid hucuſque de eo morbo obſervationum exſtabat, apte & philoſophice diſpoſuit, cum ſuis comparavit, leges ſtabilivit! Caput X. ejuſdem libri ſpiritum practicotaton ſpirat; opus diurna, nocturnaque verſandum manu: ſpiritum, inquam, quem is ſolum rite intelliget, qui in praxi dyſenterica verſatus, ab hujus operis lectione ad dyſentericorum lectulos acceſſerit, indeque iterato fuerit ad legendum præcipue decimum libri caput reverſus.

CAPUT X.

Quænam inſtructio plebi ſit danda, graſſante dyſenteria.

PROPHYLACTICAS præceptiones, atque ipſam methodum dyſenteriis medendi, Medicorum collegia plebem, illam potiſſimum, quæ rus colit, docere ſolent; ſi quando tempora dyſenteriæ ingruant, ruricolis præprimis inimica.

Cur vigente dyſenteria vulgus vix poſſit inſtrui de methodo medendi.

Quod quidem inſtitutum, ut eſt ſumme laudabile, ita arduum maxime, atque anceps videtur; ne nempe docendo noceas, ubi ſatagis prodeſſe.

Malim certe, ut *nulla* prorſus medicina fiat, quam *inepta* & morbo *non reſpondens*, atque hoc ipſo perniciosa, & ſalutarium naturæ moliminum turbatrix.

In morbo autem *tantopere verſatili*, qui ſolertium etiam Medicorum ſagacitatem exercet, nonne ſæpius periculoſam ſibi medicationem plebs faciet? Quam remediis valentibus tanquam totidem armis inſtruere quidem poſſumus, dexteritate vero captandæ occaſionis, & indicationum ſcientia nequaquam.

Diſpiciendum tamen eſt, quouſque inſtrui plebs poſſit, ut conſtitutionibus dyſentericis aut a morbo ſeſe præſervet; aut eumdem jam præſentem vel ſanet omnino, vel ſananti naturæ ſaltem non obſit.

Pri-

Primam inſtructionis partem ea fortaſſis præcepta, atque ea quidem ſola, ſuppeditabunt, quæ de prophylaxi, & de cavenda æſtuantis corporis perfrigeratione ſuperius dicebam.

Alterum vero conſilii caput morbum ipſum docebit ſanare, atque *binis* ſolum methodis abſolvetur, ab HIPPOCRATE *de affect. T. II. Sect. I. c. VII. Edit.* HALLERI, propoſitis; binas enim is ſuaſit, utramque *parabilem*, *adplicatu non difficilem*, & quarum *apta tempora* atque *indicationes* vel ipſa edoceri rudior plebs poteſt.

Sunt autem hæ duæ methodi dyſenteriis medendi *evacuans* una, atque altera *antiphlogiſtica.*

Inter methodos antidyſentericas complures, ſolum duæ ſunt de quibus inſtrui vulgus poteſt, & debet. Et cur?

Novi per bene, *methodum antidyſentericam* minime his binis ſolummodo capitibus contineri; verum etiam ſcio, qui has binas ſcite noverit adhibere, eum *plurimis* profuturum; multis quidem *directe*, non paucis *indirecte*; vix ulli vero (quæ res in omni medicina maximi momenti eſt) obfuturum.

Reliquæ autem morbi varietates plebeium captum ſuperant, neque directa pro iis methodus poteſt plebi dari; niſi quis velit, ut ſibi noceant male medicando.

Dyſenterias quaſdam HIPPOCRATES *loco ſupra citat. evacuante* remedio curat, & *medicamentum, quod ſupra pituitam purget* propinat. In aliis vero dyſenteriis, in quibus dolor *detinet*, *partes ſub umbilico multa calida lavat*: *ibidem.*

Quæ duæ res & *evacuantis* methodi, & *antiphlogiſticæ* notiones exprimunt.

Hinc qui ſibi mederi coguntur, his *omnis* dyſenteriæ cura a potu tepido, & emolliente, itemque a fotu abdominis eſt inchoanda.

Quodſi dolor *remiſerit*, aut *extra tempora de-*

jectionum penitus ceſſarit, ſi & vires non ſint projectæ, & febris evidentior abſit, aut ea ſtatis ſolum horis intendatur, *medicamentum quod ſupra purget*, hauriendum dato; fotu abdominis interim continuato.

Atque hac ipſa methodo *evacuante ſola* quam plurimas novi dyſenterias fortunate compreſſas; dummodo & tenuis victus accedat, & lecti tepor, & potus ex emollientibus, addita chamomilla, poſt emeſin diutius ſumendus.

Opio carere tunc poſſunt, niſi forte *poſt emeſin, dolore ſublato, abſente febre*, pauxillo opii velis ſudores juvare, proficuos, & alvum ſiccantes.

At vero, ſi *dolor detinet aſſiduus* atque etiam *extra tempora ſeceſſuum affligens, attactum non ferens, partes ſub umbilico*, ſuaſore Hippocrate, *calida multa lavato*. Infidum enim hic eſſet, quinimo perniciofum, emeticum. Venæ ſectio proderit, & fotus abdominis aſſiduus, atque aſſiduus quoque potus ex emollientibus althæa, malva, ſeminibus lini &c. confectus, *ſola* enim *antiphlogiſtica* methodus opitulabitur.

Infantes dyſenteria correptos, præprimis ſi dolorem difficilius ferant, & inſtent præ dolore convulſiones, *aqua calida lavare*, ſeu calido balneo imponere, expediet.

Qui hæc medendi momenta tenuerit, (neque ea ſunt difficilia, ut pote a manifeſtiſſimis qualitatibus, torminum nempe *aſſiduitate*, aut *intermiſſione* potiſſimum repetita) ampliſſimas dyſenteriæ ſpecies ſanabit, *bilioſam* nempe, & *inflammatoriam*, & ex hac utraque *conflatam*.

Unicum ſupereſt, quo id genus inſtructio carere non deberet; quas nempe methodos, quæve remedia averſari tanquam noxia & pernicioſa, oporteat, eſſet dicendum.

Ve-

Verum, utut ſaniſſima conſilia dederis, vereor, ne aut nihil inde bonæ frugis, aut non niſi pauxillum, referas.

Solet enim plebecula præjudiciis potius, quam ſanæ rationis dictaminibus auſcultare, atque hoc ipſo.

. . . ὑπερ μορον αλγε εχουσιν (*).

CAPUT XI.

Quid peculiare, aut etiam commune habuerint inter ſe quatuor æſtatum dyſenteriæ.

QUATUOR æſtatum conſtitutiones dyſentericas ſtrictim delineabo; qua re inter ſeſe convenerint, aut quid diſcriminis interceſſerit, dicturus.

Æſtas anni 1776. tota, & hinc veris pars magna, illinc vero autumni non minor, morbos ὁμοουσιους, και ὁμογενεις proferebat; bile nempe prognatos, ſed ea *meraciore non inflammante*, *non ſeptica*, atque *indolis bonæ*, niſi mala fortaſſe medicina obtigerat.

Ejuſdem quoque ingenii dyſenteriæ fuerunt, at-

(*) . . . Vel DIS nolentibus ipſi
Se miſeros faciunt . . . *Odyſſ. L.* 1. *v.* 34.

atque ex ea ſpecie, quam *rheumatico-bilioſam* & *febrim bilioſam dyſentericam* nominavi, *numeroſiſſime* quidem, ſed quæ mira celeritate & tuto ſolis vomitoriis, atque inter hæc tartaro emetico, promptius multo ſanabantur.

Quaſdam illius anni dyſenterias tamarindis, manna, ſale amaro, cremore tartari, tartaro vitriolato, tandem rheo, & myrobalanis ſanatas vidi ab iis, qui medicinam emeticam, utut *ſuo loco*, & *ſuo tempore* perefficacem, ignorata ejuſdem præſtantia, averſantur, atque in delicatulis, fœmellis, nobilioribus, iisque.

> .... *quibus dant cruſtula blandi*
> *Doctores.*

Plus quidem temporis hæc methodus inſumſit, quam quæ emetico utebantur; nihilominus ægri evaſerunt, niſi ſi forte copioſiorem quis bilem habuerat, *και ανω potentius turgentem.*

Æſtate vero anni ſubſequentis (1777) dyſenteria hinc inde ſolum in publicum prodiit, at ergaſtula frequens inviſit, & cum ægrorum pernicie.

Verum ubicumque apparuerat, difficilis plerumque fuit, longa, & evacuantibus, ſeu ανω ſive κατω non ſanata, vix mitigata.

Quaſdam dyſenterias illius æſtatis mutata potius temporum vice, quam vi remediorum, compoſitas arbitrabar; in juvenibus præcipue, & qui ferendo morbo magis erant.

Erat hæc difficultas inteſtinorum non *mere bilioſa*, ſed aliquantum, ut videbatur, *inflammans*; putredine tamen non carens, ineffabilis cujuſdam ingenii, cujus *ſolam pertinaciam* certo cognoveramus.

Hi

Hi ipſi mores morbos etiam reliquos inſignivernnt, exeunte vere, æſtate, atque autumno conſpectos.

Salium mediorum vix ulla utilitas fuit cum in dyſenteriis hujus anni, tum cæteris in morbis. Inde in longos alvi fluxus, non comprimendos, ægri inciderunt.

Radicis arnicæ magnus uſus cum in illis dyſenteriis, phlogoſi prius abſterſa, fuit, tum potiſſimum in febribus cæteris non dyſentericis.

Anno 1778. numerus dyſentericorum paulo major fuit, quam priori æſtate; attamen multo minor, ac anno 1776.

Dyſenteriæ hæ ad illas anni præteriti proxime accedebant, niſi quod fuerint phlogiſticoteræ.

Alvus hoc anno in pluribus dyſentericis tota quanta mucoſa fuit, ſpermati ranarum ſimillima; magna ductiliſſimi & tremuli muci copia, ab excipulo vix abradenda, prodivit, qualem fere calculoſi, aut quibus veſica ab alio quocumque ſtimulo irritatur, mingere ſolent, utut hic dyſentericorum mucus inſtar glutinis vaſi tenacius adhæſerit.

In reliquis fæces erant porraceæ, ſpumantes, fruſtula ſebacea referentes, lineis ſanguineis pictæ, carunculoſæ, loturæ carnium ſimiles.

Hæc muci excretio ægros mirum quantum emaciabat, eosque intra non multos dies, morbo licet in *ſpeciem* tolerabili, ad incitas atque ad mortem redegit.

Qui *hac ratione* ægrotabant, methodo illa evacuante, quæ æſtate 1776. tam feliciter ceſſit, non ſanabantur; ſeu emeticum fuerat, ſeu eccoproticum propinatum.

Curationem oportuit *compoſitam* inſtituere;

qualem, ut unicum exemplum proferam, puella quædam auſpicato ſubivit, mucum illum tremulum largiter, & ſolum excernens, & dolorem totius abdominis quaſi exulcerati conqueſta. Dedi multa tepida, & emollientia per os atque anum. Abdomen cataplaſmate fovi, corpore probe contecto, ſanguinem miſſurus, niſi jam ſuæ domi miſiſſet ſuo conſilio. Elapſis aliquot diebus, & doloribus paulum remiſſioribus, lingua autem impuriore, ſalutare emeticum hauſit. Paulo poſt convaluit, & citius, quam omnes alii.

Poſt medium Septembrem 60 annorum fœmina ad nos venit. Ante 3 ſeptimanas diarrhœa laborabat octiduo: ea ſponte ceſſante bene valuit. Nunc a quatriduo alvus creberrima, parca, teneſmodes, torminoſa, cruenta. Dolor aſſiduus abdominis, non graviſſimus, ſed inter dejiciendum auctus. Os mucoſum: febricula. Eadem methodo morbum tentavi, qua dyſenteriam puellæ modo relatam. Venam ſecui, ſanguinem pleuriticum eduxi, noctu alvus ſolum quinquies mota eſt copioſa, & ſcybaloſa. Altera die ter dejecit, ſana poſthac.

Eodem anno (1778.) dyſenterias quaſdam levi brachio ſanavi, quaſdam vero difficulter. Duos ægros emacians alvi fluxus, quo mucus tremulus, initio torminoſe, dein etiam absque dolore, reddebatur, confecit ſerius. Binæ fœminæ poſt paucos dies dyſenterice moriebantur.

Exiſtimo, me minus fuiſſe attentum ad commiſtam hujus conſtitutionis phlogoſin, ſeductum nempe dyſenteriis anno 1776. obſervatis, quas *meriſſime bilioſas* celeriter conſtanterque paucos intra dies emeto-catharſi ſanavi.

Sed penes lectorem erit dijudicare, num artis,

tis, an vero meam ipſius impotentiam incuſare oporteat, quod curationes quædam non ceſſerint ex voto, ubi ſuccinctam morborum hiſtoriam propoſuero.

Septuagenario major longa per æſtatem febre, eaque intermittente, conflictabatur. Non adnotavi, qua methodo ſanitatem recuperarit. Die 4ta Auguſti 1778. nos accedit, aitque, ſe quatuordecim dierum dyſenteria gravi affligi. Ante morbum præſentem per alios quatuordecim dies præceſſiſſe inappetentiam, oris amarorem, febriculam veſpertinam. Emeto - catharſi primo, dein vero radice arnicæ dolor omnis ſublatus eſt intra dies perpaucos. Verum alvus crebro fluxit diu, noctuque, mucoſis, aquoſis, & indolenter: ſiſti nulla ratione, nequidem opio poterat ſuſpendi. Emaciatio, qualis in extrema phthyſi. Cutis pendula, ſtrigoſa, aridiſſima. Finiente Septembre periit.

Inteſtina craſſa inflammata valde, dura, rigida, difficillime ſcindenda in cadavere reperi.

Triginta annorum cœlebs fœmina die 13tia Aug. huc venit; quatriduana dyſenteria fuit, corpus macrum, exſuccum, aridiſſimum, ligneum, &, utut ſe ſanam fuiſſe aſſereret, notas tamen ſanitatis perpaucas habuit, hac jam ætate edentula. Dejecit inter aſſidua tormina materiem pendulam, albam, qualis ex calculoſorum veſica exprimitur.

Remedia aut nulla ſumſit, moroſiſſima ægra, aut devorata revomuit, vomitum ipſa immiſſa in fauces manu proliciens. Parum potulenti emollientis retinuit. Vomitibus manu concitatis aquoſa pauca cum pauco muco vomuit, cum dolorum initio levamine, dein etiam eorumdem plena evaneſcentia. Manſit fluxus alvi mucoſus, &

 mul-

multo magis emacians, quam pro deperditi humoris mole.

Periit die 17ma Septembris. Sceleton cadaveris, non cadaver. Omentum ruberrimum: inteſtina craſſa parietes ſolito multo craſſiores habuerunt, & duros: plagæ hinc inde inflammatæ: interior ſuperficies luride rubeſcebat, muco ſanguinolento obducta: eroſio nulla.

Puella quædam circa finem menſis Julii clam peperit, inde maturius ad priſtinos labores reverſa dolores lumborum aſſiduos experta eſt. Die 28va Auguſti Noſocomium adiit, a quinque diebus jam dyſenterica: dejectiones innumerabiles, aquoſæ, aquoſo-cruentæ, excretorum exigua quantitas. Dolor ventris aſſiduus, attactum refugiens: peſſime veſtita, & ferme nuda ad nos venit frigidiſſimo die, plures alios æque frigidos excipiente: inquies ſumma, lamenta aſſidua, pervigilium: guſtus nulla ratione depravatus, & nulla febris, ſi pulſum, & corporis calorem ſpectaveramus. Facies lurida, ſubflaveſcens. Tinctura rhei aquoſa dabatur cum dolorum levamine. Tandem dolor jam nullus erat, at alvus fluens, aquoſa, ſæpe cruenta. Die 3tia Septembris veſperi paregoricum datum eſt. Ea nocte difficilis reſpiratio facta eſt, quæ die ſequenti fervens, & ſtrepens fuit. Periit eadem die.

Omentum leviter inflammatum: inflammata hinc inde tenuia inteſtina, hinc inde etiam meſenterium. At vero totum colon, ejus præcipue portio per latus ſiniſtrum decurrens, valide inflammatum offendebatur; hinc inde quoque liveſcens, craſſiſſimis parietibus, & vix præ duritie, etiam qua parte livor erat, ſcindendis. Eodem modo etiam rectum inteſtinum fuit, ejusque,

que, uti & coli glandulæ prætumidæ, permagnæ, & dire inflammatæ.

Die 30ma. Auguſti alia puella 18 annorum noſtræ curæ committebatur. A quinque menſibus catamenia non fluxerunt. Octennis ex febre acuta continua decubuit. Ab eo tempore frequenter lubricos excrevit. Triduana dyſenteria ſe teneri dicebat. Color faciei fœdus erat; exiliſſimi, ferme obliterati, creberrimique pulſus; dolor aſſiduus, perque vices ita intenſus, ut ejularet, volutaretur per lectum; dentibus commorſis ſtrideret, extremis frigidis vultu miſerabili, deſperabundo. Per os atque anum lumbrici ſeceſſerunt. Maximam frigidiſſimæ noctis partem ſolebat extra lectum conſumere, excipulo inſidens, quo uti cubans non potuit. Sapor vitioſus. Tinctura rhei aquoſa, & emeſis aliquid levaminis, utut perparum id fuerit, attulerunt. Verum non multo poſt omnia exacerbata ſunt. Emollientia tepida, mucilaginoſa, cataplaſmata &c. dolores mitigarunt, alvumque fecerunt rariorem, vix dolorificam. At die 7ma. Septembris periit; eo tempore, quo pulſibus & vegetioribus, & vix acceleratis, melius valere videbatur.

Omentum inflammatiſſimum fuit: inteſtina tenuia omnia profunde rubebant, totum colon, & rectum alta phlogoſi correptum, cum livore hinc inde. Membranæ craſſorum inteſtinorum craſſiſſimæ, glandulæ ex inflammatione magnæ: cruentus mucus ſuperficiem inteſtinorum internam obliniebat.

Hic curam oportuiſſet ſumme antiphlogiſticam inſtituere, & curatio a tinctura rhei aquoſa male eſt inchoata, male datum emeticum. Infidum erat levamen. Sed decepit corporis habitus, ver-

verminoſa diſpoſitio, ipſique vermes excreti; ſed maxime deceperunt aliæ aliorum dyſenteriæ, eadem methodo feliciter curatæ.

Non pauci dyſenterici hoc anno lumbricos dejecerunt, quemadmodum in caſu puellæ mox memorato. Atque hi quidem ægri plerumque ſexus ſequioris fuerunt, fæmellæ pallidæ, & olim jam verminoſæ. Non licebat curam ab anthelminticis, emeſi, purgante, etſi mitiore, inchoare; ob dolorum aſſiduitatem, & intenſionem ab inflammatione provenientium. Atque hæc quidem inflammatio ſubinde *prava* fuit, & ejus indolis, ut ſanguis eductus, & præſidia reliqua, antiphlogiſtica, non juverint, ac conſueta cruſta defuerit; qualis *inflammationes non pravas* plerumque ſolet comitari.

Omnis hoc anno dyſentericis febricula fuit veſpertina, cum pauco frigore, calore non magno, alvo tunc crebriore, & torminibus auctis. Ictus arteriarum vix accelerati. Lingua ſicca; arida. Urinæ parcæ, ſubinde quidem copioſiores, at ſemper colore minime exaltato, ſordidæ plerumque, mucoſæ, non tranſparentes; ſero mucum depoſuere album, copioſum, ad altitudinem digiti tranſverſi. Tandem rebus in meliora mutatis urinæ perlucidæ manſerunt, abſque ſedimento, & quales reddi ſolent integra ſanitate. Teneſmi excruciantes pleriſque fuere, & longo poſt dyſenteriam tempore perſtiterunt; ſecus multo, ac anno 1776, ubi & dyſenteriam, & teneſmos unicum plerumque emeto-catharticum abſterſit. Singultum; in morbi progreſſu, & ſerius, accedentem non timui, ſi modo reliqua ſymptomata non fuerant pejora.

Pinguia, & obeſa corpora hic morbus intra

paucos

paucos dies valde ac longe validius emaciavit, quam pro excretorum ratione.

Moriebantur mente non moti, & inter aſſiduos ſeceſſus, pulſibus exiliſſimis, & evaneſcentibus.

Incerto dierum aut ſeptimanarum numero, ſerius, ocyus, perierunt.

In cadaveribus *crudam* inflammationem offendi, &, utut hinc inde nonnunquam livor aderat, defuerunt tamen alia gangrænæ ſigna; ſcilicet friabilitas affectæ partis, & gangrænoſæ plagæ minuta cohæſio. Erat enim lividarum partium magna durities inter ſcindendum animadverſa.

Infima plebem, fæminas præprimis pauperiores, male paſtas, pejus veſtitas, hic morbus frequentius, & gravius laceſſivit.

Cuſtodum noſtrorum nemo, uti etiam nemo Chirurgorum aut aſſiſtentium dyſenteriam contraxit. Quidam, qui cataractæ extractionem inter reconvaleſcentes exſpectabat, ubi nulli fuerant dyſenterici, nihilominus in morbum hunc incidit, ſed leviorem; cum levi veſticula tectus ambulacra frigidiora obambularet.

Ad eam, quæ æſtatem, & partem autumni anni 1779. fœdabat, dyſenteriam tranſeo, multiformem, & variam, & non paucis internecinam.

Menſe Junio perraræ dyſenteriæ fuerunt, Julio vero crebriores, quam plurimæ Auguſto, atque Septembri, tandem Octobri, contrahebantur.

Diverſas dyſenteriæ ſpecies, quæ hoc anno in ſcenam prodierunt, ſupra commemoravi; ea certe conſtitutio fuit, quæ quaſi compoſita ex conſtitutionibus priorum annorum videbatur, atque commiſta, aut cum iis per vices alternans; cum, quidquid dyſenteriarum priores æſtates atque

que autumni progenerarint, hæc una æſtas protulerit collectim.

Saburras hoc anno habuerunt minus bilioſas, & pauca vomuerunt, neque utiliter; niſi præmiſſis emollientibus, tepidis, & non raro præmiſſa etiam ſanguinis miſſione.

Salia media, quibus vel ſolis dyſenterias *bilioſas* anni 1776. ſubinde curatas dixi, horna dyſenteria non tulit.

Dejectiones mere albas, tremulas, viſcidasque, priori anno frequentes, hoc anno non vidi; harum vero loco loturæ carnium ſimilia, carunculoſa, modice viridia, luride rubra, prodierunt.

Multi certe æque in urbe ac ruri perierunt, cum ob ipſius morbi naturam, nonnunquam arte ſuperari neſciam, cum quod anceps, & verſatilis morbus, atque *eadem* ſemper veſte indutus, ignaris *idem* ſit viſus, fefelleritque.

Non datur univerſale antidyſentericum, uti nec univerſale antirheumaticum.

Quam male enim *eamdem* in omni dyſenteria medendi rationem ii ſequantur, quibus *nomina* pro *rebus* ſunt, & quam vana ſepes ſit remedii *univerſalis antidyſenterici*, hujus anni conſtitutio luculenter demonſtravit.

CAPUT XII.

De quibuſdam magni momenti minutiis.

NON puto, me acutulas concluſiones, & diſtinctiones, ſubtiles magis, quam utiles dilucidasque feciſſe: aut, ſi diverſiſſimam morbi fa-

faciem deſcripſi, ſi minutulas dedi diſtinctiones, tales ſolummodo videbuntur ignoranti, quod res parvæ perſæpe maximas trahant:

Duntaxat rerum magnarum parva poteſt res
Exemplare dare, & veſtigia notitiei. (*)

Haud quidem ignoro, magis amari illam medicinam ab ejus cultoribus, quæ rerum occultarum enodatione tam laborioſa non indigeat, nec tam altos receſſus habeat, quæve in eliciendis morborum cauſis, & commiſtionum variarum examine minus anxie verſatur, & multum diſputari contra ſcrupuloſam ejuſmodi, ſeduloque *diſtinguentem* ſcientiam: ſed difficultas & labor diſcendi diſertam horum hominum negligentiam reddit. Malunt enim diſſerere, nihil eſſe in hac inveſtigante & philoſophante medicina, quam, quid ſit, operoſe addiſcere.

Sed etiam illud non ignoro, ne adhuc dum quam longiſſime abeſſe ab illa, quam, de dyſenteria concepi, idea, & me meam ipſius mentem in deſcribendo hoc morbo neutiquam plane fuiſſe aſſecutum: neque, ſi id etiam licuiſſet efficere, idcirco exiſtimo, his meis præceptis inſtructum poſſe jam tuto dyſenteriæ mederi; cum abunde mihi conſtat, quantum vel fideliſſima deſcriptio, morbique inde hauſta cognitio ab illa ſcientia diſtet, quam quis ipſo artis exercitio comparavit. *Eſt enim* ut LANCISIUS in *epiſtola ad* COCHIUM ait *medicina quoddam experimentalis pru-*

(*) LUCRET.

prudentiæ genus, quæ vix doceri ab ullo poteſt: tota fere ſedulo, peritoque ab artifice in arena ipſa invenienda, ac tractanda eſt.

Hæc habui ex mea penu depromenda, ut cum aliis aliorum obſervatis conferantur.

Atque ita, qui plura, quam ego, obſervavit, &

Cui lecta potenter erit res,

Securiora tandem hanc annuam peſtem propulſandi præcepta condet, efficietque, ut una morte minus moriamur.



SEC-

SECTIO V.

DE

MORBIS QUIBUSDAM

SYSTEMATIS HEPATICI,

PRÆSERTIM DE ICTERO:

ITEM DE QUIBUSDAM

AFFECTIBUS NERVOSIS,

ET SPARSA QUÆDAM

VARII ARGUMENTI.

DE MORBIS QUIBUSDAM

SYSTEMATIS HEPATICI,

PRÆSERTIM DE ICTERO.

OBSERVATIO I.

VIR 39 annorum ante octo annos febrim tertianam autumnalem paſſus eſt : cortex dabatur : frequens erat recidiva. Ab eo tempore ſæpius cardialgiam querebatur, & incommodum ſenſum in epigaſtrio dextro. Omni anno, vere, & autumno oris aphthas habuit, graves, curatuque difficiles. Pallor continuus, & macies quædam, alias inſolita : appetiit : oculi leviſſima per vices flavedine tincti. A verno tempore anni 1777. hypochondrium dextrum in molli parte verſus ventriculum ſæpius tumuit, & gravius doluit ; minus appetiit, alvo facta moroſiore. Sumſit pillulas, ex gummiferulaceis, aloë, &c. Inde alvus promptior, & levamen. Oculi tamen frequenter & magis icterici : officio ſuo fungebatur : plurimum equitabat. A menſe Auguſto quotidie, omni alterno quartove, erronee, levi-

 ter-

terque febrire, domi detineri, & ſæpiſſime eſſe in lecto, cum omnes antea relatæ moleſtiæ augerentur, virium jactura præcipue, & inappetentia, ac alvi tarditas; ut tandem nonniſi enemate ſollicitata dimitteret pauca, dura, caprilla. Circa medium Octobrem vomere ſæpius pituitoſa cœpit aliquot a paſtu horis; vomitione per unum, duos, pluresve etiam dies ceſſante, paulopoſt reditura. Aucta omnia; alvi obſtructio major; vomitus crebrior. Nulli tandem ſeceſſus, nec injecto enemate provocandi; at multo frequentior vomitio. Periit quinta Novembris ejuſdem anni.

Prædixi, cum circa medium Octobris in conſilium vocarer, hunc morbi exitum probabiliſſime ſecuturum; addidi etiam, me *vitium circa pylorum, ejusque coarctationem cartilagineam* præ alia quacumque re ſuſpicari: ita me eſſe per meas alio tempore habitas obſervationes edoctum.

SECTIO CADAVERIS.

Aperto abdomine ventriculi magnitudo erat prorſus inſolita, ad umbilicum uſque protenſi, & figuram ferme quadratam referentis. Pylorus, & initium duodeni, ad attactum duriſſima, ſcirrhoſa, nodoſa, cum appendicibus craſſis, itidem duris; quarum una, reliquis major, pancreatis extima pars eſſe videbatur. Interior pylori facies, anguſta, ſcabra, hinc inde modice arroſa, exhibebat tuberculum atheromatoſum, nucem myriſticam fere excedens; quod, forfice diſſectum, reddebat materiem pultaceam ex griſeo flaveſcentem, & fœtidam.

Tenuium inteſtinorum color pallide luteus fuit. In-

Inteſtinum cœcum, valdopere diſtentum, nigricabat.

Hepar, & veſicula fellea, & lien, & meſenterium, ejusque glandulæ, ſanorum erant ſimilia.

Contenta ventriculo copioſa erant & nigra; inteſtina autem tenuia, & vaſa meſenterii, fere inania.

Cœcum, & colon dextrum, multis durisque ſcybalis infarctum; colon vero tranſverſum, ſolo aëre plurimum turgidum, obſcure rubebat.

In ventriculo, præter materiam copioſam & nigram, deprehenſa fuit notabilis quantitas mercurii vivi, ante mortem ingeſti; (dicuntur enim ingeſtæ fuiſſe mercurii vivi doſes ſeptem, ſingulis autem vicibus unciæ tres cum oleo amygdalarum;) & in inteſtinis tenuibus diu ſed fruſtra quæſiti.

De viſceribus thoracis, cum apertus non fuerit, nihil habeo, quod referam.

Sectioni, utpote ruri factæ intereſſe non potui; alias in hepar, & vias bilis, ejusque liberum, aut difficilem, aut impeditum, effluxum in inteſtina ſedulo inquiſiviſſem: utut probabiliſſimum ſit, bilem primo difficillime per anguſtatos ductus, tandem omnino non, in inteſtinum fuiſſe delatam.

OBSERVATIO II.

VIGINTI ſex annorum juvenis per octo ſeptimanas appetitum ſolito minorem, itemque laſſitudinem queritur. Triſtis, cogitabundus,

dus, & gravi mœrori immerſus, quod nuper fuerat ab irato hero dimiſſus, & nunc egens oberret: ſanus cætera.

Acceſſit oppreſſio thoracis infimi, & anterioris: ſubinde vagus artuum dolor. Oppreſſione hac pectoris, & membrorum dolore poſt 14 dies ſponte evaneſcente, icterus ortus eſt, ſaturatiſſime flavus, per totum corpus; laſſitudo; obambulat; dejectus appetitus; oris ſubinde fœtor, & muci copia, fauces replentis.

Ictero jam tribus ſeptimanis perſtante, ad nos venit, apyretos prorſus. Fæces albæ, caninæ. Sumit ſolventia ſalina, decoctum graminis, taraxaci, dein emeticum, æque ſaturata flavedo. Continuat ſolventia, & aperientia: excrementa nunc bile tincta apparebant.

Tandem febris accedit cum linguæ ariditate lignea, pavores, taciturnitas, mite delirium. Ultimis diebus brachium dextrum totum mire intumuit, tumore non rubente & valde dolorifico. Paucos poſt dies, ex quo ad nos venit moritur.

SECTIO CADAVERIS.

In abdomine omnia bile flava ſuffuſa, veſicula fellea bile viridi refertiſſima. Hepar hinc inde vitellina bile admodum maculatum.

Liber exitus bilis per ductum cyſticum, hepaticum, choledochum in inteſtinum duodenum, hique ductus ſatis ampli fuerunt; omnia viſcera multo flaccidiora.

Metaſtaſis biliosa. Brachium tumens inciſum exhibuit tenuem biliformemque laticem, intra telam celluloſam ubique copioſe collectum.

Mi-

Mira facultas mœroris eſt, functiones ventriculi, inteſtinorum, hac hepatis conturbandi. Frequenter a ſolo mœrore diuturno febris lenta nervoſa gigni eſt obſervata.

Pleroſque icteros *febriles* aut pernicioſos vidimus, aut ſaltem perquam periculoſos. Juvat id adnotaſſe, ut quantillum ſpei, & quantum periculi ſit in ictero febrili, Medicus prævidere, & prædicere queat.

Contigit aliquoties, *metaſtaſes biliosas* videre, ſeu bilis dilutiſſimæ collectionem confertam. Latex bilioſus e tumentis brachii tela celluloſa profluens, a depoſitione fuerat ipſius bilis reſorptæ, & ad brachium delatæ.

Ejuſdem bilioſi humoris varias poſſe migrationes eſſe, & ad diverſas deferri partes, ratione probatur, & experientia.

Ad encephalon delata bilioſa materies morbos faciet varios, huic viſceri competentes: ad oculos, fauces, thoracem &c. traducta, ibique commorata, luſum illum mirificum bilioſæ febris ludet, *Tom. II. meæ rationis medendi* luculenter deſcriptum.

Quanta morborum familia eſt ab una eademque materie, tanquam protoparente oriunda!

An icterus ſaturatiſſimus, viis ad duodenum bilem ferentibus amplis atque hiantibus, quales a morte reperti ſunt, oriri in vivo potuit? an in vivente bilis vias ſpaſmus interclusit, morte ſolutus?

Ductibus biliferis omnino perviis nihilominus dari icteros poſſe, obſervationes docent, atque etiam idem in hoc caſu obtinuiſſe lubens confiterer, ni fæces albæ abſentiam bilis fuiſſent teſtatæ.

OBSERVATIO III.

TRIGINTA novem annorum textor a viginti fere annis, quovis autumno in hyemem vergente, rheumatica febre per aliquot ſeptimanas decubuit. Tertius modo annus eſt, quo ex febre quartana, per tres anni quadrantes durante, appetente verno calore ſine aliis remediis convaluit, quam quæ contra tuſſim validam, ſputa copioſa excutientem, & per anni dimidium una cum febre quartana affligentem, adhibuit. Fuere autem remedia hæc herbæ, ut ajebat, pectorales.

Sanus inde hucuſque vixit.

Die 22da. Januarii 1779. cum præcedente veſpera ſolito lautius cœnaret, & meracius biberet, mane leviter inhorruit, incaluitque alternatim. Mox vero aſſiduus & ſiccus calor ortus toto morbi tempore durabat. Erectus, ſed feſſa membra trahens & impar labori conſueto, ægrotavit. Artuum omnium dolores rheumatici.

Die 24ta. decubuit. Sumit proprior conſilio pulverem myrrhæ ex hauſtu aquæ: omnia graviora.

Die 27ma. tuſſis, quæ ab initio adfuit levior, nunc gravis fit, noctu præcipue infeſtans, cum ſputis difficilibus, glutinoſis. Doluiſſe hac die ajebat utrumque hypochondrium dolore punctorio, attamen non magno, & in profunda ſolum inſpiratione, aut validiore tuſſi.

Die 28va. domi ſuæ venæ ſectionem inſtituit, eadem adhuc veſpera repetitam.

Die

Die 29na. ad Noſocomium defertur. Dolores artuum rheumatici hodie evaneſcunt. Vox rauca ab initio; ſitis hucuſque intenſa, capitis dolor obtuſus, & diminutus ſapor, attamen non depravatus; nullus appetitus; lingua humida, leviter albeſcens; decubitus facilis in omnem partem; nullus dolor; nulla thoracis oppreſſio, hypochondria nunc indolentia; anxietas ingens circa præcordia; pulſus pleni, fortes. Potus dabantur emollientes, nitroſi, copioſi, tepidi.

Die 30ma. Januarii venæ ſectio. Sanguis cruſtam craſſiſſimam, non contractam, tenacem, æruginoſam habuit. Urinæ fulvæ: remedia priora; cataplaſma ad præcordia. Alvus liquidior, levamen nullum: pulſus idem; ingens anxietas.

Die 31ma. Januarii nihil in melius mutabatur. Fit venæ ſectio: ingens, tenax, diffuſa, icterodes, cruſta phlogiſtica. Remedia eadem. (Ad nos adveniens videbatur leviſſime in facie flaveſcere, exceptis oculis, pulchre albicantibus; excepto & reliquo corpore, naturaliter ſe habente.) Levis hodie icterus per totum corpus adparuit. Pulſus iidem, uti etiam reliqua. Noctu moleſtiſſima & aſſidua tuſſis, & ferme inanis. Urinæ fulvæ, ſpiratio extra tempora tuſſiendi facilis, indolens

1ma. Febr. icterus intenſior, reſpiratio ſtrepens, fervens, tuſſiculoſa, pulſus pleni ſemper, & vibrantes, durique. Fit larga venæ ſectio; ſanguis majorem, ſed ejuſdem, ut ante, conditionis cruſtam habuit. Urinæ profunde flavæ. Ineffabilis anxietas circa præcordia, dolor vero nullus. Facilis in omnem partem decubitus. Per-

ſtat vox rauca. Mortem ſæpius invocat præ anxietate ; alvus facilis.

2da. Febr. mane, vigenti forte duroque pulſu, voce fere penitus abolita, & extremis frigentibus jam per aliquot horas, moritur, exacta morbi die undecima. Mens ſemper conſtabat. Alvus facilis ſemper, & bilioſa.

SECTIO.

Pulmo dexter totus inflammatiſſimus, durus, ponderoſus, carnoſus. Is arctiſſime pleuræ adhærebat ubique, uti & diaphragmati. Superficiem omnem pulmonis dextri membrana inveſtiit. Dimidiæ lineæ craſſitiem habens, ſolidæ compagis, & plurimis rubris vaſis diſtincta: ex duabus laminis conflata erat, facile ab ſe invicem dividendis ; quarum utraque membranam tenacem, quaſi vaſis quam plurimis & ruberrimis perreptatam, referebat.

Notandum eſt, & pleuram ex parte una, & membranam extimam pulmonis, fuiſſe ab his membranis prorſus diſtinctas ; neque poſſe haſce peregrinas membranas a degenerante, aut pleura, aut extima pulmonis ſuperficie, repeti.

Pleura, ſupremum & poſticum thoracis dextri cavum ſuccingens, inflammatiſſima reperiebatur.

Diſſecta pulmonis inflammati ſubſtantia colorem cinereo-rubrum exhibuit.

Interna aſperæ arteriæ ſuperficies, uti & bronchiorum ramorumque bronchialium, ruberrima fuit, atque inflammata.

Pulmo ſiniſter ſanus, atque longiuſculis, attamen validis, nexibus cum membrana pleuræ ubique connexus.

He-

Hepar mole permagnum, ex rubro flavum, ponderoſiſſimum, majorem ſolito duritiem ſecanti cultro opponens: ab hypochondrio dextro ad ſiniſtrum procurrebat, replebatque præcordia tota.

Veſicula fellea pauculum bilis pendulæ, tenaciſſimæ, & profunde flavæ continuit. Ex ductu bilifero veſiculæ felleæ, itemque hepatico, & communi, plena fuerat in inteſtinum duodenum libertas, & bilis poterat preſſione leviſſima in inteſtinum effundi.

NOTA.

1mo: Libertatem cubandi ſemper adfuiſſe, in quodcumque latus voluerat:

2do: Dolorem vere pleuriticum non adfuiſſe, atque ultimis diebus nullum, utut gravis adfuerit inflammatio ipſius pleuræ:

3tio: Icterum fuiſſe, viis, bilem effundentibus in inteſtinum, perviis & patulis, quales fuiſſe etiam durante morbo videntur, cum alvum poſuerit ſemper bile tinctam.

OBSEVATIO IV.

MURARIUS 40 annorum, antea ſemper ſanus, die Martis mane ſcalam, cui alius quidam inſiſtebat, valido niſu adhibito ſuſtentat. In ipſo hoc opere dolorem, quaſi aliquid intus ad cardiam dilaceraretur, ſentit: dolor augetur, & ad medium uſque ſternum per totum ſiniſtrum latus

latus aſcendit, ad umbilicum deſcendit: horret, caletque per vices; reſpiratio difficilis.

Die mercurii eadem omnia. Reſpiratio ſtrideus, fervens: obambulat.

Die jovis fit venæ ſectio in brachio: poſtea ſputat cruenta: nil emendatum.

Diebus veneris, ſabbati, dominica, omnia pejora. Hucusque extra lectum ſemper erat, laborabat, utut difficulter: quotidie vinum hauſit, & cereviſiam; morbum mero, labore & contemptu, ſuperaturus. Omnibus his diebus leviter per vices friguit, caluitque.

Die lunæ ad nos venit, ictero perfuſus non ſcio a quot jam diebus. Calor naturalis ad attactum: mens conſtans, vigor: ſputum cruentum; tuſſis, reſpiratio fervens dolorque, uti hucusque: pulſus omni modo inæqualis.

Mox ſecta vena; ſanguis cruſtam phlogiſticam, diffuſam, craſſam habuit. Potus tepidi emollientes exhibiti.

Die martis mane inter loquendum moritur.

SECTIO.

Icterus ſaturatus per totum corpus.

Pulmo dexter leviter in medio inflammatus, qua dorſum reſpicit; ſiniſter vero per totum inflammatiſſimus, & ſacco totus quantus incluſus, quem & a pleura, & ab ipſo pulmone, deglubere poteramus.

Saccus hic ex membrana conſtabat, vaſis plurimis, magnis, evidentibus, & evidenter cum pulmone nexis, aut ex eodem provenientibus, diſtinctus.

Aquæ flavæ unciæ tres in pericardio repertæ ſunt.

Ven-

Ventriculus magnus; varicoſis magniſque vaſis diſtinctus.

Veſicula bile tenaci mediocriter plena, ductibus in inteſtinum duodenum valde patulis, ut bilis libere tranſiret. Hinc inde maculæ rubræ in inteſtinis tenuibus; quaſi ab incipiente inflammatione.

Seri circiter libræ duæ ſubflavi in abdomine. Hepar valde flavum, molle, friabile.

OBSERVATIO V.

SCRINIARIUS 35 annorum ſanus antea, niſi quod Bacchanalium tempore catarrho laboraverit, non diu durante, ſexta Martii mane incaluit præter morem cum vagis horripilationibus, & cephalalgia gravi. Dolor acutus a mamma dextra uſque ad criſtam oſſis ilei protenſus. Bis eo die ſecta vena eſt ſine levamine; cruſta phlogiſtica, pleuritica. Eodem die vomitiones accedunt ſpontaneæ, aquoſæ, amaræ, virides. Alvus dura. Sumſit eodem die mixturam quamdam, quam ſuſpicor fuiſſe nitroſam.

Die 7ma. Martii ad Noſocomium defertur. Symptomata heſterna manent, ſponte vomit, & frequentiſſime, multa, amara, æruginoſa. Alvus dura, clyſteribus ſollicitata.

Die 8va. Martii cephalalgia mitior, lingua albidiſſima, villoſaque, at humectata; oris amaror; difficilis ſpiratio, & cum thoracis oppreſſione: dolor pungens ab ultima coſta ſpuria ad mammam dextram uſque, & procurrens ad ſcrobi-

biculum, remittens, ubi quietus jacet. Decumbit in dorſum, at in latus effectum difficilius cubat. Tuſſis moderata. Sputa pauca, tenacia, & hinc inde quaſi herbida, ac virefcentia. Sumit emollientia, copioſa, tepida, nitroſa: urinæ croceæ. Fit venæ ſectio; ſanguis valde phlogiſticus, & ſimul icterodes: levamen nullum.

Die 9na. Martii levis icterus; ſpontaneæ, æruginoſæ, copioſæ vomitiones. Veſperi vero non amplius ſponte vomebat, levari modice videbatur.

Die 10ma. Martii, ſeu 5ta. morbi, icterus paulo evidentior; nullæ vomitiones: urinæ ſature croceæ; calor intenſus; dolor punctorius levis. Continuabantur emollientia tepida, nitroſa. Cataplaſma ad totum thoracem dextrum, & hypochondrium dextrum adplicatum. Fit venæ ſectio perquam larga.

Die morbi 6ta. ſputa herbida, modice cruenta: reſpiratio anxia, brevis. Urinæ, icterusque, & calor, ut heri. Pulſus naturalibus parumper celeriores, ſubduri. Venæſectio facta eſt; cruſta eadem; remedia eadem.

Die 7ma. morbi eadem ſymptomata. Sputa multa, cruenta ſubinde, ſubinde vero viridiſſima. Serum lactis copioſe bibitur jam a biduo, & tepide. Venæ ſectio fit; ingens & icterica cruſta: urinæ ferme nigræ. Citata decurtata, & abdominalis, reſpiratio. Decumbit modo in utrumque latus: pulſus pleni, fortes. Calor intenſus & perſtans, icterus.

Die 8va. morbi ſputa, calor, decubitus, reſpiratio, uti heri. Semel æruginem modicam ſponte vomit. Anxietas magna. Alvum hodie ter ſponte poſuit *multam*, *albiſſimam*, *liquidam*, quæ ante ſolo moveri enemate hebuit. Reſpira-

ratio veſperi pejor. Celebratur venæ ſectio unciarum decem : ſanguis idem.

Die 9na morbi omnia eadem. Alvus ſpontanea, ſed *viridiſſima*, *& æruginoſa*.

Die 10ma. morbi nihil emendatum.

Die 11ma. morbi ob febrim valde auctam, & difficillimam reſpirationem, fit venæ ſectio.

Die 12ma. morbi mane venæ ſectio. Alvus hucuſque æruginoſa. Ex hoc tempore febris miteſcere interdiu cœpit, & nonniſi veſperi inſurgere.

Die 17ma. ſputa tenacia, partim puriformia, partim purulenta. Febris veſpertina.

Die 18va. & 19na. ſputa plurima.

Die 20ma. morbi vix ulla febricula, ſputa eadem. A triduo ſubinde e lecto ſurgit.

Ab hoc tempore emaciari, tuſſi maxime nocturna vexari, & ingentem ſputorum purulentorum vim educere. Adhibita fuere pleraque, quæ in viſcerum ulceratione commendantur, cortex, lichen, lac, inviſcantia &c.; nil profectum eſt. Accedente ultimis diebus diarrhæa colliquativa, animo erecto conſtantique, & vegeto ſenſuum uſu, homo ultra ſuam ſortem ſapiens, tranquilliſſime moritur die 17ma. Maji 1779. Icterus ad finem uſque vitæ perſtabat.

S E C T I O.

Pulmo ſiniſter arctiſſime & validiſſime per totum cohæſit cum pleura, & diaphragmate.

In cavo thoracis dextro aquæ pellucidæ libræ tres reperiebantur. Tota utriuſque pulmonis ſubſtantia innumeris abſceſſulis obſeſſa fuit, ita conſtitutis, ut alter in alterum aperiretur, & pus continerent.

Ve-

Veſicula fellea contracta, ſine ulla bile, vacua, atque valde anguſta erat. Ductus veſicularis, uti & hepaticus, & qui ex utroque coaluit, choledochus, impervii fuerunt per totum, atque occluſi, materia ſolida, ſuccum liquiritiæ inſpiſſatum referente; quæ, utut calculoſam duritiem habuerat, aqua tamen diſſolvi poterat, paulatim, & agitatione facta. Solutionem obtinuimus inde nigram, & attramento ſimilem.

Hepar mollius ſolito, & mole minus, quam plerumque reperiri conſuevit.

Intra tunicam vaginalem ſiniſtri teſtis unciæ quatuordecim aquæ limpidæ reperiebantur. A novem jam annis hac hydrocele laboravit.

Pleuro-peripneumonia utriuſque lateris, & hepatitis in eodem ægro jungebantur.

Uterque morbus abſque alterius adjutorio perſæpe perniciem infert. Acceſſit immanis quoque ſaburræ bilioſæ turgor.

Hinc explicari poteſt; cur ſola antiphlogiſtica methodus infringendæ inflammationi impar fuerit, relicto nempe acris, & æruginoſæ, ſaburræ ſtimulo.

Sed neque votis reſpondiſſet ſaburræ evacuatio. Nimis enim provecta, & gravior, inflammatio fuit, quam ut emeſi, utut ſtimulum inflammantem removente, non debuiſſet augeri.

Alvus pigra & flava plerumque fuit, dein vero æruginoſiſſima multo tempore, etſi impervias bilis in inteſtina vias a morte inveniremus.

OB-

OBSERVATIO VI.

JUVENIS 20 annorum, pincerna; corpore pleno, ſubrobuſto, a biennio, non interrupta ſanitate gaudebat.

5ta. Maji, cum cubitum iret, inhorruit, poſtea incaluit. Dedolatus erat; ſitivit; cephalalgia; oris amaror; anxietas, oppreſſo thorace, difficulter reſpirabat.

6ta. Maji calor & cephalalgia major: amaror idem. Dolor thoracem opprimens hodie auctus, & ad totum epigaſtrium protenſus; nauſeat; difficilis in utrumque latus decubitus: tuſſis cruenta. Fit venæ ſectio; ſanguis exhibuit cruſtam ſummopere pleuriticam: non levatur.

Die 7ma. & 8va. Maji, qua ultima ad nos venit, icterico colore tinctus, omnia eadem. Vena bis ſecta, & ſanguis pleuriticus, ac icterodes: levamen nullum.

Die 9na. Maji omnia pejora. Cruenta tuſſis hucuſque perſtat. Vena hoc die bis ſecta vix videbatur aliquid levaminis attuliſſe: ſanguis corium ictericum & pleuriticum habuit.

Die 10ma. Maji caput minus dolet. Totum corpus magis flaveſcit ſuffuſum bile. Os hucuſque ſemper amarum. Lingua hirſuta flavo muco oblinita: nauſeæ; reſpiratio citata, laborioſa; oppreſſio totius thoracis; anxietas magna circa præcordia. Scrobiculi, & totius abdominis quaſi *contracti* ſenſatio cum ingenti anxietate. Introrſum trahi potiſſimum hypochondrium dextrum exiſtimabat. Pulſus celer, amplus, plenus, at-

tamen abſque duritie. Alvus facilis & *biliosa*: decubitus ſolum in dorſum; rejectio cruenta: veſperi venæ ſectio; ſanguis uti antea. Hucuſque febris quotidie increvit.

Die 11ma. Maji datum eſt emeticum, unde multa, & profunde flava, revomuit, cum ingenti levamine omnium ſymptomatum. Tuſſis nulla, nec ulla cruenta ſputa. Icterus veſperi dilutior.

Die ſequenti icterus diſparuit.

Ex hoc tempore ſub uſu decocti ex gramine, taraxaco, cichoreo parati, ſumto dein *elixirio ſtomachico temperato* convaluit, ut die 20ma. Maji optime ſe habuerit, excepto adhuc aliquo crurum aquoſo tumore.

Peripneumoniam cum ſputo cruento, & hepatitide adfuiſſe bilioſo - inflammatoriam, hiſtoria morbi oſtendit. Neceſſum fuit primo, inflammationi mederi, tanquam pernicioſo effectui; bilioſæ & ſanguinem ſuccendentis atque amurcoſæ ſaburræ. Verum id non ſuffecerat, cum & ipſum ſaburralem ſtimulum dilutum, enervatum, mobilemque effectum, vomitu ſubmovere oportuerit.

Male emeticum, initio datum, ceſſiſſet: nam eo tempore minus idonea materies erat, ut evacuaretur, & excuſſo etiam fomite bilioſo æger ex inflammatione periiſſet, perſtante, atque adaucta.

OB-

OBSERVATIO VII.

FABER lignarius, ſexaginta & ſex annos natus, ultimo ſexennio ſanus vixit.

Cibi vix ullius; ſed ſtrenuus erat ardentium ſpirituum potator.

Toto Januario os continuo amarum habuit; non appetiit, ſponte, frequenter vomuit amara, viridia; toto abdomine doluit, ſine febre.

Initio Februarii in Noſocomium receptus, poſt quatuordecim dies ad ſuos rediit, nihil amplius incommodi conqueſtus. Noluit diutius apud nos morari, etſi ſalutarem decocti radicis graminis, taraxaci, & cichorei vim fuerat vel intra breve tempus expertus.

Circa 8vam. Martii diem priora recruduere: acceſſit iſchias & artuum dolor, quibus per tres ſeptimanas domi ſuæ conflictabatur. Apud nos denuo aliquod dierum ſpatio eadem ac prius methodo, & veſicante ad locum dolentem admoto, curatus, ad ſuos rediit.

Medio circiter aprili omnibus prioribus malis pejus affectus per quatuor ſeptimanas domi decumbit: ad nos venit; emetico levatus eſt: diſceſſit.

Decima ſeptima Maji in Noſocomium reverſus eſt corpore ſtrigoſo, imperſpirabili, & areſcente; greſſu titubante; ictero flavo, vireſcente, profunde ſuffuſus. Oris amarities, & lingua villoſa, muco flaveſcente obducta; dolor abdominis per vices recurrens, levior tamen, & contrectationis non impatiens, quive ad hypochondrium dextrum, indeque per latus vicinum ad hu-

humerum uſque aſcendit. Vomitiones amurcoſæ, virides, ſpontaneæ, crebræ, potiſſimum poſt aſſumta: alvus libera, ſubinde fluens; pulſus exiles, celeres; virium ingens ruina, &, carne penitus diſſluente, cutis aridiſſima vix oſſibus hæſit.

Ultimis morbi diebus placide deliravit. Periit die Junii 5ta.

SECTIO.

Jecur cum virore flavum, molle, & multis corporibus rotundis, juglandem nucem æquantibus, cum pauca flavedine albis, & quaſi ſebaceis, ubique diſſeminatis, per omnem ſubſtantiam diſtinctum.

Veſicula bilioſam amurcam continuit, quæ exprimi in duodenum nulla potuit ratione.

Ductus choledochus anguſtiſſimus corpuſculis rotundis fabam æquantibus, glandulas induratas, cartilagineas ferme referentibus, ubique obſeſſus. Canalis ipſe totus durus.

Pylorus (quemadmodum vicina quoque ventriculi portio, & initium duodeni) durus, craſſus, iiſdem, quibus ductus choledochus, duris & glanduloſis corporibus ubique conſitus.

Viſcera omnia thoracis & abdominis profunde flavicabant.

Flava quoque oſſium ſubſtantia fuit, utut minus ſaturate, quam partes carneæ.

Cartilagines per omnem ſubſtantiam flavæ erant, paulo tamen dilutiori flavedine quam qualem in oſſibus repereramus.

Subſtantiam cerebri, ictericis meningibus, colore erat naturali, uti etiam oculorum humores.

OB-

OBSERVATIO VIII.

VIR 62 annos natus, operarius, &, ut hoc hominum genus ſolet, paululum vinoſus, elapſo anno febre continua corripiebatur, brevi poſtea in tertianam converſa; qua poſt quatuordecim ſeptimanas ſanata, ſanus degebat hucuſque.

Ante 14 dies inhorruit incaluitque per vices incertas. Propinatum a Chirurgo remedium eſt, quod multam per os & per alvum ſaburram eduxit, cum quodam levamine.

Manebat tamen ab eo tempore ponderis in epigaſtrio ſenſus, appetitus dejectus, & ventriculi regio dura. Tuſſicula pauxillum muci educens; hypogaſtrium molle; facies, atque oculi per hos quatuordecim dies flavo colore tincti: vomitiones frequentes, ſpontaneæ, ingeſtorum.

Die 18va. Novembris in Noſocomium ſuſceptus eſt, ſtrigoſus, & carnibus abſumtis; alvo moroſa, bile tamen colorata. Febris nulla.

Die 9na. Decembris veſperi moritur, cum jam mane extrema frigerent, & arteriarum ictus leviſſime adhuc micantes, at appoſito digito evanidi, obſervarentur. Mentis & ſermonis facultas integra ad ultimum uſque vitæ momentum fuit.

Cranium reſectum exhibuit duram matrem ictérico colore tinctam: cerebri cortex obſcurioris paulo coloris, ac alias ſolet, exterior vero ejuſ-

dem ſubſtantia multo durior; cæterum nihil exhibuit vitiori.

Parum aquæ inter utramque menigem fuit, atque in utroque laterali ventriculo, in dextro plus, quam in ſiniſtro: hic plexum choroideum parvis hydatidibus obſitum monſtravit: plexus vero uterque multum rubebat.

Vertebralis utraque, ubi intra calvariam emergit, laminis oſſeis, quaſi inſulis interſtincta, quin & oſſea ex toto paucarum linearum ſpatio fuit; dextra tamen magis, quam ſiniſtra.

Pulmones, hinc inde granulis albis durisque interſperſis, ferme toti incipiente phlegmone tentari, duriores, rubicundiores, magisque, quam ſanorum pulmo ſolet, ponderoſi fuere. Levioribus hinc inde nexibus cum pleura, & diaphragmate coæſere.

Aperto abdomine ventriculus ingens in conſpectum prodiit, cujus poſterior facies longe lateque ex inflammatione, totam ipſius ſubſtantiam penetrante, rubebat; qua is in pylorum deſinit, hepati firmiſſimo craſſoque membranaceo vinculo nectebatur.

Hepar magnum, multumque infra coſtas prominens, & per regionem epigaſtricam protenſum. Colorem ex toto ictericum exhibuit.

Veſica fellea inflammata, intus puris albi, ſed ſolito conſiſtentioris unciam, aut paulo plus, at vero bilis nihil, continuit: ductus ex hac veſicula prognatus ex toto coaluit, cohærentibus inter ſe ejus parietibus, idque ibi arctiſſime omnium, quo is a veſicula naſci incipit. Canalis ſocius, quem hepaticum appellant, ita dilatatus inveniebatur, ut craſſiorem viri pollicem facile admitteret, latis æque canalibus, quaſi totidem

ra-

radicibus, hepar ſubiens. Bilis ibi profunde flava, & ductilis continebatur. At vero latus hic ductus mox in peranguſtum canaliculum, ductum ſcilicet choledochum, duros & ſex fere lineas craſſos parietes habentem, terminabatur. Duodenum, quo loco canalem hunc ſuſceperat, craſſius multo, duriusque fuit.

Inteſtina pleraque livida, omnia fere contracta admodum in funiculi ſpeciem: omentum gangræna affectum: meſenterium totum icterico colore tinctum rubras, hinc inde latiores, maculas, quaſi ex inflammatione, monſtrabat.

Pulmones & in hoc, & in pleriſque cadaveribus, *granuloſos* deprehendi; granulis videlicet innumeris, milii ſemen colore, & magnitudine referentibus, duris ad inſtar cartilaginis firmioris.

En hic quoque ventriculum inflammatum, abſque conſuetis & manifeſtioribus inflammationis ſignis. Viſceræ quædam inflammata abſque conſuetis inflammationum ſignis.

In hoc homine, uti in multis aliis, is hepar tetigit, qui ventriculi regionem exploravit: hunc enim ſitum, & hanc molem id viſcus habuit, habetque non raro.

Difficilior ſolum erat hepaticæ bilis in duodenum effluxus, non autem nullus.

Inteſtina livida vel abſque prægreſſa inflammatione fuerunt, vel prægreſſa eſt inflammatio, abſque ejuſdem ſignis.

Virorum icteros chronicos, potatorum præcipue, ſubinde vidi brevi lethales fieri, ubi æger (non contentus blanda & emolliente methodo morbum deliniri) remediis *potentius reſolventibus* fuiſſet uſus.

Vomitus ingeſtorum diuturni, initio rariores, aliquo poſt paſtum tempore oriri ſoliti, demum Icterus chronicus

 fre-

tatorum potentiora resolventia non fert.

frequentiores, & poſt quævis ingeſta, aut ſolidiora, aut copioſiora, mihi & in Noſocomio, & olim aliquoties occurrebant. Ventriculus nihil retinuit, niſi aut hydrogalæ, aut juris carnium pauxillum: demum ne hoc quidem: extrema macie confecti perierunt.

Anguſtiſſimos tunc pyloros offendi, & magnam ventriculi portionem, qua is pylorum ſpectabat, duram, ac ſemicartilagineam.

OBSERVATIO IX.

SARTOR 59 annorum, ab octodecim vero jam annis templi cuſtos, a longo tempore ſæpius vomituriebat, amara ructabat, matutinis præſertim horis: non raro toto propemodum animo linquebatur. Potui ſpirituum ardentium, & vini quotidie & largiter indulſit, eratque cibi perpauci.

Ante quatuor vero ſeptimanas os amareſcere magis cœpit, acceſſitque ciborum faſtidium, & artuum per intervalla rheumaticus dolor, noctu exacerbatus: ſitivit.

Tertia morbi die tribus pillulis aſſumtis vomuit ſemel bilioſa, ſæpius dejecit. Emaciari dein, & abdominis ſcindentes dolores pati, & univerſim flaveſcere cœpit. Sumſit adhuc aliquoties pulverem ex jalappa & ſcammonio, ſed omnia indies pejora. Decubuit vix non ſemper per integrum menſem.

7ma. Decembris ad nos venienti conſumtio multa: cutis oſſibus hæſit, flaveſcens tota; ſtri-

go-

goſa, & imperſpirabilis. Abdomen, attactum paulo rudiorem ægre ferens, tumebat tympaniticum in morem. Lingua impura erat, & os amarum: non appetebat. Vires fractæ, & pulſus exiles, celeresque. Sumtis per aliquot dies ſolventibus acceſſit diarrhœa colliquativa; 17ma. moritur.

SECTIO.

Cartilagines ictericæ.

Cute ab anteriori thorace ſeparata primum videre erat cartilagines, quæ coſtas ſterno adnectunt, flavenide tinctas, diluta quidem, ſed ipſam cartilaginum ſubſtantiam imam penetrante. Pericardium flavicabat pariter, uti & cordis extima ſuperficies. Pulmones a ſtatu ſano vix recedebant. Diaphragmatis facies ſuperior ſana erat, inferior vero flava, nodoſa, laminas cartilagineas exhibens majores, minoresque. Hepatis color erat ex obſcure flavo virideſcens, ſubſtantia valide compacta, dura.

Laminæ cartilagineæ diaphragmatis.

Veſicula fellea continebat bilem fuſcam, mucoſam. Ventriculus ſolito longe minor, flavicabat. Pancreas pugni magnitudinem & figuram fere referens, nodoſum erat, & durum, ſecantis manui valide reſiſtens. Inteſtina nihil, quod præter naturam eſſet, oſtendebant, excepto cœco, quod a flatu tumebat, & coli parte extrema, qua in rectum inteſtinum terminatur; hæc enim pars a ſiniſtro latere in dextrum tranſverſim porrigebatur ante ultimam lumborum vertebram; inde vero inteſtinum rectum ſecundum oſſis ſacri latus dextrum per pelvim ad anum uſque deſcendebat. Omenti margo inferior pendulus exhibebat plures ſeries nodorum, quorum varia magnitudo, figura varia, ut alii fabas, alii piſa majo-

ra, itemque nuces avellanas referrent; univerſim fuſci coloris, & cartilaginum inſtar duri.

Glandulæ meſenterii induratæ, peritonæi facies interior flavicabat tota, hinc inde obſita cruſtis & nodis cartilagineis. Abdominis cavo continebantur menſuræ fere tres aquæ flavicantis; quæ immerſam chartam tingebat. Membranæ corporis pleræque & perioſtium flaveſcebant, immo oſſa ipſa, & cerebri ſubſtantia, ſed modice.

Cerebri ſubſtantia modice icterica.

Obſtaculum bilis effluxum prohibens in inteſtinum duodenum erant tubercula dura, circumcirca pone biliferos canales ſita.

OBSERVATIO X.

Icterus emeſi repetita ſanatus.

FÆMINÆ 45 annorum, ictero profunde flavo, aut potius fuſco laboranti omnis generis ſolventia data ſunt, non emendabatur. Sapore amaro, ructibusque bilioſis, affligebatur. Dato tartaro emetico immanem ſaburræ bilioſæ molem rejecit, color facici dilutior fiebat. Deinceps ſingulis ſeptimanis vomitorium datum eſt, cum poſt aliquot ab emeſi peracta dies iterum ructus amaros experiretur, & ſingulum emeticum partem icteri aufferret.

Poſtquam ſexto vomitorio uſa eſſet, ex integro convaluit.

Infidus tamen plerum-

Emetica in ictero rarius convenire obſervavi, etſi in caſu præſente, & aliis perpaucis profuerint ferme ſola.

Icte-

Icterus enim a vomitorio non raro intendebatur, aut motus febriles, qui antea non adfuerant, excitabantur. Hinc ſolum in ictero non febrili, nec diuturno, præmiſſis multis ſolventibus, & fotu præcordiorum emolliente, atque is iis, quorum viſcera, antequam ictero corriperentur, integra exiſtimarem, atque illæſa, vomitorium cum emolumento propinavi.

que eſt emeticorum uſus in ictero.

OBSERVATIO XI.

IN tribus ictericis hoc autumno poſt adhibita aliquot dierum remedia efflorefcentiæ naſcebantur omni nota *ſcarlatinoſæ*, itemque *miliares rubræ*, in brachiis maxime, atque per crura diffuſæ. Ut primum hoc exanthema in conſpectum prodiit, aliqua icteri emendatio obſervabatur, qui protracto eorumdem remediorum uſu ex toto profligabatur.

Effloreſcentiæ ſcarlatinoſæ ictericorum.

An *ſcarlatinoſum*, & *miliare* exanthema a bile eſt in febre *ſcarlatinoſa* & *miliari*, quemadmodum nempe eryſipelas ab eodem humore generari ſolet?

OB-

OBSERVATIO XII.

IN cadaveribus eorum, quos colica ſaturnina correptos ſuperveniens epilepſia peremit, veſiculam felleam ſemper deprehendi multa & viridi amurca bilioſa turgidiſſimam; abſque ictero plerumque, aut præcedente, aut conjuncto, niſi leviori, & raro.

OBSERVATIO XIII.

SUTOR febre putrida laboravit: provecto morbo icterus acceſſit. Febris ante aſſidua nunc in remittentem mutatur, debili, celerique pulſu, & aridiſſima lingua: conſumptio carnium. Decocto corticis & icterus, & febris auſcultabat.

OBSERVATIO V.

JUVENCULÆ 20 annorum a 5 menſibus catamenia non fluxerunt. Ab octo ſeptimanis ventriculo doluit; calores fugaces, & vagos, minutumque apetitum, & laſſitudinem experta. Ver-

Vergente Julio pharmacum potavit draſticoteron; unde ventriculo vehementer, & multis vicibus, ſubverſo multam æruginem revomuit, valideque dejecit.

Inde tormina, febris, aurigo intenſa, & cum die 6ta. Auguſti Noſocomium adiret, lingua prærubra, & pulſus fortes, accelerati.

Cum febris, & icterus intenderetur, &, alvo immorigera vomitiones ingeſtorum accederent ſpontaneæ cum epigaſtrii cruciatu, atque ab remediis non levaretur, die 13tia moroſior, oblata quævis averſaretur, & ejularet per vices, accedente ſubinde lumborum dolore; tandem impos mentis, & æruginoſa aurigine contaminata, die 15ta. Auguſti, fœtu recenter mortuo prius excluſo, periit.

Videbatur vitriolum cupri ſumſiſſe, quo fœtum expelleret; remedium in vulgus notum, & cui non pauca funera debentur.

Secto cadavere veſicula fellea bile ex flavo vireſcente plena fuit, & ejuſdem humoris per *amplos* ductus liberrimus in duodenum effluxus. Hepatis ſubſtantia ita mollis reperiebatur, qualis alias pulmonum eſſe ſolet ſanorum. Vacua inteſtina & flatu turgidula. Meſenterium multis in locis prærubrum, & veluti ſugillatum.

An ductus bilem in inteſtinum ferentes in vivente quoque aperti, atque ampli fuere? An vero aut ſpaſmo conſtricti, aut ab utero grandeſcente compreſſi?

OB-

OBSERVATIO XV.

Rupta veſicula fellea, & bilis in abdomen effuſa.

FÆMINA triginta octo annorum a menſe Novembri catameniis caruit, abdomine inde pedetentim increſcente; ſe gravidam eſſe negabat.

9na. Martii noctu derepente, & vicibus repetitis vomere cœpit ingeſta, dein bilioſa viridia: alvus a quinque diebus clauſa; horror; frigus; calor alternans; oppreſſio pectoris, ſitis magna; & ingens abdominis cruciatus.

10ma. Martii circa meridiem in Noſocomium ſuſcepta, ſemel ſponte & copioſiſſime dejecit. Veſperi venæ ſectio: ſymptomata eadem.

11ma. mane altera venæ ſectione ſanguis valde compactus leviter phlogiſticus emittebatur; lingua ſicca cum cruſta ex albo flaveſcente; urina jam in tertiam diem ſuppreſſa applicato cathetere magna quantitate educebatur: dolor abdominis continuus, attactum non ferens, per vices exacerbatus, maxime in regione hypochondrii dextri: cutis ſubflaveſcens, perſpirabilis; pulſus fortis, celer, plenus, & durus. Denuo ſecta vena eſt, & data ſunt mucilaginoſa, oleoſa. Fotus emollientes ad abdomen applicantur, & enemata.

12ma. Martii noctu, ventriculo aliquoties adhuc & ſponte ſubverſo, æruginoſa multa, dein pituitoſa, & nigreſcentia rejecit. Summo mane inter parientium dolores cum hæmorrhagia magna per vices repetente excipulum petiit, in quod

quod fœtum quinque menſium excluſit, per horam adhuc viventem.

Tribus poſt fœtum excluſum horis occubuit.

Diſſectus thorax nil vitioſi habuit.

Abdomine recluſo bilis flavæ, mucoſæ, libra in cavum abdominis effuſa colligebatur. Inteſtina omnia leviter hinc inde inflammata, multisque in locis liveſcentia. Hepar coloris dilutioris, quam ſoleat eſſe, & ſubſtantiæ mollioris fuit. Veſicula fellea collapſa maculam obſolete rubentem exhibuit, monetæ cruciferæ magnitudine; cujus medium foramine exiguo pertuſum eſſe, paucula bilis, ea digitis compreſſa, profluens, itemque injecta aqua demonſtravit, qua in altera veſiculæ parte, pertuſæ maculæ directe oppoſita, tuberculum prominuit inflammatum, & magnitudine ciceris. Duo calculi minorem avellanam æquantes, obtuſis angulis præditi, intra veſiculam reperiebantur. Ventriculus ingens copioſam materiem nigram, leviter mucoſam, & ferme roob ſambuci aqua dilutum referentem, qualem ultimis vomitibus non exigua quantitate reddiderat, continebat. Pylorus pollicem facile admiſit. Inteſtinum duodenum liveſcens, & amplum valde, ut potius colon referret.

Ductus hepaticus, cyſticus, choledochus, pervii fuerunt. Placentam oſculo uterino ante abortum ſupertenſam fuiſſe, diſſecto utero, conſtabat.

Sero intellexi, fæminam hanc infuſo ſabinæ furtivi amoris fructum perdere tentaſſe.

OBSERVATIO XVI.

FÆMINA quadraginta annorum per duos annos menſtrua nulla habuit; bene cæteroquin valens ante annum lapſum ex alto paſſa, nil tamen mali inde retuliſſe ſe ajebat, at ſanam poſthac vixiſſe, donec antea medium annum, poſt cibum præcipue paulo largiorem, preſſionem ad ſcrobiculum ſentire inciperet. Dolor cæterum nullus. Ex amicarum conſilio vinum dein amaricans per aliquot dies ſumſit. Vomuit inde per intervalla mucoſa, tenacia, item alimenta. Jejuno ventriculo non vomuit. Continuato per vices vomitu preſſionis ad cardiam ſenſatio intendebatur.

Ante novem circiter ſeptimanas, quin ſenſus rupti cujuſdam abſceſſus præceſſerit, vomuit materiam, Medico *purulentam* affirmante, primo meracam, dein ſanguine ſtriatam. Quantitas materiæ per intervalla rejectæ mens. IV. V. æquabat. Preſſio inde minor & levamen; corporis vero, robuſti antea craſſique, de die in diem major conſumtio. Hoc rerum ſtatu ægra die 1ma. Martii 1777. ad Noſocomium venit. Exactis hic tribus ſeptimanis reſiduæ vires proſternebantur. Omnino non appetiit; non caluit, non ſitivit; vomitus per intervalla, præprimis poſt ingeſta; ſapor rejectorum acidus, color vero cinereus, fuſcus, niger, & lintea, veluti atramento, tingens; levamen a vomitu; ardor circa ventriculum, & per œſophagum ad fauces uſ-

uſque ; alvus tarda. Pulſus contracti, non debiles, naturalibus vix celeriores ; ſudores noctu nulli ; difficilis decubitus in latus dextrum, & vomitum promovens, tumor manum æquans in regione ventriculi verſus hypochondrium ſiniſtrum ; durus, & ad attactum dolens. Circa 27mam. Martii corpus erat pallidiſſimum, vix obſervandus tumor a duabus fere ſeptimanis, pulſus humiles debiles ; faciei, artuumque leve œdema ; reſpiratio parva ; in latus affectum continuo decumbit. Mens conſtans, & initio diei 28væ. Martii mors.

Altera die ſectum cadaver eſt. Siniſtrum thoracis cavum libras duas cum dimidia aquæ leviter flaveſcentis continuit, dextrum vero vix unciam ejuſdem aquæ. In dextro pulmone hydadatis avellanæ magnitudine ex penduncúlo tenui ſuſpendebatur. Pulmones maculis parvis nigriſque variegati, ſani cæterum. Cor parvum. Aqua in pericardio nulla, & pauca in abdomine. Hepatis gibba facies cum diaphragmate membranaceo coalitu, digitis ſolvendo, nectebatur. Siniſter hujus viſceris lobus, ventriculi regionem occupans, ad duos tranſverſos digitos ſupra umbilicum terminabatur, eamque duritiem, quam manu toties contrectatam ultimo, quo vixit, tempore identidem minui credebamus, effecerat. Hepatis pars illa, cui veſicula fellea inſidet, cum duodeno, quo id ex ventriculo emergit, ipſoque pyloro ad tres fere digitos tranſverſos validiſſime cohæſit ; cum eodem inteſtino duodeno etiam colon tranſverſum valide nectebatur.

Diviſis cultro ab ſe invicem connatis hepate & ventriculo, ulcus ſemialterum digitum latum in conſpectum prodiit ; hinc duodeno proxime pylorum, illinc lobo hepatico eroſis : parietes

ulceris craſſi. Materies ex eo profluens, atra, odoris penetrantiſſimi, acerrimique, & quaſi acidi. Veſiculæ felleæ, & ductuum biliferorum nulla veſtigia comparebant, videbaturque hoc bilis receptaculum cum ductibus ſuis eliſum, eroſumque ipſum ulcus formaſſe. Ventriculus ingens totum hypochondrium ſiniſtrum implebat; eadem atra, quam vomuerat, materie turgens. Lien exiguus, ventriculo arcte connatus. Tranſverſa coli portio poſt arctum cum duodeno, & pyloro coalitum ad tres infra umbilicum digitos deſcendebat; inde ſurſum & ſiniſtroſum pergens, flexum lienarem formabat. Omentum ſano ſimile, uti etiam meſenterium. Inteſtina livida. Rectum ſupra uteri fundum contra ſe ipſum retorquebatur; eo vero loco, quo id uterum, vaginamque ſibi incumbentem habet, non recta per pelvim via, ſed huc & illuc flexum ad anum pergebat. Uteri tota poſterior facies cum ſubjecto inteſtino recto firmiſſime, cum eoque & ovaria exigua, ſtrigoſaque coaluere. Tubæ utrimque digiti craſſitiem æquantes, ſerum flavum & mucilaginoſum continuebat. Ovaria complexæ tubarum fimbriæ, ipſæque tubæ cum iisdem & recto inteſtino nexu continuato membraneoque, quem cultro vix ſolvebamus, utpote difficilime ab ipſis viſceribns connexis internoſcendum, jungebantur. Uterus exiguus, intra parietis dextri ſubſtantiam tumorem rotundum durumque, nucis juglandis magnitudine, continens. Cultro per medium diſſecanti, eam is tumor duritiem oppoſuit, quam mollior cartilago ſolet; albidus, quique digitis excipi ex ejuſdem parietis ſubſtantia veluti ex folliculo poterat. Ex inferiori & interna colli uterini facie duæ albidæ, quatuor lineas longæ, unamque latæ, excreſcentiæ prodibant. Glan-

Veſiculæ felleæ defectus. An ab eroſione.

Uterus, ovaria, tubæ cum recto inteſtino firmiſſime nexa.

Glandula thyroidea in pugni magnitudinem diſtenta mucilaginem intra ſubſtantiam quaſi cellulosam, cum ſecaretur, exhibuit; ſeptis *cartilagineis* diverſa intus cava, muco tenui cellulisque membranaceis referta, efformantibus. Strumæ diſſectio, natura.

Nulla ſuffocatio nocturna obſervabatur; ſemper cubabat capite humili, ſituque fere horizontali.

Quare vomitus, ſi quando in latus dextrum cubaret?

Duritiem opponunt, & viſcerum indurationes mentiuntur muſculi abdominales, recti præcipue, in iis maxime, qui eoſdem habent magis toroſos, exercitatos &c. Item hepar prominens indurationem ventriculi fingit. Quædam deceptio in explorandis tumoribus abdominis.

Doleo, me naturam ichoris non examinaſſe accuratius, qui acidum penetrantiſſimum olebat.

Nulla adfuit unquam febris, in peſſima licet ſuppuratione.

OBSERVATIO XVII.

DIE 5ta. Decembris 1779. Fæminam ad nos deportabant, delirantem a quatriduo, corpore emaciatiſſimo, ſtrigoſoque; 34 circiter annos natam, & viro junctam a decennio. Maritus ſequentia narrabat:

A menſis Julii initio, frequentes cardialgias paſſam, emaciari cœpiſſe; acceſſiſſe tormina frequentiora, & ante has 15 ſeptimanas vomitum ingeſtorum, initio rarius, dein vero quotidie cre-

brius recurſantem. A duobus menſibus alvum, ſemper antea jam moroſam, ita deſidem eſſe factam, ut non niſi acri enemate aliquid duræ fæcis emitteret.

Vino largius indulſiſſe, non raro uſque ad crapulam. Nunquam peperiſſe, niſi una vice, & ante annos bene multos: eodem, quo ad nos deferebatur, die periit.

Diſſecto cadavere pylorus obſervabatur anguſtus, & ſolito durior, quive calamum ſcriptorium vix admitteret.

Multa pylorum & duodenum corpora glanduloſa, duriora, majoraque obſidebant. Veſiculam felleam in fabæ molem, & figuram contractam exigui calculi, ſeu potius *ſabulum bilioſum* replevit; deleto, impervioque ductu cyſtico, hepatico vero, & choledocho apertis. Hepar bonum; craſſa inteſtina multa fæce infarcta. Uteri oſculum prædurum, cartilagineum.

In aliis potatorum cadaveribus non diſſimilia vitia bilioſi & gaſtrici ſyſtematis occurrebant.

OBSERVATIO XVIII.

METASTASES bilioſæ frequenter occurrebant; erantque variæ, atque ad varias corporis partes factæ. Viridiſſima ſputa, & meram æruginem anacatharſi eductam in pleuroperipneumonicis non raro licuit obſervare, & linguam æruginoſo, aut praſino colore tinctam. Gravis ſimul inflammatio, forte ab ipſa acri bile ſuccenſa, pulmones tenuit.

In

In quibuſdam dilutam bilem, croceam, & quæ linteum aut chartam croceo colore tingebat, modiciſſime pendulam, ut vinum pendulum ſolet, atque illi bili per omnia experimenta ſimillimam, quam, ex veſicula fellea depromptam, aqua diluebam, ad varia corporis loca, e. g. ad cavum thoracis tranſlatam offendi. Liber nihilominus erat effluxs bilis in duodenum.

OBSERVATIO XIX.

ICTERICAM hoc autumno florum arnicæ decocto ſanavi; atque aliam felle taurino, ad dr. j. initio, deinde ad dr. ij., quotidie dato.

Cuidam alteri vireſcente ærugine contaminato gummi ammoniacum profuit aceto ſcillitico ſolutum, & ad duas primo, dein vero ad tres quotidie drachmas, propinatum.

Vigente hyeme & conſtitutione inflammatoria icterus non raro phlebotomiam, & potus antiphlogiſticos ſolum admittebat, reſolventia averſabatur.

OBSERVATIO XX.

QUIDAM cataracta mulctati, cum in originem morbi atque ejuſdem occaſionem inquirerem, aſſerebant, ſe repente viſu fuiſſe privatos, quo tempore febre acuta fuerant de- *Origo quarumdam cataractarum.*

 ten-

tenti, quam *bilioſam* fuiſſe examinanti conſtabat.

Sed alias quoque cataractarum origines multas & varias erat obſervare.

DE

AFFECTIONIBUS QUIBUSDAM NERVOSIS.

OBSERVATIO I.

Chorea S. Viti.

Extractum radicis belladonnæ in chorea S. Viti.

PUELLA 5 annorum, ſemper antea ſana, circa medium Novembris 1778, curru in itinere ſubverſo, quo una cum parentibus vehebatur, vehementer terreſit. Nullum ullibi vis illatæ ſignum comparuit: nullibi dolor.

Mox a lapſu omnes corporis motus promptius, & multo velocius ſolito, ac quaſi raptim peregit, attamen ordinate. Poſt octiduum motus etiam facere exleges & geſticulationes cœpit; nec firmiter ſtare, nec ſingula, quemadmodum antea ſolebat, vocabula proferre.

Tandem nec ulla ratione aut ſtare, aut ſedere erecto corpore potuit: motus omnium articulorum varii, geſticulatorii, citati; nil poterat profari.

fari. Oris & labiorum aſſidua motitatio, & ludicra contorſio. Nocte placidiſſime dormit & corpore quieſcente. Appetitus viget.

Die totius morbi decima octava ad nos deportatur.

Remedium ſalinum, & eccropoticum initio dedi, dein emeticum; quod interpoſito aliquot dierum ſpatio iterabatur. Non emendabatur. Acceſſi dein ad uſum florum zinci, quos ſinceriſſimos adhibui, ita ut omni quarta tantum hora duo grana exhibuerim: nihil mutatum eſt. Deſtiti poſt ſeptem dies. Fors debuiſſem experimentum protrahere. Verum nolui tempus terere, metuens, ne malum radices agat fixiores, & nervi morbo aſſuefiant.

Dedi extractum ex ſucco recentis radicis belladonnæ paratum, doſi unius grani per 24 horas, ea lege, ut quarta quavis hora ſextam unius grani partem abſumeret. Elapſo biduo emendationis veſtigium leve comparuit. Dabatur dein granum unum cum dimidio dilutum in aqua ſimplici. Poſt ſex dies elevare ſe in lecto potuit, & ſola ſedere. Intra octo dies ſola etiam ſtare, & tandem aliquot paſſus eundo conficere.

Sub finem Decembris 1778 cubiculum & ambulacra obambulat, percurrit, curſu etiam veloci. Brachia necdum ſunt penitus emendata; cibum enim manu propria capere non poteſt, & brachio dextro, manuque ſubinde ab objecto, ad quod extenditur, adhuc aberrat. Vocabula omnia profert, atque ordinate loquitur, attamen cum aliqua adhuc difficultate, & moroſe. Labiorum ſubinde motus inordinati obſervantur. Sumit per dies aliquot ejuſdem extracti grana duo, in ſex doſes diviſa.

Trigeſima Decembris in febrim quotidianam,

ſed levem, incidit. Datum eſt lene ſolvens & deinde cortex peruvianus.

Stante febre nil emendabatur, neque etiam habebat pejus.

Sexta Januarii 1779 nulla acceſſio febrilis obſervabatur. Ea die præſcripſi ſequens:

℞. Spiritus ſerpilli
Eſſent. caſtorei, ā. unc. ij.
Camphoræ. drach. S.
M. D. ut totum dorſum, lumbi, humeri, brachia omni mane probe fricentur.

Die 9na. 10ma. 11ma. Januarii utroque brachio dextre apteque utitur ad cibos capiendos: vegeta eſt, & alacris: convaluit.

OBSERVATIO II.

Convulſio chronica.

Idem extractum in convulſione.

PUELLA undecim annorum 1778 verno tempore mihi committebatur. Ea a triennio, ni fallor, frequenter levi totius corporis horrore, quaſi ab affuſa inopinate frigida, perſtringitur, artubus omnibus leviter & per momentum, fulguris inſtar, convulſis. Hac tranſitoria convulſione, perſtante integro omnium ſenſuum uſu, ſæpiſſime ſingulis diebus vellicabatur. Convulſa non corruebat, niſi per raro. Dederam corticem peruvianum, valerianam ſylveſtrem, folia aurantiorum, aſam fœtidam, camphoram, flores zinci &c.: nil emendabatur. Dedi tandem extractum

ctum radicis belladonnæ; primum granum unum intra 24 horas, ita, ut grani unius pars ſexta pro doſi propinaretur. Tandem exhibui grana ij. intra nychthemeron. Intra paucos dies rarius convelli cœpit. Tandem poſt 14 dies omnino non. Defecerat extractum, nec ejus ulla erat eo anno recuperandi facultas.

Puella Hungariam petiit, ubi denuo levicule convelli cœpit per vices; ſed multo rarius, quam initio, & magis tranſitorie.

Pinguis & optime valens e Noſocomio diſceſſit.

OBSERVATIO III.

Epilepſia.

CUIDAM alteri puellæ, pauperrimæ, orphanæ, tredecim annorum, a triennio convulſæ epileptice, id extractum dedi; doſi initio minutiſſima, deinde largiori, ut intra 24 horas grana octodecim in ſex doſes diviſa abſumeret. Cum ante uſum remediorum ſingulis diebus ſæpius convelleretur, id nunc erat lucrata, ut integris diebus a paroxyſmo epileptico libera perſtaret. Integris quondam octodecim diebus continuis morbus ſiluit, rediit tamen poſtmodum, utut minus frequenter. Paroxyſmus mihi videbatur plerumque eo gravior eſſe, quo longior præceſſerat ab eo immunitas. Experimentum proſequi non licuit, cum puellam quidam ejus cognatus e Noſocomio abduceret.

Idem extractum in epilepſia.

OBSERVATIO IV.

Actiones extracti belladonnæ in corpus humanum.

Clarissimus de Wasserberg, omnigena eruditione illuſtris, cui aliquid extracti belladonnæ commiſeram, ut data occaſione ejus quoddam periculum faceret; vim remedii in ſe ipſo expertus, ſequentia reſcripſit; obſervationibus meis cæteris amuſſim conſona:

Mutationes ab extracto belladonnæ in corpus humanum inductæ.

» Ab uſu pillularum extracti belladonnæ, quarum in proprio corpore periculum feci, ſenſi oris ſiccitatem ac œſophagi magnam, hinc ſitim; ſiccitatem præterea narium ac oculorum, cum ſenſu quodam ardoris in hiſce ac palpebris. Dum quatuor de die ſumebam, magis adhuc, dum augere doſin volui, cephalalgia; lectio ad lumen candelæ difficilis, linearum ſubſultus, legenda oculo breviori ſub foco admovenda: in ore ſapor ſubvinoſus; pulſus mollior, tardior paulo, quam alias eſſe conſuevit; ſubin ardor quidam ad cardiam: cephalalgia auctam doſin certiſſime nunquam non inſequuta, cum quodam ſtupore, mentiſque acie obtuſiori reddita ».

OB-

OBSERVATIO V.

Epilepſia.

FILIUS Conſiliarii Sz. * * quarto ætatis anno initio ſæpius quodam quaſi terrore momentaneo, & levicula, ſubitanea, brachiorum convulſione perſtringebatur. Cauſam ignorabant. Ea affectio & crebrior evaſit, & diuturnior graviorque, ut tandem in veram epilepſiam abierit, cujus aſſultus non raro quotidianos, & quavis die plerumque ſæpius, perferebat. Nonnunquam integris quatuordecim diebus, quin & multo pluribus, immunis a paroxyſmo fuit, abſque manifeſta ratione.

Uſus extracti belladonnæ & electricitatis contra inveteratam epilepſiam.

Innumera remedia per hos annos adhibita nil effecerunt, niſi ut morbus a quovis fere medicamine, anthelminticis variis, moſcho, camphora, caſtoreo, valeriana, aſa fœtida, marte, foliis aurantiorum, cortice peruviano, fœdo quoque & ſordido menſtrui ſanguinis potu intendi, & frequentius affligere videretur.

Annum agebat 13tium, quo mihi concredebatur. Dedi exacta æſtate anni 1779. extractum radicis belladonnæ; minutiſſima primum doſi, ſenſim aucta, ut ſub finem anni ejuſdem intra nychthemeron grana viginti devoraret in quinque doſes diviſa.

Paroxyſmi ab aſſumto extracto mitigati primo, dein totis ſeptimanis non redire; reverſique imperfecti fuerunt, & qui ægrum in terram non

pro-

proruerent, neque mente privarent, & cito evaneſcerent, præcipue ſi quis fortiter alloqueretur trementem ægrum. Verum noctu, atque inter dormiendum nihilominus ſubinde verus perfectusque rediit epilepſiæ inſultus.

Juſſi ut doſin dormitum eunti & aliam media de nocte propinent.

Non rediit amplius acceſſio noctura; interdiu vero rarius atque imperfecte.

Spes eſt, eodem remedio, quod morbum cicuravit, eum penitus fore perſanandum.

Dum hæc typis mandantur, ad machinam æger quotidie accedit. Sub uſu electricitatis, & pillularum ex belladonnæ extracto paratarum, nullus eſt jam a multis ſeptimanis epilepſiæ paroxyſmus, neque imperfectus, obſervatus.

OBSERVATIO VI.

Convulſio ex terrore.

OCTO annorum puer, ſemper antea ſanus, pridie feſti Nicolai ſimulato ſpectro terrebatur. Exactis ab eo terrore 24. horis, cum iterum putaret ſe terreri (etſi nemo tunc ipſum terrefecerit,) ſubito ad parentem adprehendit, clamatque, ſe a ſpectro jam correptum iri. Hic metus, cum clamore & fuga ad proximum adſtantem, hucuſque frequenter rediit inſperato, quavis fere die, ſubinde tamen poſt plures primum elapſos dies.

In Noſocomio id illi accedit aliquoties; curſitan-

tando, clamando, proxima quævis valide apprehendendo, per aliquot minuta ineptiebat, inſaniebatque.

Sumit quotidie gr. j. belladonnæ. Altera die, ex quo ſumere hoc remedium cœpit, tota die inſaniebat, noctemque egit inſomnem. Inde a paroxyſmo immunis manſit uſque ad 2dam. Nov., ubi per aliquot minuta prioris morbi acceſſum patiebatur. Die ſequenti dedi extracti belladonnæ gr. ij.

Die 9na. Nov. denuo paroxyſmus rediit. Data ſunt gr. iij.

Cum acceſſiones morbi frequentius reverterentur, cum impotentia mentis, & alterius aut cruris aut brachii vel utriuſque convulſione, & ſopor, brevi quidem evanidus, paroxyſmum terminaret, morbusque ſub uſu belladonnæ ad epilepſiam magis magisque accederet; verminoſum quid ſubeſſe in macro puero, coloris terrei, ruſtico & pauperiore arbitratus, purgare ventrem anthelminticis cœpi. Crebriores inde paroxyſmi. Camphora & extracto chamomillæ nunc utitur; verum hucuſque abſque effectu optato.

Serius ad machinam electricam adductus melioris eſſe coloris cœpit, & rariores multo leviores-que pati paroxyſmos.



O B.

OBSEVATIO VII.

Chorea S. Viti.

Chorea St Viti anthelminticis, & pituitam incidentibus ſanata.

JUVENIS 16 annorum, cellæ vinariæ curator, die 23 Maji 1779. caput temulentum querebatur; cætera ſanus.

Die ſequenti temulentia major, ardor cum ſenſu preſſionis ad ſcrobiculum, utriuſque hypochondrii inflatio, ructus ſubacidi; nauſeæ, conatus vomendi, febricula vaga, dolor per lævum brachium veluti rheumaticus, ac ſenſus urticationis cum levicula ſubinde ejuſdem contractione, & momentanea convulſione: noctes turbatæ.

Die 26. Maji brachium ſiniſtrum geſticulationes motusque facit, magis magisque inordinatos, atque animæ imperanti obedit minus. Symptomata reliqua perſtiterunt.

Die 27. ira excanduit. Omnia pejora, cum ſiniſtri cruris quoque motu inordinato.

Die 28. lingua exiguis puſtulis, obſita, atque oris in lævum latus retractio acceſſit.

Die 30. Maji in facie quoque quædam puſtulæ effloruerunt: augebantur priora. Venæ ſectio, quam die ſequenti repetiit: levamen nullum. Noctes perquam inquietæ.

1ma. Junii in Noſocomium ſuſceptus eſt. Præter ſuperius enarrata, linguam albeſcentem exhibuit. Alvus difficilis & rara ſemper fuit.

Sum-

Sumtis ſolventibus, ſalinis, emeticum hauſit: vomuit amara. Febricula diſparuit, cum omni moleſtia præcordiorum. Artus multo quietiores.

Poſt emeſin eccoprotica ſumſit, atque ita eſt emendatus, ut die 7ma. Julii de ſolo ferme ſiniſtri brachii atque humeri dolore rheumatico querelas moveret. Poſito igitur inter ſcapulas veſicante, diaphoreticus potus exhibebatur. Verum die ſequente, (8. Junii) abſque cauſa manifeſta incœpit flere, geſticulari omnibus artubus, trunco corporis, capite, muſculis omnibus faciei, & multa fatua per vices loqui.

A gummiferulaceis pejus habuit, a camphora peſſime. Continuum oris gluten & dentium ſordes accuſavit.

Ab eccoproticis ſalinis emendabatur denuo, non curabatur.

Ab extracto radicis belladonnæ vertigo, cephalalgia, delirium, furor eſt ortus, ut, eo ſepoſito, purgare denuo ventrem placuerit rheo, & ſalibus mediis, cum multo oxymelle ſquillitico propinatis. Inde lumbricum dejecit, (plures jam olim repetitim ſeceſſiſſe ajebat), & pituitam; alvo mediocriter, ſed quotidie, fluente. Oris gluten, artus, atque omnia reliqua ſic emendata ſunt, ut ſub menſis ejuſdem finem ſanus ad ſuos redierit.

OB-

OBSERVATIO VIII.

Chorea S. Viti priori ſimilis.

Idem morbus, eodem modo ſanatus.

CHOREAM S. Viti, ab amareſcente primarum viarum pituita natam, ſolventibus, eccoproticis, rheo, arcano duplicato & oxymelle ſquillitico, ſanavi in alia puella, quam diuturnus ante eum morbum rheumatiſmus affluxit; neglectus, atque in choream S. Viti, ſuapte tandem fatiſcens. Nocuere ſtimulantia, extractum quoque radicis belladonnæ, flores zinci, flamma electrica, in ea ſpecie choreæ, quam tubi inteſtinalis pituira & vermes produxerunt.

OBSERVATIO IX.

Tetanus maxillæ, fracturis & contuſionibus ſuperveniens, lethalis.

MAGDALENA Kaningerin die 26 Junii ſuccenſa turri pulveraria ſingulari ratione lædebatur. Brachium dextrum binis in locis diffractum. Pes ſiniſter infra malleolum externum vulnere cutaneo læſus. Crus ſiniſtrum & ejuſdem lateris femur, ac nares validiſſime ſugillati. Apte de-

deligata bene habuit, ac multo melius, quam omnes alii, eodem tempore & ex eadem ratione ægrotantes: venæ ſectio facta.

Die 3tia. levis dolor lateris ſiniſtri punctorius, levicula febris: venæ ſectio & potus tepidus emolliens, eadem adhuc die dolorem ſuſtulit.

Attamen vulnus illud pedis cutaneum eadem die gangrænеſcere cœpit. Scarificatio facta eſt partis gangrænoſæ, & deligatio cum ſpiritu terebinthinæ, camphora, unguento de ſtyrace, &c.

Partes gangrænoſæ die 7ma. ſeceſſere. Tendo nudus, boni coloris, & integer apparuit. Nullus ullibi dolor.

Die 9na. ſera veſpera tetanus maxillæ per vices acceſſit; noctu perſtitit, ita, ut apicem minimi digiti difficillime utrque maxillæ interponeres. Per vices ea nocte difficulter deglutivit. Alvus non niſi enemate, eoque difficulter movenda. Amaror oris aſſiduus, amaror & aſſumptorum. Per vices quoque nuchæ tenſionem dolorificam, & caput in poſteriora valide retrotrahentem, conqueſta.

Mane diei alterius (decima morbi), ſymptomata eadem. Balneum totius corporis; cataplaſma anodynum & emolliens ad maxillam; enemata. Opii gr. iv. ſex doſibus ex mixtura neurotica propinabantur. A balneo levari ſe ait. Illud opiſthotonicum rarius jam & mitius per vices redit. Maxilla paulo latius diduci poteſt; noctu vero denuo maxillæ arctius ad ſe invicem accedunt; ita, ut ſpatium lineæ dimidiæ vix fuerit relictum.

11ma. morbi mane, eadem, ut noctu. Frequenter exordia opiſthotoni recurrunt. Opii gr. v. intra 12 horas ex mixtura neurotica. Bal-

nea ea die bina ; enemata ; cataplaſma ex fol. hyoſcyami, flor. chamomill. fimo equino ; nil profectum. Datæ ſunt refractæ doſes tartari emetici ; non ſcopo emetico, ſed alterante, antiſpaſmodico : nauſeæ inanes, & ſine levamine ; nox inſomnis.

Mane (12ma.) datur ſequens mixtura :

℞. Camph. mucilag. gummi arabic. ſolutæ, drachm. S.
Opii puri . . . . gr. vij.
Syrupi diacodii . . . . . unc. j. S.
Aquæ chamomillæ . . . . unc. v.

M. D. omni bihorio duo cochlearia : bina balnea : levamen nullum.

Tetanus eo morbi tempore acceſſit, quo nullibi ullum dolorem eſt queſta, atque optime ſe habuerat.

Magna ſugillationis pars diſcuſſa eſt. In infimo ſiniſtro externo femore levis apertura ſponte eſt facta, quæ rubrum humorem effudit & copioſum. Latum in natibus ſiniſtris & impurum ulcus jam inde ab initio.

12ma. nox inſomnis : paroxyſmi opiſthotonici frequentiores : mixtura heſterna, ſed aucta opii doſi. Levamen nullum.

13tia. morbi, frequentiores & validiores paroxyſmi opiſthotoni. Difficilior in dies & horas deglutitio. Erecta melius habet. Melius etiam, ſi invadente opiſthotono caput vi ab adſtante in anteriora urgeatur. Pulſus celeres ſemper, & hodie ſolito debiliores. Opiſthotonus ſemper cum metu ſuffocationis & ſtrangulationis erat conjunctus. Alvus non, niſi enemate ſollicitata, parciſſima, difficilis ; ſudores. Ulcera coloris leviter plumbei, atque hodie ſicciora. Veſperi ſub-

inde

inde abſona loquebatur: mens dein rediit perfecte. Poſt mediam noctem periit.

Sumſit in morbi decurſu, præter alia ſuperius commemorata, decoctum corticis peruviani, addita ſub finem morbi radice valerianæ ſylv. liquore anod. min. Hoffm. & ſyrupo chamomillæ.

SECTIO.

In thorace dextro ſanguinis grumoſi unciæ circiter tres. In eo thoracis cavo, ſiniſtro nempe, quod primis diebus pleuritice doluit, nil præternaturale inveniebatur.

In femore ſiniſtro contuſo ſanguis per telam celluloſam hinc inde deprehendebatur diffuſus; non magna quantitate, nec magnas efficiens collectiones. Videbatur illud ſanguineum adhuc reſorberi potuiſſe, ſi ægra vixiſſet.

Fors in eo erravi, quod non plures fecerim venæ ſectiones: tres univerſim me feciſſe ſcio, primam initio, alteram cum pleuritice inciperet dolere, tertiam invadente tetano. Sed bene habere viſa eſt, uſque dum tetanus accederet; hinc plures ante adventum tetani venæ ſectiones non feci.

OBSERVATIO X.

Tetanus maxillæ, vulneri ſuperveniens, ſanatus.

VOCABAR ad nobilem fæminam viginti aliquot annos natam, octavo graviditatis menſe, die 18va. Julii 1779. ut conſilio intereſ-

 ſem.

ſem. Hiſtoriam morbi egregius ejus Medicus de Begontina *Junior*, hanc dedit.

Ante ſexdecim dies (ſcilicet 2da. Julii 1779.), ex alto decidit, altitudine circiter 14 pedum. Dextrum crus paulo ſupra malleolos diffractum in fruſtula, quorum quædam ex amplo vulnere exemta ſunt. Calcaneum fractum, & vulneratus pedis calx vulnere lato.

Repoſitio facta eſt: pus tenue; noctes inquietæ. Dabatur cortex peruvianus, veſperi paregoricum.

Die a lapſu 14ta. utrinque ad maxillæ articulos ſenſus conſtrictionis, identidem increſcens, ita, ut die 16ta. a lapſu, cum me vocarent, vix digitus poſſet dentibus interponi. Bacillum ligneum mordicus tenebat, quo prohibere conabatur, plenam utriuſque maxillæ contractionem. Pus hodie laudabilius; quies. Nulli hodie ullibi dolores.

Infauſtam feci prognoſin, nihilominus ſequentia propoſui:

℞. Pulv. cort. peruv.
— rad. valerianæ ſylv. ā drach. S.
Moſchi.
Camphoræ ā gr. ij.
Syrup. chamomill. q. ſ.
F. Bolus, dentur tales Nro. viij.; omni trihorio bolum ſumat.

Veſperi ſumat mixturam opiatam; & maxillis adplicet cataplaſma ex foliis hyoſcyami, cum lacte coctis & camphora.

Die 1ma. Auguſti per vices acceſſit levior opiſthotonus, isque frequenter poſtea rediit ad diem uſque 6tam. Auguſti.

Die 2da. Auguſt. mane leves partus dolores ac-

acceſſerant, ſed fugitivi; quotidie horis matutinis reverſi, iterumque evanidi.

Noctes tranquillæ erant, leves ſolum hinc inde motus artuum convulſivi inter dormiendum.

Dolor in loco vulnerato exiguus, & vix ullus toto tempore obſervabatur: quin immo, per omne id tempus, quo tetanus adfuit, dolor in vulnere erat multo minor, quam ante ejuſdem acceſſum.

Inter dormiendum maxillæ ſponte diducebantur, ita, ut bacillus, quem dentibus interpoſuit, ad impediendam plenariam maxillarum clauſuram, in ſomno ſæpenumero ex maxillis relaxatis, atque aliquantum magis hiantibus, elaberetur.

Relicto moſcho & camphora (ab utroque enim remedio multum abhorrebat), uſa eſt cortice & valeriana; veſperi opio.

Die 9na. Auguſt. circa octavam matutinam fœtum maturum & vegetum facili partu excluſit.

Pus toto hoc tempore bonum fuit. Sæpius fruſtula & fragmenta oſſiculorum excipiebantur.

Die 26ta. Auguſt. Maritus mihi retulit: Uxorem a 14 diebus non jam indigere bacillo ligneo, quam antea mordicus tenebat; poſſe maxillas parumper diducere: cætera bene valere.

Toto tempore utebatur cortice peruviano, & radice valerianæ ſylveſtris. Convaluit.

Partu primum abſoluto coadunatio fractorum eſt facta.

OBSERVATIO XI.

Tetanus, opiſthotonus, epilepſia, probabilius a vermibus, & ſectio.

SUTOR 18 annorum a longuo tempore ſanus, 5ta. Maji querebatur mane dolorem in nucha continuum, prementem, deſcendentem per dorſum, oppreſſionem pectoris a jugulo ad ſcrobiculum uſque. Noctu ſudor copioſus.

6ta Maji omnia eadem. Acceſſit levior, & per pauca minuta durans, maxillæ tetanus. Nox inquieta: ſudor multus.

7ma. Maji in Noſocomium venienti, validi caloris ſenſatio utrinque ad tempora fuit, & lingua multum ſpurca, ſubflaveſcens; quædam oris amarities per omnes morbi dies, halitus acidum ſpirans, & dolor in nucha preſſivus: perſtat oppreſſio pectoris, alvus dura, & pulſus naturali celerior.

Exhibebantur hauſtus ſalini.

Die 8va. eadem omnia: totius corporis muſculorumque omnium obrigeſcentia fere continua, ſæpe gravior, nunquam omnino ſoluta; ita, ut nunc tetanus videretur univerſalis, nunc potius opiſthotonus: febris intenſior: urinæ croceæ, jumentoſæ, ſemihypoſtaticæ: ſitis: lingua impuriſſima: amaror: odor acidum redolens.

Alvus, pertinacier clauſa, clyſtere, primo oleoſo, dein acri, reſerata eſt. Hauſtu purgante ex ſale amaro & manna iterato propinato ter purgabatur copioſe.

Noctu

Noctu binis vicibus epileptice convellebatur. Linguam aliquoties commordebat. Inſomnis : inquietus. Finitio inſultu epileptico jactitatio, clamor, boatus.

Die 9na febris : ſitis. Pectus liberum ; impuriſſima lingua. Toto hoc tempore videbatur, ſi quis alloqueretur, veluti ſubridenti vultu reſpondere.

Pulſus toto tempore naturali paulo celerior fuit, non durus. Calor naturali vix major. Urinæ cereviſiæ inſtar, brevi jumentoſæ, & paulo poſt ſemihypoſtaticæ, ſedimento ex albo rubeſcente ; ſupernatante, & vitri parietibus adhærente, ſorde multa mucoſa.

Hac die minor muſculorum colli, thoracisque convulſio, agitatioque : at abdomen ligni adinſtar durum, & hodie magis quam præteritis diebus. Minor rigiditas brachiorum, rariorque convulſio. Ter dejecit. Dolor hodie utrinque in inguine ; penis identidem arrectus.

Dolor ſubitaneus & pungens circa umbilicum per vices, & crebro rediit, eoque redeunte ſubito poſtrorſum convellebatur ; convulſione mox iterum, ſed nunquam ex integro, ceſſante.

A meridie repente convellitur, reſpiratione diutiſſime ſuſpenſa ; tandem lividus, ore ſpumas agens, non reſpirans, artubus omnibus raro & leviter agitatis, & potius obrigeſcentibus, intra octavam horæ partem periit.

Pulſus tempore inſultus epileptici explorabam ; ii erant tenuiſſimi, vix obſervandi, parum celeres, tandem identidem tenuiores, manente celeritate non magna, donec omnina evaneſcerent.

EXTISPICIUM.

Pulmones boni; ſiniſter ſanguine congeſto gravior, quam alias ſolet.

Inteſtina omnia flatu valdopere diſtenta. Jejunum coloris leviter ex rubro liventis, in eoque lumbrici aliquot.

Colon, antequam in rectum abierat, vaſis ruberrimus, ſolito majoribus, copioſioribus, liventibus quibuſdam, longitudine ſpithamæ, cum magna annexi meſenterii rubentis portione, erat diſtinctum; quod, an inflammatorium fuerit, an ſugillatio, an potius congeſtio ſanguinis non inflammatoria, a ſpaſmis facta, ignoro.

Omentum ſolito rubicundius erat. Glandulæ meſenterii majores conſueto & infarctæ apparebant: hepar mollius.

An vermes in cauſa fuerunt? An erat aliud acre in inteſtinis, aut alibi; Tenebræ ubique.

SPAR-

SPARSA QUÆDAM
VARII ARGUMENTI.

De 19 Juin 1779. nobis infans offerebatur, quindecim menſes natus, qui ſequentia exhibuit. Utrinque erat hernia ſcrotalis, magna; major tamen in latere dextro. Dextri lateris hernia fuit congenita, ſiniſtri vero poſt tres primum a nativitate menſes prodire cœpit, poſtquam infans aſſiduos antea, validosque vagitus edidiſſet. Supra oſſa pubis tumor erat, dimidiatum gallinæ ovum magnitudine æquans, ſubrotundus: re accurate examinata, conſtitit, eſſe veſicam urinariam, aut ejus ſaltem quamdam partem, quæ inter muſculos abdominis rectos, a ſe invicem dimotos, ſupra oſſa pubis hernioſe prodiit. Penis fiſſus; hernia veſicæ.

Hæc veſicæ hernia pariter fuerat congenita.

Penis in dorſo fiſſus, quouſque eum poteramus oculis perſequi.

* * *

Complures repente moriebantur, cum ex febre acuta convaleſceret, & cruribus adhuc eſſent œdematoſis, ſi forte ſomno indulſerant plus æquo; aqua enim ab inferioribus partibus ſubito ad encephalon decubuit. Mortes ſubitæ Hydropicorum.

Quidam etiam, aliunde hydropici facti, ſubinde ſubito ſuffocati perierunt, aquis ad pectus

ruentibus ; aut apoplectici , ſero encephalon occupante.

* * *

Tendo inſenſilis. Nudum tendinem forcipe varie tentatum , indolentem , hoc anno vidimus.

* * *

Decoctum fol. aut cort. ſalicis albæ antiſepticum. In gangræna a decubitu, & bubonibus gangrænoſis , magnæ efficaciæ eſſe uſum externum decocti foliorum , aut corticis , ſalicis albæ , certo novi.

Nemo tamen ægrorum gangrænam a decubitu apud nos primum contraxit ; domi vero contractam dicta ratione in Noſocomio ſanavimus.

* * *

Febris venerea larvata. Puellæ 18 annorum, ſemper antea ſanæ , a novem ſeptimanis in medio ſterno tumor excrevit oſſeus ; dolens per vices incertas , interdiu , noctu , dolore ſcindente , per mammas , & brachia diſcurrente : ſubinde dolor penitus quievit : nulla alia ſigna luis venereæ unquam adfuerunt. Electuarium ex roob ſambuc. unc. iij. extr. gratiol. dr. iij. & merc. ſubl. corroſ. gr. iij. paratum exhibebatur. Tumor dolorque diſparuerunt. Convaluit.

Huc quoque hiſtoria pertinet puellæ illius febre *quotidiana venerea* laborantis, p. *66*.

* * *

Luem veneream , aliis præparatis mercurialibus non profligatam , ſanavit mercur. ſublimat.

non

non raro; quem, aut ſolum dedimus cum roob ſambuci commixtum, aut admixto extracto aconiti, vel gratiolæ.

Sic herpes pone aurem dextram in collo puellæ, ſaniſſimæ cæteroquin & nulla ſigna luis monſtrantis, ſanabatur: variam ſubiit curationem rebelle malum, cauſticis & veſicante impoſito funditus eroſum, iteratis vicibus ſuccrevit, veneream originem tandem ſuſpicabamur. Verum, nec litus mercurialis, nec quæcumque hydrargyri præparata, profuerunt. Sublimato & extracto aconiti, cum roob ſambuci commixtis, herpes ceſſit, nec rediit poſthac.

Multa nobis exempla viſa ſunt luis venereæ, mercurio ſublimato corroſivo perfecte ſanatæ. Verum in re obvia certaque, atque ab uno ſolum alterove contra tot alios ac tantos in dubium vocata, nolo diutius verſari.

Viſi tamen ſunt morbi venerei quidam, qui, mercurio ſublimato rebelles, aliis obediverant mercurialibus remediis, atque his quidem præ illis.

Hinc nullam mercurii præparationem ſemper, & ubique, *in omni & ſingula* lue venerea, deprædicandam, tamquam *univerſale antivenereum* remedium, arbitrabamur.

Idcirco modo *huic* modo *illi* præparato locus erat; pro diverſa ægrotantis aut *idioſyncraſia*, aut ipſius morbi venerei in variis hominibus *diverſa modificatione*, aut luis cum aliis morbis morboſisque conditionibus diverſa *complicatione*.

Male ergo mercurium ſublimatum ex cura antiſyphilitica quidam penitus proſcriptum voluerunt, tanquam aut inutilem, aut & perniciosum. Sed male quoque tamquam remedium, quod ſemper & ubique *optimum* eſſet, commendaretur.

Illi

Illi igitur, qui luem eo remedio ſæpe & cum conſtantia ſanatam referebant, non fuerant atro calculo notandi, tamquam ſubleſtæ fidei, aut deceptores, utpote quos vel maxime iterata, caſtaque & ſine metu, & ſine ſpe, variis in regionibus, capta obſervatio mirum quantum juſtificat.

Profecto non merebantur magni SWIETENII manes incuſari tamquam nimium quondam creduli, atque ab aliis decepti. Veras eſſe obſervationes, de mercurii ſublimati emolumento; SWIETENIUS ſuis ipſe oculis uſurparat non raro, & experientia propria edocebatur, cui hodiernæ quoque obſervationes ſuffragantur.

Liceat hoc loco illis reſpondere, qui malevolis rumoribus circumventi, obſervationes quaſdam Viennenſes atque experimenta iis verbis in dubium vocant, ut revera omnem his fidem denegare probe conſtet.

Omnia experimenta de remediorum quorumdam facultate Viennæ capta ex ipſorum auctorum teſtimonio id docent, hoc vel illud remedium non raro profuiſſe præ alio quocumque, atque in morbo deſperato: aliquoties tamen non profuiſſe; nocuiſſe etiam ſubinde.

Sed ecce rem quamdam propemodum incredibilem! paucorum illepediſſimorum hominum invidioſa, ac falcitatis dudum convicta relatio de permodeſto hoc virorum gravium aſſerto triumphavit!

Verum obtrectationem hanc, temere atque imprudenter prolatam, tempus ipſum & repetita clariſſimorum per Europam virorum experimenta exarmabunt.

* * *

In

* *
*

In fœmina venerea venereis maculis & tophis tibialibus laborante notabatur quotidiana dolorum exacerbatio circa meridiem exacte recurrens: noctes bonæ erant; mercurio ſublimato corroſivo ſanabatur. Exacerbatio dolorum venereorum meridiana.

Rheumatiſmus tibiarum venereus omni *alterno* die *interdiu* rediit horis conſtitutis; noctu ſiluit. Tibiæ denudatæ, & aëri frigido expoſitæ multo mitius doluerunt.

Dolores venereos diu noctuque *continuos* contigit videre; itemque in alio ægro continuos diu noctuque in certa quadam brachii parte, quum alia quædam ejuſdem brachii plaga ſolum noctu doleret.

* *
*

Angina *mercurialis*, item *ulcera mercurialia* faucium bene debebant diſtingui ab *angina venerea*, & *venereis ulceribus*. Ulcus enim faucium venereum mercurio ſanabatur; ortum vero a nimia hydrargyri ingeſti quantitate, purgante rhabarbarino & myrobalanis, parce, ſed frequenter exhibitis, & collutoriis adſtringentibus fuerat ſublatum. Angina mercurialis.

Angina mercurialis veſperi atque per noctem intendebatur, & ob hanc veſpertinam exacerbationem *venerea* eſſe videbatur.

Subinde ulcus faucium, quod initio miaſmati venereo debebatur, uſu hydrargyri, properantius & copioſius exhibiti, non conſolidabatur. Ulcus enim *venereum* deleto miaſmate tranſibat in *mercuriale*.

* *
*

Cu-

* * *

Curationis difficultatem in lue venerea potius ex tempore, quo miaſma intra corpus delituit, quam ex ſymptomatum gravitate, aut numero, dimetiendas arbitrabamur. Inveteratum, atque annoſum morbum, & palliante ſubinde cura mirificatum, laborioſe ſanavimus, & tarde, & acrioribus ſolum hydrargyri præparatis, aliisque etiam remediis, pro morbi complicati natura in opem vocatis. Luem vero recentem, utut pleno venereorum graviumque ſymptomatum agmine ſtipatam, abſque alterius, aut morbi, aut morboſæ conditionis conſortio, ſanavimus citius, & mitioribus mercurii præparatis, atque iis plerumque ſolis.

Lues non raro levis initio viſa eſt, & ob pauca, eaque dubia ſymptomata, de ejus præſentia ancipites ſubinde hæſimus. Pauxillum mercurii dabatur, mox certa luis ſigna comparuerunt, morbo, e latebris in lucem protracto, & quis eſſet, monſtrante.

* * *

Binas puellas hydrargyro ſanavi, ſorores, 10. unam, alteram 11. annos natam, rheumate venereo, & tophis affectam utramque; probis moribus, & circumſpecte educatas, ſanas ad id uſque ætatis. Nulla alia luis ſigna aut præcedebant, aut comitabantur; parens ajebat, ſe adhuc cœlibem gonorrhœa laboraſſe, diu durante, atque neglecta, donec ſponte evaneſceret. Illæſam uxoris ſanitatem & fuiſſe antehac, & adhucdum eſſe. Sanatis puellis, quin iis adhucdum ægrotantibus; parens anginam, noctu graviorem que-

querebatur; cujus quoſdam, utut leviores aſſultus, ſæpius jam, & a multis annis perſenſit, fugaces tamen: frons quoque maculis effloruit, quales in venereis ſolent, ulcerabatur labium oris ſuperius, & fauces. Tandem ſanabatur decocto guajaci & antimonii, & mercurio ſublimato corroſivo cum extracto aconiti; ita tamen, ut labium ſuperius identidem de novo ulceraretur, donec remediis mercurialibus, ad ipſam effectam plagam adplicatis, conſolidaretur. Triennium eſt, ex quo integra ſanitate gaudet.

Puella quædam, undecimum ætatis annum nondum egreſſa, tophos in utraque tibia exhibebat, & articulorum ſyphiliticos cruciatus; ante hanc ætatem prorſus ſana, & abſque aliis luis ſignis. Omnis ſuſpicio procul abfuit morbi conſortio contracti. Puellæ mater dolorem cubiti ſiniſtri, plurimis annis, noctu exacerbatum, & jam ante, quam enixa prolem eſſet, perſenſit. Dolore tandem hoc anno præter modum increſcente nos adiit, filiam una adducit; utramque mercurio ſublimato ita ſanavimus, ut per annum ad id uſque tempus, quo hæc ſcribo, ambæ incolumen vitam degant, & veteris doloris immunem.

Fomes venereus hæreditate acquiſitus videbatur in his puellis, &, pubertatis annis jamjam inſtantibus, prorupiſſe quaſi recluſo carcere, & viribus ab ætate acceptis.

* *
*

Triginta quatuor annorum vir gonorrhœam ante aliquot annos, iteratis, ni fallor, vicibus, contraxit. Decocto lignorum copioſe poto gonorrhœa ſanata, articulorum dolor ſublatus eſt, diu-

diuturnus, & blanda noctis ſilentia turbans. Angina nocturna ulceroſa, maculæ ſyphiliticæ in facie, atque ulcus impurum in parte capitis ſupremi capillata pone frontem. Labia ulceris elata erant a tela celluloſa prætumida, & luxurioſe excreſcente. Utebatur decoctis variis, antimonio, litu quoque mercuriali, & variis quoque hydrargyri præparatis per ſex menſes continuos: angina & artuum tortura emendabantur; ita tamen, ut vagus veſperi noctuque dolor, mitior quidem, nunc hanc, nunc illam corporis partem impeteret. Ulcus cicatricem pertinaciter renuebat, fundebatque pus non illaudabile; facies cæterum ſaniſſimi hominis, & habitus corporis plenus, atque athleticus.

Cum ſaliva identidem, utut non ſupra modum, moveretur, & faciem bene coloratam, & paulo turgidiorem viderem, blandis & eccoproticis remediis quotidie alvum ſollicitare conſtitui, preſcripto ſimul parciori victu. Animus erat, vim humorum, ob uſum hydrargyri longiorem validius caput petentium, avocare, atque ita pertinaci ulceri ſubtrahere pabulum, ut impoſito deinde ſiccante remedio, & levi mechanica preſſione laxis & luxuriantibus plagæ carnibus admota, hæc perennis puris ſcaturigo exareſcat.

Longo eccoproticorum uſu ſiccatum ulcus eſt; at manſit vagus ille per vices & noctu maxime incurrens rheumatiſmus, orto in media clavicula ſiniſtra tumore oſſeo, diſſectæ nucis avellanæ hemiſphærium æquante, dolente, ſi rudius tetigeras, noctuque. Ulcus ipſum poſt paucas ſeptimanas, cum recenter obducta cicatrix cæſariem fictitiam, qua locum crinibus carentem tegebat, ægrius ferret, & obortis forte ſubtus cæſariem ſudoribus, vehementer pruriret, recruduit, neque

que amplius adhibita quacumque methodo cicatricem admiſit. Exoſtoſis unguento mercuriali inungebatur, impoſito extra inunctionum tempora mercuriali emplaſtro.

Cum per quatuor menſes nihil proficeretur, en febrim validam, cum faciei totius eryſipelate, repente exortam; facta venæ ſectio, & dati potus antiphlogiſtici, atque etiam emeticum. Poſt quatuordecim dies a febre profligata ulcus coalui, evaneſcente exoſtoſi, artuumque vago dolore.

Poſt quatuordecim ſeptimanas cephalalgia hominem ex improviſo adorta eſt, dolorque in loco nuper cicatriſato validior. Secta vena eſt, & antiphlogiſtico victu paucos intra dies convaluit.

Exacto iterum menſe idem capitis dolor eodem modo ſanatus eſt.

Inde firma & vegeta ad hunc uſque diem valetudo perſtat.

Exoſtoſin & arthritidem vagam & ulceris pertinaciam, hydrargyroſis cicuravit ſolum, non autem penitus devicit. Vehementior febris auxilio fuiſſe contra antiquum morbum videtur; quam utinam in rebelli nonnunquam atque inveterato malo, ita excitare poſſemus, ut, quouſque ſalutaris foret, intenderetur, neque eos tamen idcirco limites, quos intra ipſius vis medicatrix conſiſteret egrederetur!

Articulorum dolores nocturnos & tophos, in aliis quoque nulla ſubinde ratione ſanandos, febris ſuſtulit, quæcumque demum, & undecumque exorta.

Ipſæ certe febres, teſte SENECA, quædam genera valetudinis levant; & febris, quod maxi-

me mirum videri poteſt, ſæpe præſidio eſt, CELSUS.

* * *

Quousque continuanda cura antiſyphilitica?

Curam antivenereæm eouſque protrahendam, donec omne miaſma penitus fuerit exſtinctum, quivis concedat; ſed, quæ ſigna ſunt miaſmatis ex toto deleti? an ſymptomatum plena evaneſcentia? verum conſtat indubitato, luem, quæ penitus exſtincta videbatur, fuiſſe nonnunquam ſolumodo ad tempus enervatam, & abſque novo contagio, denuo, ſero licet, repullulaſſe.

* * *

Scirrhorum ſubſtantia.

Scirrhos mammarum dolentes & cultro exſcetos aliquoties examinavimus; ſubſtantia dura erat, & molliorem cartilaginem conſiſtentia & colore æmulabatur; ita, ut nihil organici ſupereſſet, & corpus adpareret homogeneum, ac cartilagineum.

* * *

Fractorum coalitus impeditus.

Habuimus duos in Noſocomio oſſibus fractis. Unus brachium fractum repoſitumque ſæpius initio commovit. Non eſt unio facta, licet poſt aliquot dies quietiſſimus cubaret, & fracta non diſlocaret. Alter & brachium & femur ſimul confractum habuit. Brachium conſolidatum eſt, non autem femur, etſi fractos artus ne hilum commoveret.

* * *

Sectio fæminæ hydrophobæ.

In corpore fæminæ, ex morſu rabidi canis hydrophobæ factæ, accuratiſſime luſtrato culter ana-

natomicus nihil prorſus alieni læſique potuit detegere.

* * *

Multi hoc anno viſum noſtro auxilio recuperarunt; cataracta ſubinde *extracta*, ſubinde vero *depreſſa*.

Non perinde nobis erat, an *hac*, vel *illa* ratione cataractæ medeamur; ſed erat non raro locus *extractioni*, nonnunquam vero ſoli *depreſſioni*.

Operatio per *extractionem* nunquam inſtituebatur, ubi rheumaticus alicubi dolor, aut arthriticus ægrum vexarat, aut cephalæa, aut hemicrania; nec iis, quibus tempora doluerunt, nec frequenti ophthalmiæ, aut eryſipelati ſæpe recurrenti obnoxiis; nec quibus tuſſis longa, aut facies puſtuloſa fuit, aut dentium & gingivarum conditio prava; neque illis demum, quibus alterutra cornea opacari incepit, aut oculus vaſis ſanguineis amplioribus, aut varicoſis perreptabatur. His inſtituta cataractæ extractio plerumque male ceſſit, & oculus poſt operationem inflammabatur; viſu poſthac aut imminuto, aut etiam penitus amiſſo.

Eo autem in caſu *depreſſio* ſolummodo locum habuit.

Hanc vero acu argentea inſtituebamus, non in apice haſtata, ſed in conum longiorem excurrente & tenuem; cum ejus manubrium calami ſcriptorii craſſitiem & formam cylindri & ſeptem pollicum longitudinem haberet.

Hoc inſtrumentum ex argento confectum dixi, ſed cupro largius admiſto; ut apici conoideo & ſubtiliori quædam firmitas & robur eſſet.

Acus ita comparata, duobus digitis comprehenſa, lente gyrando ita intra oculum immittebatur, ut nulla adhibita vi, ſed ſolo ferme pondere proprio, adigeretur.

Depreſſionem hoc modo inſtitutam oculus ita ferebat, ut deligatione vix opus habuerit, nihilque unquam mali ſit conſecutum, nec fuerit ægro neceſſitas decumbendi; præſtabat tamen oculum deligare, cum lucem repente admiſſam non raro ægerrime ferrent.

Ante, aut poſt, depreſſionem valentioribus ſanguis detrahebatur.

Unus, cataracta depreſſa, multis vicibus & cum labore vomebat; nihil tamen inde mali eſt conſecutum, neque ideo depreſſa lenticula atque infra vitreum corpus abſcondita, priorem ſtationem repetiit.

Quibus lenticulam extracturi eramus, parari corpus debuit, aptumque reddi, operationi ſubeundæ.

Diebus aliquot ante operationem tenuiori victu utebantur, & ſanguinis detractione.

Non quovis anni tempore æqualem ſortem experti ſumus; averſabamur conſtitutiones rheumaticas, illas præprimis, ubi ventres ſupremi præ infimis impetuntur.

Facilem quotidie alvum habere, poſt operationem mirum profuit, eamque enemate ſollicitare potius placuit, quam remedio purgante, utut leni.

Poſt operationes quaſcumque chirurgicas dolor in plaga vulnerata intendebatur, niſi æger quotidie & facile dejiceret.

Aëris boni habenda eſt cura peculiaris; hinc præſtat, ſeparato cubiculo committere, cui lentem

tem volueris extrahere. Inter alios enim ægros decumbentes aëre veſcuntur immundiore, & in febres tunc epidemicas, aut motus ſaltem febriculoſos, facilius labuntur. Febris autem, utut levis, & forte ſolum ephemera, id efficiet, ut morbifica materies in ea corporis parte figatur, quæ ante febrim imbecillior fuerat dolueratque; in oculo nempe vulnerato.

Has cautelas nos uſus docuit, & eventus quidam non boni, ſed quos vitare poſthac didicimus.

Hora poſt extractionem elapſa, & oculo, num ſe omnia ex voto haberent, denuo explorato, cataplaſma impoſuimus ex mica panis albi & pulpa pomorum acido dulcium, cum aqua coctis, addito florum ſambuci pauxillo.

Maturus hic uſus cataplaſmatis id fecit, ut inflammatio præpediretur; quam ſubinde experti eramus, cum viſus diminutione, aut etiam jactura, priuſquam hoc uſi conſilio eſſemus.

Hinc omnibus ferme indiſcriminatim poſt operationem hunc fotum admovebamus.

Non erat eadem in inflammationem apud omnes proclivitas: vidi enim in extractione cataractæ ſecundariæ oculum cultello, forfice, hamulo diu multumque vexatum, quin ulla fuerit inflammatio ſecuta; ubi aliam, in alio homine ſuſceptam, lentis extractionem, cito & nitide & ſine ulla oculi inſigniore moleſtia peractam, inflammatio dira excepit.

Videor mihi obſervaſſe, eos, quibus ſub operatione aliquid humoris vitrei effluxit, fuiſſe ab inflammatione, tantopere metuenda, & a cujus abſentia omnis ferme operationis felicitas dependet, magis immunes.

Deperdita quondam majori vitrei humoris portione, oculum ſemicollapſum, intra nychthemeron denuo ſano æqualem deprehendi turgidumque & vulnuſculum clauſum.

Emiſſus humor aqueus in alio Ægro poſt dimidiam horam denuo erat reſtitutus.

INDEX

In partem primam, ſecundam atque tertiam.

A

ABDOMINIS tumores difficillime ſæpe dignoſcuntur. Part. III. Pag. 273.
Abortus epidemici. III. 33. 73.
——— vitriolo cupri excitatus. III. 269.
Abſceſſus in cerebello. I. 178. III. 157. 159. In eadem parte, alter circa os petroſum, tertius circa ſinus laterales in cadavere apoplectici. I. 178.
——— in proſtata. I. 104. 153.
——— ventriculi verſus cavum abdominis diſruptus. I. 179.
Aconitum. Quamnam quantitatem extracti ferre quis poſſit. III. 115.
Adſtringentium in Dyſenteria uſus. II. 100.
Aër concluſus, putridus, ventriculi vim infringit. II. 139. Febrim gaſtricam, aut noſocomialem excitat. ibid.
——— frigidiuſculus, & recens maximam vim habet in prohibendis morbis bilioſis. II. 139.
Ammoniaci ſalis vires incidentes, attenuantes. I. 78. 79.
——— flores martiales cortici peruviano optime junguntur. II. 197. Profuerunt in tertianis. III. 80.
Anagallidis flore luteo extractum eſt ſolvens optimum. III. 197.
Angina mercurialis. III. 301.
——— rheumatica. I. 58.
——— ſcarlatinam febrim concomitans. II. 20.
——— verna anni 1779. III. 79.
Anni 1775. Conſtitutio & morbi. I. 1.
——— 1776. I. 5. 22. 52. 68. 73. 76. 85. 90. 91.
——— 1777. II. 1. 3. 16. 19. 31. 33. 35. 37. 196. 200. 207. 231. 261.
Anni 1778. Conſtitutio & morbi III. 3. 6. 21. 33. 41. 42. 43. 45. 47. 51. 52.
——— 1779. III. 61. 69. 71. 77. 79. 80. 82. 84. 86. 91. 103. 113.
——— partes quædam præ aliis ſunt pernicioſæ. I. 189.
Anthrax in brachio. II. 117.
Antidyſenterici nomen cui remedio, ſi ulli, competat. II. 274.

Antiphlogiſtica quænam ſint, diſquiritur. II. 54. 55. 56.
Aortæ arcus ſolito amplior. I. 136.
——— inflammatio. II. 251.
——— principium oſſeum. I. 156.
——— truncus deſcendens oſſeus. I. 136.
Aphthæ puſtuloſæ & ulceroſæ. II. 112. Earum geneſis & affinitas. II. 112. 113. Cura. II. 142.
Apoplectici examen anatomicum. I. 178.
Apoplexia rheumatica. III. 92.
Apoplexiæ cauſa in latere cerebri ſiniſtro reperta, licet latus oppoſitum corporis paralyticum fuerit. I. 137.
——— diſtinctio. I. 137. 138.
Aqua in abdominis capacitate collecta. I. 100. 128. 184. II. 247. 269. III. 253. 266.
——— in pectoris cavo. I. 95. 99. 103. 133. 148. 156. 171. II. 247. 256. III. 255. 273.
——— in pericardio viſa. I. 161 II. 257. III. 253.
——— inter meninges cerebri detecta. I. 136. 148.
——— in tunica vaginali teſtis. I. 104. III. 256.
——— in ventriculis cerebri. I. 156.
Arteria aorta oſſea. I. 136. 156.
——— pulmonalis pro parte oſſificata. I. 136.
Arthritis ſæpe oritur ex præmaturo corticis peruviani uſu. I. 89. Quomodo hæc ſanetur. I. 90.
Arnicæ flores. Obſervata circa eorum uſum. III 109. 115.
——— — Radix. Hujus vires in febribus gaſtricis meſentericis, putridis, malignis. I. 78. II. 274. In dyſenteria. I. 86. II. 35. 274. Obſervationes circa eam. III. 112. 181.
Aſthmatis ſpecies variæ. I. 95. III. 104.
Atmoſphæræ diverſus habitus ad hominum diverſam valetudinem, quando demum determinari poterit. I. 46.
Atrophia, rheumatiſmos originis gaſtricæ, male curatos, inſequuta. III. 22.
Auenbrugger. Ipſius inventum, de percuſſione thoracis, ut ſigno abſtruſorum morborum, laudatum. III. 106.

B.

BELLADONNÆ radicis extractum in Chorea S. Viti laudatum. III. 278. In convulſione. II. 280. In epilepſia III. 281. 283. Mutationes ab hoc extracto in corpore obſervatæ. III. 282.
Biliferis ductibus omnino perviis, icterus tamen adeſſe poteſt. III. 247. 252.

Bilioſi

Bilioſi morbi non ſemper iidem ſunt. I. 24. 77.
——— Aër frigidiuſculus & recens maximam vim habet in prohibendis illis. II. 139.
Bilioſorum rubor. II. 86. 130.
Bilis nomine crudus & amareſcens apparatus, in ventriculo & ejus vicinia collectus, venit. I. 22. Unde originem trahat. I. 23. Ejus differentia varia I. 23. Eſt adultæ æſtatis & autumni ſoboles. I. 24. Bilioſi tamen morbi in aliud anni tempus ſæpe incidunt. I. 24. Quomodo morbi bilioſi veris & adultæ ætatis differant. ib.
Bilis poſt capitis læſiones imperium. III. 149.
——— qualitate & quantitate peccans, morborum malignorum & petechialium ſæpe cauſa eſt. I. 119. Hæc diverſa ratione nocet & occidit. I. 120.
Bronchiorum rami oſſei. I. 161.
Bubones gangrænoſi. Decoctum foliorum & corticis ſalicis albæ tanquam egregium remedium laudatum. III. 298.

C.

Calculus. Choledocum ductum obturans. I. 34.
——— In duodeno viſus. I. 184.
Calculi in veſicula fellea inventi. I. 166. 184. 187. II. 245. III. 271. Tres hanc veſiculam penitus replentes. I. 166.
——— ſectio per lithotomum occultum inſtitua I. 83
Cancroſus tumor arcui majori ventriculi inſidens. I. 133.
Capitis affectus plures & graviores a ventriculi & inteſtinorum vitio oriuntur, quam ab idiopathica encephali labe II. 63.
——— leſiones. Animadverſiones circa eas. II. 275. III. 143. 145. 147. 149. ſeq.
Carotides arteriæ oſſeæ. I. 136. In ſiniſtro latere admodum diſtenta. I. 136.
Cartilagines coſtarum ictericæ. III. 265.
Carunculæ. An in urethra ex male curata gonorrhæa excitentur. I. 105.
Cataractæ a rheumate lentem afficiente. III. 91. Aliarum origo. III. 277.
——— cura nunc in extractione, nunc in depreſſione conſiſtere debet. III. 307. Obſervationes circa has operationes. III. 308. ſeq. Eventus inſtitutæ operationis. III. 50.
Catarrhus. De hoc morbo obſervationes. III. 26. Diver-

verſæ catarrhorum ſpecies non ſunt confundendæ. II. 4. Sæpius negliguntur, & cur? II. 4. 5. Catarrhus ſeroſus, febris catarrhalis benigna. III. 27. Inflammatorius. 28. Peripneumoniæ comes. 28 Gaſtricus, bilioſus putridus, malignus. III. 29. II. 5. Convaleſcentium ex febre maligna. III. 29. Poſt morbillos æſtate 1777. 30. Catarrhalis febris anno 1777. obſervata. II. 3. 17. 20. Ejus cura. II. 4. 18.
Catarrhus, a peripneumonia aut plueritide bilioſa ſola mali vehementia differens. I. 17. Annis 1775 & 1776 per totam fere Europam graſſata ibid. Conveniebat cum eo, qui anno 1580 Europam infeſtabat. I. 18. Symptomata morbi. 18. 19. Quænam profuerint. 19. Comparatio hujus morbi cum eo, quem deſcripſerunt alii, catarrho. 19. 20. 21. In omnibus morbus non fuit idem. 21.
Catarrhus & Coryza canum. III. 31.
Cathetere vulnus in urethra productum. I. 113.
Catheteriſmus diverſo ſucceſſu inſtitutus. I. 101. 102. 111. 155.
Cerebelli abſceſſus. I. 178. III. 157. 159.
Cerebri & cerebelli in febre petechiali ſingularis degeneratio. II. 265.
——— affectiones idiopathicæ a ſympathicis difficile diſtinguuntur. II. 37.
Cerebri degeneratio in fæmina, cui, febricitanti, parotides erant ſubortæ III. 95. In phrenitide. III. 156. ſeq.
——— poſt fracturas cranii. III. 146. 152.
——— inflammati ſigna ambigua ſunt. III. 138.
——— ſubſtantia morboſa. I. 119. 156. 163. II. 265. III. 95. 146. 152. 156.
Cereorum, urethræ immiſſorum, utilitas in ſuppreſſione urinæ I. 166.
Chloroticarum febris continua. III. 54.
Choledochus ductus anguſtiſſimus. III. 260.
——— Calculo obturatus. I. 134.
——— Impervius. III. 256.
——— Obſeſſus corpuſculis rotundis. III. 260.
——— Parietes duros & craſſos habens. III. 263.
Choleræ obſervatio. I. 75.
Chorea S. Viti. Uſus extracti radicis Belladonnæ in hoc morbo. III. 278. 287.
——— antihelminticis & pituitam incidentibus ſanata. III. 286. 288.

Choroïdeus plexus hydatidibus obſeſſus. I. 119. III. 262.
Coli ſitus, ac decurſus, inſolitus. I. 148. 151. Dilatatio magna I. 151. Quid mali hæc faciat. I. 153. Contorſio funiculum referens. II. 256.
Colica a rheumate interaneo. III. 71.
—— Biliosa ejuſdem cum Dyſenteria proſapiæ, cito ſanata. I. 83.
—— Biliosa ſubinflammatoria. II. 206.
—— pituitoſo-biliosa. II. 83. ſeq. 93.
—— Saturnina. II. 179. ſeq. Ejus cura 189. Complicatio cum aliis morbis. III. 194.
Colicus dolor, pulſibus & urina bonis, per aliquot dies valde tolerabilis, ſubito lethalis fieri poteſt I. 167.
—— Cautelæ in doloribus colicis obſervandæ. II. 95.
Conſtitutionis unius in aliam tranſitus, indeque natæ febres complicatæ. II. 74.
Contagia. Quæ & quot dentur. II. 39. III. 223.
Convulſio Chronica. Uſus extracti radicis Belladonnæ in eadem. III. 280.
—— ex terrore. III. 284.
Cordis dilatatio immenſa, in aſthmatico. I. 179. 184. 186. Poſt repetitas pulmonum inflammationes non raro reperitur. I. 99.
—— flacciditas ſumma. I. 186.
—— magnitudo inſolita. I. 156.
—— vaſa coronaria mirum in modum dilatata. I. 99. 117.
Cortex Peruvianus qua ratione febribus medeatur. I. 54. In febribus larvatis auxilium non adfert. I. 54. Præmaturum ejus uſum ſæpe mala inſequuntur. I. 89.
—— cum floribus ſalis ammoniaci martialibus combinatus, optimum ſiſtit febrifugum. II. 197.
—— quomodo in phthyſi & in qua ſpecie conveniat. I. 129.
Cotunnii veſicantia in iſchiade applicandi methodus laudata. I. 67.
Cranii fiſſura & fractura. Examen in cadaveribus inſtitutum. III. 146. 152. 154.
Critici dies. Controverſia de dierum criticorum varietate unde nata. I. 44.
—— Doctrina verior horum dierum, obſervationibus recentiorum ſtabilita. I. 44. 45.
—— Obſervationes circa eoſdem. II. 140.
Cyſticus tumor ſupra ſellam turcicam & nervum opticum hærens. I. 178. Ovario adnexus. I. 179.

D.

DEbilitatis veræ in morbis billioſis cauſa, & medicatio. I. 135. An veſicantia proſunt? II. 136.
Defluxioues variæ & ad partes varias. III. 100. ſeq. 109. 114.
Delirium bilioſum. I. 11.
Diaphragma. Laminæ ejus cartilagineæ. III. 265.
——— Inflammatum. II. 252.
——— Multum verſus abdomen preſſum a pure, in cavo thoracis collecto. I. 100.
Diarrhœa. In qua ſpecie radix arnicæ præcipue conveniat. II. 274.
——— ſymptomatica pleuriticis non ſemper periculoſa. I. 14. 42.
——— febri lentæ nervoſæ accedens, ejusque cura. II. 25.
Dolor capitis bilioſus. I. 24. Symptomata hujus morbi & medendi ratio. I. 25. 26.
Doloris punctorii cauſa in pleuriticis & peripneumonicis quorſum referri debeat. I. 97.
Dolores venerei nocturni, ſuborta febre, ſæpe ſanantur. III. 305.
——— nonnunquam interdiu graviores ſunt, noctu mitiores. III. 66.
Duodenum a ſtatu naturali recedens. I. 134.
Dura mater cum pia inflammata. I. 117. pus inter eas effuſum. III. 157. Ictericæ. III. 260. 261.
Dyſenteria anno 1776. obſervata. I. 79. Quomodo ſanata ſit. I. 80. 86. 89.
——— anno 1777. viſa, a præcedenti diverſa. II. 97. Frequentior & lethalior inter capticos fuit. II. 99.
——— Cognatio inter dyſenteriam & rheumatiſmum. III. 88.
——— Complicatio ejus & varia diviſio. III. 171. Tentamen diviſionis novæ. III. 86.
——— Contagioſa an ſit. III. 222.
——— Exitus varii in ſanitatem III. 197. In Diarrhœam. 198. In dyſenteriam chronicam. 199. In Teneſmum varium. 200. In Rheumata artuum. 201. In urinæ difficultatem. 203. In hydropem varium. 204.
——— Indoles & ſedes materiæ dyſentericæ. III. 220.
——— Natura dyſenteriæ unde poſſit determinari. III. 185.
——— Obſervationes variæ, circa hunc morbum. II. 99.

Dy-

Dyſenteria. Prophylaxis hujus morbi. III. 224.
——— Putrida. III. 183.
——— Quænam inſtructio plebi danda, regnante hoc morbo. III. 226.
——— Remedia varia antidyſenterica. III. 215. ſeq. Non datur univerſale. 238. Arnicæ radix laudem meretur. II. 35. 274.
——— Rheumatico-bilioſa, compoſita ex dyſenteria ſimplici, & bilioſa materie commota. III. 177.
——— Sicca qualis ſit. I. 89. III. 87.
——— Simplex. III. 171. Quid profuerit & nocuerit. 172. 173. Explicatio methodi medendi aliorum. Ibid.
——— Ulcera inteſtinorum in dyſentericis perrara. III. 221.
——— Verna, ut rheuma inteſtinorum phlogiſticum, ſanata. III. 71.
Dyſenteriarum quatuor æſtatum comparatio. III. 229.
Dyſenterica bilioſa febris. III. 179. Rarius periculoſa fuit. Ibid. Niſi complicata inflammatione. 180. Methodus medendi qualis fuerit. 180. Quos exitus habuerit. 181.
Dyſentericorum diſſectiones. III. 223. ſeq.

E.

Electricitas quid in paralyſi ſaturnina fecerit. II. 271. 272. In Epilepſia inveterata. III. 283.
Emeticorum uſus in morbis malignis. I. 121.
——— pleuritide vel peripneumonia bilioſa. I. 9.
——— rheumatiſmo bilioſa. I. 16.
——— dolore capitis bilioſo, cum catharticis. I. 25. 26. 27.
——— vires purgantia ſupplere non poſſunt. I. 37. ſeq.
——— præ ſolis purgantibus præſtantia I. 39.
——— optimum. I. 39.
Emollientium in dyſenteria uſus II. 100.
Empyema pleuritides rheumatico inflammatorias promtius inſequitur III. 107.
Enteritis rheumatica I. 55. Non adeo gravibus ſtipatur ſymptomatibus, quam vera. I. 56. Quomodo curata ſit. I. 58.
Epilepſia vomitoriis ſanata. II. 105. Veſicantibus curata. II. 106. Extracto radicis Belladonnæ. III. 28.

Epi-

Epidemicæ conſtitutionis genium, omnes morbi, per id tempus orti, aſſumunt. II. 46. 47.

Epidemicorum morborum cognitio eſt dux & acus nautica in aſſequendis innumeris aliis affectionibus morboſis corregnantibus. III. 25.

Equitatio an in phthyſicis laudari mereatur? I. 131. In quibus morbis conveniat. Ibid.

Exanthemata ſcabiem referentia. III. 55.

Exanthemata, quæ in corporum externa ſuperficie, in febribus malignis proſtare ſolent, etiam in ventriculo, & paſſim alibi in corpore reperiuntur. I. 121.

Exanthematum geneſis in ſordibus ſyſtematis gaſtrici fere ſemper quæri debet. I. 31.

Exoſtoſis, in clavicula, ex cauſa venerea. III. 304.

Expectorantia in vera pulmonum inflammatione nocent. I. 13. Quando conveniant. II. 14. 43. Remedium hujus generis optimum. I. 39.

F.

Febres Exanthematicæ an ſtricte ſint contagioſæ. II. 39.

——— Larvatæ, anno 1776. obſervatæ I. 53. Primaria harum ſedes in ſyſtemate gaſtrico fuit. I. 44. In ſolo Cortice auxilium non quærendum. I. 54.

——— Veteres in denominandis febribus, non eodem modo, ac recentiores fuerunt verſati. I. 141

Febris æſtiva anni 1777. Ejus in variis individuis luſus varii. II. 59. Reflexiones circa hanc. II. 125. Complicationes ipſius cum aliis morbis. II. 146. Cum vulneribus, ulceribus. II. 147. Cum lapſu ab alto, læſionibus capitis. 148. 276. Cum variolis, morbillis. II. 148. ſeq. Cum colica ſaturnina 178. Mutationes ipſius variæ aliæ. 198. 200. ſeq. Symptomata diverſa, atque metaſtaſes. 204. Ægritudines, quæ hanc febrim exceperunt. II. 239.

——— Anginoſa. Uſus veſicantium in hac angina. II. 22.

——— Bilioſa, quæ anno 1777. graſſata eſt, mirificis ſymptomatibus ſtipata. II. 36. Varia ejus complicatio. II. 37.

——— neglecta, ſeu ſpecies malignæ febris cum ſymptomate phrenitico. II. 61. 63.

——— putrida, maligna. I. 140. II. 34. Medendi ratio. I. 142. Materies ſubinde ad vias ſecundas, & ad pectus decumbit. I. 176.

Fe-

Febris Dyſenterica. III. 179. Putrida dyſenterica. III. 183.
——— putrida, pituitoſa, quomodo fiat maligna. II. 14. 34. 137. Quænam tunc methodus conveniat. ibid.
——— Bilioſo-pituitoſa cum morbillis & miliaribus complicata. II. 161. 162. 166. 171. 173. Cum morbillis & variolis. II. 35.
——— Catarrhalis, anno 1777. obſervata. II. 3.
——— Epidemica invitatur frigide potu, æſtuante corpore. II. 176. Terroris noxæ in producenda ea. II. 176. Mœroris. ibid. Iræ. 177.
——— Eryſipelatoſa. II. 116. 237.
——— Gaſtrica. Quali modo lingua ſeſe habeat. I. 142. Cura ipſius. 142. 143.
——— Aër concluſus, putridus, hanc excitat. II 139.
——— Inflammatorio-putrida. III. 46. Peculiaris ſpecies, putrida, ſanguinea. III. 72. ſeq. 93. Phrenitica. III. 162.
——— Lenta nervoſa. Deſcriptio ejus, quæ 1777. obſervata eſt. II. 23. Symptomata, quæ ſeſe ſubinde junxerunt, eorumque cura. 25. Varia complicatio, & varii gradus. 27 Differentia in fæminis & viris. 28. Methodus medendi. ib. ſeq. Subinde malignitatem induit. 29. Incerta fuit duratio. 30.
——— Maligna. Hiſtoria talis febris. I. 118. Non tantum ex putrido, crudo, primarum viarum apparatu producitur, ſed & bile quantitate & qualitate peccante. I. 119. II. 14. Confirmatur hoc ſectione Anatomica. I. 119. Obſervationes variorum inſtitutæ in cadaveribus eorum, qui hac febre laborarunt. I. 120. Emeticorum in his febribus uſus. I. 121.
——— Quibus modis ægros jugulet. I. 189.
——— Non contagioſa. II. 140.
——— Notio hujus febris varia. II. 13. Non eſt ſpecifica & ſui generis, ſed alia eſt in alio malignitas. II. 15.
——— Miliaris. II. 108. Proprietates ipſius quædam & medendi ratio. 109.
——— phrenitica. III. 163.
——— Petechialis & ſectio. II. 262.
——— Pituitoſa. Materiæ hujus ſedes, criſes. III. 97. Differentiæ inter hanc & bilioſam. 89. Varietates, complicationes, cura. 99.
——— Puerperarum. II. 45. Inflammationem mentieba-

batur, ſed erat a bile. II. 46. Subinde tamen eſt inflammatoria. 48. Pulſuum fallacia in hac febre, ut in aliis. 50. Cujuſdam puerperæ caſus deſcriptus. 50. Quænam nocuerint. 41. Profuerint. 53. Medendi ratio. 54. 57. Cur puerperas potius, quam gravidas invadat. 57.
Febris Putrida. Non omnes febres hujus generis eadem methodo ſanari poſſunt. III. 76.
——— Quotidiana remittens ſub larva paroxyſmi hyſterici. II. 101.
——— Rheumatica. II. 21. III. 103. Ejus cura. II. 22.
——— originis bilioſæ. II. 83. 88.
——— Scarlatinoſa. II. 20. Ejus origo. II. 141. Cura. II. 23.
——— una cum miliaribus. II. 115. 237.
Febrium practica claſſificatio cur nondum habeatur. II. 59. Neceſſitas claſſificationis bonæ. II. 60.
Fractorum oſſium coalitus impeditus. III. 306.
Fractura cranii lethalis. I. 180. 181.
Furor ex alvo bilioſa, cum flueret, compreſſa. II. 66.

G.

Gangræna a decubitu. Decoctum foliorum & corticis ſalicis albæ ſiſtit egregium remedium. III. 298.
——— præſente omnia ſymptomata mitiora redduntur, & incautos ſæpe fallunt. I. 114.
Gaſtritis rheumatica. I. 55. Non ſtipatur ſymptomatibus adeo vehementibus, quam vera. 56. Qua ratione curata ſit. 58.
Genitalium, gonorrhæa affectorum, diſſectio. II. 261.
Genu hydropicum ſanatum. III. 87. 91.
Glandulæ meſenterii, magnæ, induratæ. I. 161. II. 266. III. 266. Sanguinem continentes. II. 252.
——— ſubmaxillares & parotides magnæ, dolorificæ. III. 70.
——— urethræ tumentes, inflammatæ, ſuppuratæ. I. 105.
Glanduloſa corpora pylorum & duodenum obſidentia. III. 276.
Gonorrhæa levior. Quæ ipſius ſedes ſit. I. 105. II. 262.
——— Recens quomodo optime ſanetur. I. 110.
Gonorhœa male curata ſæpe obſtacula in urethra relinquit. I. 104. An inde in urethra carunculæ producantur. 105. Sæpe mala alia excitat. 108. Præcipue ſi purgante valido ſuppreſſa ſit. 109.

H.

HÆMOPTOE in hominibus corporis habitu tenui, delicato, ſumme irritabili præditis, quomodo tractanda. I. 76.
——— In Phthyſin tranſiens. II. 239. Examen cadaveris. II. 243.
——— In Sartoribus, aliisque ſæpe obſervata. I. 153.
Hæmoptoës ſpecies variæ. Inflammatoria. III. 6. Momentoſa admonitio in ſananda hac. 10. Plethorica; Periodica; ab erodente materie; maligne febrientium. 11. Vulneraria; Peripneumoniæ nothæ ſeu pituitoſæ comes. 12. Bilioſa. 13. II. 73 77. Quomodo ſanari & præcaveri debeat. II. 228. ſeq. Abdominalis. III. 14. Illorum, quorum pulmo tuberculis obſeſſus. 15. Hydropicorum. 16. Compoſita ex inflammatoria, pituitoſa, bilioſa. 18.
Hæmorrhagiæ uteri epidemicæ. II. 33.
Hemicrania chronica. Cauſa ejus in cadavere detecta. I. 178.
——— Ex retropulſa ophthalmiæ ſeroſæ materie orta, quomodo ſanata. I. 58.
Hemiplegia a bile. II. 62.
Hepar cartilaginoſum. I. 184.
——— Concretum cum diaphragmate, magnum, durum. III. 273.
——— Durius, inæquabile. III. 148. Durum & magnum. I. 183. III. 251.
——— Flavum, molle, corpuſculis ſebaceis diſtinctum. III. 260.
——— Friabilius ſolito. I. 166. III. 269.
——— Magnum, ſed ſaniſſimum. I. 103. 157.
——— Pſeudomembrana inveſtitum. I. 171.
——— Scirrhoſum, ſteatomatoſum. I. 176. 182.
——— Sphacelatum. I. 181.
——— Superficie veluti percocta. II. 247.
——— Ulceroſum. I. 177. 182. 184.
Hepatis vaſorum tunicæ præter modum craſſæ. I. 134.
Hepatici ſyſtematis morbi nonnulli, variis obſervatis illuſtrati. III. 243. ſeq.
Hepaticus ductus impervius. III. 256. Maxime dilatatus, concreto cyſtico. III. 262.
Hernia ſcrotalis in cadavere viſa. I. 112.
——— Veſicæ. III. 297.
Hirudines cum ſucceſſu applicatæ. II. 104.
Horæorum fructuum uſus in Dyſenteria. III. 177. Abuſus. 178.

Hydatis ex dextro pulmone dependens. III. 273. In choroïdeo plexu. I. 119. III. 262.
Hydrocele ſiniſtri lateris. III. 256.
Hydrophobia, elapſis a morſu diebus octodecim, lethalis. I. 180.
—— In cadaverè fœminæ hydrophobæ nihil peculiare inventum. III. 306.
Hydropicorum mortes ſubitæ. III. 297.
Hydrops articuli genu, quomodo ſanatus. III. 87. 91.
—— Plethoricus, ſeu ortus a plethora. Obſervationes circa hunc morbum. III. 204. ſeq.
Hydrothorax inflammatorius. II. 236. Extiſpicium. 247.
—— poſt coryzam evanidam, enatus. III. 92.

I.

ICTERUS adeſſe poteſt, ductibus biliferis omnino perviis. III. 247. 251.
—— Chronicus potatorum. III. 263.
—— Quæ in cadavere talis ægri inventa ſunt. I. 133.
—— Quibus remediis ſanatus ſit. II. 197. 211. III. 277. Obſervationes circa hunc morbum variæ. III. 246. ſeq.
Ictericorum efflorefcentiæ ſcarlatinæ. III. 267.
Ilei cauſæ variæ, medendi ratio. I. 168.
Ileum inteſtinum peculiari modo coarctatum. I. 148. Foramine amplo pertuſum. I. 166. II. 266.
Inflammatio, ab acri bile generari ſolita, ab omni alia differt, & maligna eſt. I. 120.
Inflammatio inteſtinorum viſa, abſque ut dolor, febris, calor præceſſerint. I. 164. II. 146. Cum febre vix ulla & dolore exiguo. I. 166.
—— Hiſtoria. II. 248. 265. 267. Cadaveris Examen. II. 249. 266. 269.
—— Rheumatiſmum febrilem concomitans alia eſt, quam ea, quæ morbos alios inflammatorios. I. 55.
—— Vera & ſimul chronica rara eſt. I. 56.
—— Viſcerum quandoque obſervatur, abſque conſuetis inflammationis ſignis. III. 263.
Inflammationum thoracis exitus varii. III. 36 Suffocatio. 37. Hydrothorax. 38. Pulmonum vincula, cohæſiones. 38. 39. Pulmones granuloſi, & inde aſthma. 40 Quænam reſpiratio in his inflammationibus peſſima. III. 62.
Inſania quandonam timenda. I. 117.
Intermittentes febres, quæ 1776. graſſatæ fuerunt. I. 52. 85. 87. 88.

Inteſtina coarctata. I. 148.
——— Inflammata, gangrænoſa. I. 113. 117. 120. 125. 148 156. 164. 166. 171 II. 243. 245. 249. 252. 266. III. 36.
——— Livida. I. 119. 148. 158. II. 269. III. 263.
——— Pertuſa amplo foramine. I. 166. II. 266.
——— Præter modum expanſa, & ſimul ad digitum uſque craſſa, inflammata, in tympanitide. I. 175.
Ipecacuanhæ radix deſideratum effectum ſæpe non producit. I. 40 77. 81. Qua ratione in morbis malignis conveniat. I. 121.
Iræ in producenda febre bilioſa poteſtas. II. 177.
Iſchuria & mictus teneſmoïdeus, muco albo benigno per urethram fluente, ceſſans. I. 107.
Iſchuriæ hiſtoria. I. 101. 111. Cadaveris examen. 103. 112.

L.

LAc an in phthyſi conveniat? I. 130.
Lactis in puerperis incommoda. II. Quid faciendum, quo ad mammas, prole mortua. II. 57. 58.
Lardacea materies pulmonis infimas oras obtegens in homine, qui peripneumonia laboraverat. I. 116.
Lichen Iſlandicus an in phthyſi laudandus. I. 131.
Lien duplo major, quam ſolet, ſed ſanus. 103. 157.
Ligamentum latum uteri in ſiniſtro latere breve admodum, cauſa obliquitatis uteri. I. 140. 146. II. 247.
Lingua quomodo in febre gaſtrica ſeſe habeat. I. 142.
Lues Venerea. Curationis difficultas ex tempore, quo miaſma intra corpus delituit, dependet. III. 302.
——— Hereditaria. III. 302.
——— Mercurii ſublimati corroſivi in ea ſananda laudes. III. 299.
——— An dentur ſigna, miaſma ex toto eſſe deletum. III. 306.
Luxationis vertebrarum lumborum effectus. I. 175. 185.
——— Dorſi cum fractura. I. 184.

M.

MAnia ex phrenitide. III. 136.
Medicus ſibi ipſi medicinam facere nequit, & cur. II. 6. Neque ſuum morbum recte deſcribere. *ibid.*
Medulla oblongata admodum dura. I. 119.
Meninges, ictericæ. III. 260. 261.
——— Inflammatæ. I. 117. III. 246.

Meninges, latis, rubris, cæruleis, atris, maculis obſeſſæ. II. 264.
——— Pus inter illas effuſum. III. 157.
Meningum inflammatio abſque phrenitide. III. 246.
Mercurius vivus in ventriculo inventus. III. 245.
Mercurii corroſivi in ſananda lue venerea laudes. III. 299.
Meſenterii glandulæ cartilagineæ. I. 187. Induratæ. I. 161. III. 166. Sanguinem atrum continentes. II. 252. Tumentes. II. 266.
——— Suppuratio. I. 179.
——— Ulcus cancroſum. I. 164.
——— Vaſa ampliſſima. II. 252.
Metaſtaſis. Ad cerebrum in febribus putridis. III. 95. Quomodo hæc potuit præverti, aut præſens tolli. 96.
——— Bilioſa ad brachium. III. 246. Ad partes alias. 247. 277.
——— Peculiaris ad nucham. II. 230.
——— Quæ in metaſtaſi obſervanda. II. 80.
Meteoriſmus duplex in febribus bilioſis, putridis, malignis, obſervatus. II. 15.
Mictus difficilis in febre æſtiva. II. 140.
Miliares puſtulæ morbillos concomitantes. II. 162. 166. 173.
——— Nervoſam lentam febrem inſequentes. II. 26.
——— Origo earum. II. 53. 109.
——— Pleuritidi vel peripneumoniæ ſupervenientes. I. 31.
——— Præverti quomodo poſſint. II. 53.
——— Sponte natæ, non coactæ, criticæ fuerunt. III. 94.
Mœroris effectus in functiones ventriculi, inteſtinorum, hepatis. III. 246. 247.
——— Poteſtas in producenda febre bilioſa. II. 176. 214. 215.
Morbi inchoantis ſpecies difficillime determinatur. I. 33.
——— Maligni hiſtoria, quo Auctor ipſe laboravit II. 5.
——— Nervorum. Regulæ in ſanandis iis. II. 103. Quis ſtimulus fibras irritet, ante omnia, inveſtigandum. Hujus cognitione niti curam, exemplis probatur. II. 104. ſeq.
Morborum bilioſorum ſymptomata. I. 7. 33. ſeq.
——— Inflammatoriorum & bilioſorum connubium quando obtingat. II. 130. Quomodo ſanguis eductus tunc ſeſe habuerit. II. 131. Difficulter ſanantur, & quare. II. 235.
——— Vulgarium obſervationes non rite attendi ſolent. I. 175.

Morbilli cum febre æſtiva 1777. II. 148.
——— cum febre biliofa. II. 35.
——— Bilioſo-pituitoſa. II. 161.
——— Bilioſo-pituitoſa, miliari. II. 166.
——— Bilioſo-pituitoſa, prægreſſa, comitante, ſubſequente, cum miliaribus & exanthemate ſcarlatinam referente. III. 162.
——— Bilioſo-pituitoſa, vernali. II. 171.
——— Cum miliaribus & petechiis. II. 173.
——— Eorum malignitas & anomalia. II. 160.
Muſculorum caro in venereo fracidiſſima. II. 261.

N.

NECROLOGIA. Excepta ex Necrologiis Noſocomii ad SS. Trinitatem. I. 173.
Nervina remedia quænam ſint. II. 107.
Noſocomii practici Vindobonenſis deſcriptio. I. Præf.

O.

OBSERVATIONES. Quid de obſervationum collectoribus ſit ſentiendum. I. 174.
Oculorum vitia a defluxione. III. 90.
Odontalgia periodica, cortice ſanata. III. 66.
——— Rheumatica, veſicante curata. I. 58.
Omentum fuſcum, putridum. I. 119. 140. 148.
——— Inflammatum. I. 117. II. 249. 256. 269.
——— Margo ipſius plures ſeries nodorum exhibens. III. 265.
——— Perbreve & reflexum. II. 252.
Ophthalmia ſeroſa ad rheumatiſmos topicos pertinet. I. 55. Per veſicans ſanata. 58.
——— a vitio ventriculi orta, ad veſperam exacerbata, & curato ventriculo ſanata. II. 68. 213. 217. 219. 222. Subinde pro venerea impoſuit. 215.
Opii in dyſenteria uſus. II. 100. In ſaturnina colica. II. 190.
Oſſa in ictero flava. III. 260.
Oſſiculum in ſinu falciformi viſum. I. 136.

P.

PANCREAS inſignis magnitudinis & duritiei. III. 265.
——— Scirrhoſum. I. 182.

Para-

Paracentheſis thoracis ſuppurati inſtituta. III. 105. Sectio cadaveris. 107. Quæ cauſa mortis talem paracentheſin ſæpe citiſſime inſequentis. 108.
——— Veſicæ in perinæo inſtituta. I. 112. In regione hypogaſtrica. *ib.* Optime fit. in perinæo. I. 113.
Paralyſis in latere dextro, apoplexiæ cauſa in latere ſiniſtro viſa. I. 137.
Paralyſis ſaturnina. Obſervationes hoc de morbo, ejusque cura. II. 270 ſeq.
Parotis. Cura. II. 69.
——— Lethalis III. 94.
——— Secundo pleuritidis die orta morbum ſuſtulit. I. 14. Quomodo fuerit diſſipata. *ibid.*
Pectoris affectus ſpurius. I. 87.
——— Morbi. Prognoſis in his ex ſpirandi libertate majori vel minori formanda. I. 117.
——— Signum ex percuſſione thoracis. III. 106.
——— a bile orti. I. 6. ſeq. Eorum frequentia, medendi methodus, periculum. I. 28.
Penis fiſſus III. 297.
Pericardium puriformi materie refertum. II. 251.
——— ſeri uncias octo continens. I. 128.
Peripneumonia. Bilioſa cum ſputo cruento, II. 73.
——— Pituitoſa. II. 208. Ejus cura. II. 209. 228.
——— Signum certæ mortis. III. 36.
——— Sectio anatomica hoc morbo defuncti I. 116.
Peritonæum inflammatum. I. 166.
——— Scirrhoſum, craſſiſſimum. I. 181.
Peſtis contagium probatum. II. 40. ſeq. Natura. 42. Quæſtiones variæ. 42. 43. 44.
Petechiæ. An regimini calido ſoli debeantur ? 172.
——— In extremitatibus viſæ ad muſculos uſque penetrarunt. I. 126.
——— In inteſtinis, meſenterio, peritonæo, cordis externa ſuperficie obſervatæ. I. 125. II. 262. Intus humorem extravaſatum continebant. I. 125.
——— Bilioſum morbum concomitantes. I. 68.
——— Morbillis & miliaribus intermixtæ. II. 173.
——— Obſervatæ in iis, quibus peculiaris ſaburra erat III. 78.
Petechialium malignorum morborum cauſa unde petenda. I. 119. 164.
Phrenitis bilioſa emeſi curata. II. 61.
——— Deſcriptio hujus morbi III. 121. Hiſtoriæ quorumdam phreniticorum. 122. Dantur diverſæ phrenitides,

& non una ſemper eademque phrenitidis cauſa & cauſæ ſedes eſt 133. Diviſio phrenitidis unde petenda. 135. 139. Morbi hujus in maniam converſio 136. Amplitudo ipſius. 141. A ſero intra caput effuſo poſt lapſum ab alto. 143. A ſugillatione encephali poſt lapſum. 145. Poſt caſum forte ſympathica. 147. Ab æſtatis & ignium calore, & abuſu vini. 155. A cerebelli abſceſſu & pure intra meninges effuſo. 156. A pure in encephalo. 161. Poſt graviſſimam cruris contuſionem & fracturam. 162. Ab ira. 165.

Phthyſis ex catarrho æſtivo & autumnali neglecto. III. 57.

——— ex pleuritide ſeu peripneumonia occulta. I. 73. Quænam profuerint vel nocuerint in ea, quæ pleuritidem inſequuta erat. III. 65.

——— ex tuſſi ſtomachica. II. 212. Extiſpicia ex hac cauſa tabidorum *ibid.* Quinam huic phthyſi magis obnoxii erant. 213.

——— Incipiens ſolis antiphlogiſticis ſanata. III. 117.

——— Poſt hæmoptoën enata. II. 239. Extiſpicium. III. 242.

——— pituitoſa, a febribus gaſtricis, quæ in malignas abire, frequens, quomodo curata. II. 66.

——— Pulmonalis quare adeo difficulter ſanetur. I. 128. Quænam remedia conveniant aut noceant. I. 129. 131.

Pia mater inflammata. II. 245.

——— Inter hanc & cerebrum ſerum rubellum. II. 245.

——— Membranam aponeuroticam æmulans. I. 136.

Piſtores, morbis acutis correpti, facilius pereunt. I. 149.

Placenta oſculo uterino ſupertenſa. III. 271.

Pleura craſſa admodum, quodammodo cartilaginea. I. 156.

——— Doloris punctorii ſedes in pleuritide & peripneumonia male in pleura quæritur. I. 97. 99.

——— Inflammata valde. III. 35.

——— in loco doloris punctorii. II. 251.

——— ſine dolore. III. 214.

——— Saniſſima in pleuritide I. 171. 172.

——— cum dolore punctorio lateris & inflammatione pulmonis. II. 246.

Pleuritis bilioſa. I. 6. Conſtans ejus nota fuit, præter pectoris reſpirationisque affectus, lingua, & oris ſapor, varia ratione depravatus. 7. Rheumatiſmus ſubinde jungebatur. 8. Præter morbum bilioſum nonnullos pul-

monum inflammatio tenuit. *ib.* Aut aliarum partium. 12. Inſtituta venæ ſectione ſymptomata exaſperabantur. 8. Purgantia parum emolumenti attulerunt. *ib.* Emetica & leniora purgantia quandoque proficua fuerunt. 9. In omnibus tamen non eodem modo procedere licuit. 10. Succeſſiones ac mutationes variæ 13. In veram ac inflammatoriam pleuritidem. 13. In bilioſam malignam. 15. Ulteriores obſervationes de pleuritidis & peripneumoniæ bilioſæ frequentia, methodo curandi, periculo. 28.

Pleuritis bilioſa cum ſputo cruento. II. 71. Gravis admodum ſeu maligna. 78.

——— Bilioſo inflammatoria, ſive vera & eſſentialis cum vitio primarum viarum bilioſo juncta. I. 68. II. 205. 223.

——— occulta ſeu latens. I. 73. Ejus ſigna. 73. 74. Varii morbi hanc ſæpe poſt ſe relinquunt. 74. Prognoſis, cura. 75.

——— Pituitoſa ſeu notha. III. 7. 24.

——— Putrido-inflammatoria, qualis ſit. III. 20.

——— Rheumatica. Ejus ſigna diagnoſtica. I. 59. 62. Sedes 60. Cura. 61. Quando cum biliosa aut genuina complicatur. 62.

——— Rheumatico-inflammatoria promptius in empyema tranſit. III. 107.

——— III. 63. Fallax pulſuum debilitas. 63. Fœminæ præ viris hac ſpecie laborarunt. 64.

——— Vera a ſpuria quomodo dignoſcatur. I. 45. Quænam ſymptomata utrique conveniant. 48. Quid faciendum, quando ea maxime ſunt complicata. 56. Canones circa uſum veſicantium in pleuritide. 65.

——— Vera, inflammatoria, ſed chronica. I. 75. 95.

——— aliqua labe bilioſa contaminata. III. 53.

——— In hydropico frigidiſſimo obſervata. II. 237.

——— Cum inflammatione pulmonis dextri & pleura ſaniſſima. II. 246.

——— Peſſima in hoc morbo ſigna. I. 97.

Pleuritidis tranſitus in peripneumoniam malus. I. 71. 170.

Pleuro-peripneumoniæ hiſtoria. I. 93. ſeq. Sectio cadaveris. 94. Hiſtoria alia. I. 99. Cadaveris examen. 100. Hiſtoria alia. II. 216.

Plexus choroïdei varicibus obſeſſi. II. 245. hydatidibus. I. 119. III. 262.

Polygala an in phthyſi conveniat? I. 131.

Polypi

Polypi viſi in corde & vaſis majoribus. I 95. 103. 179. II. 251.
Potus frigidæ æſtuante corpore hauſtus febrim incitat epidemicam. II. 76.
Prædictiones futurorum in acutis. II. 142.
Proſtatæ abſceſſus duo. I. 104. 150.
——— inflammatio, gangræna, tumor. I. 112.
Pſeudo-membrana pleuram, & pulmonem obtegens. II. 245. 255. 268. III. 39. 107. Craſſiſſima. II. 250. 252.
——— pericardium obveſtiens. II. 255.
——— unde oriatur. III. 107.
Pulmo abſceſſibus exiguis innumeris plenus, cultro hepaticam duritiem offerens. I. 127. III 255.
——— Abſceſſum recondens. I. 160.
——— Prolapſus ad latus. I. 96. 99.
Pulmones. Conſtitutio eorum in homine, qui pleuro-peripneumonia laboraverat. I. 94 96. 97. 98. 100. 116.
——— in hydrothorace. II. 247.
——— poſt paracentheſin propter empyema inſtitutam. III. 107.
——— in tabidorum cadaveribus. II. 212. 233. 243.
——— Concreti cum pleura. I. 103. 119. 127. 150. 156. 160. 163. 171. II. 245. 251. 266. 268. III. 39. 250. 255.
——— Granuloſi. III. 262. 263.
——— Inflammati. II. 251. III. 35. 36. 250. 253. 262.
——— Maculis parvis nigricantibus variegati. III. 273.
——— Pſeudo-membrana obtecti. I. 148. 160. 171. II. 255. 268.
——— Rheumatica inflammatione affecti, quomodo ſe habuerint in cadavere. I. 60.
——— Scirrhoſi in aſthmatico. I. 184. 186.
——— Tuberculis obſeſſi. I. 150.
Pulmonum inflammationes pergraves poſt novem aut undecim dies, abſque manifeſta evacuatione, cum conſtantia ac ſecuritate ſolutæ. I. 14.
Pulſuum fallacia in morbo quocumque thoracis. I. 98. in pleuritide. III. 63.
——— in morbis bilioſis. II. 133.
——— debilitas vera & fictitia. II. 135. ſeq.
Purgantia antiphlogiſtica nulla dantur. I. 110.
——— Emeticorum vices ſubire non poſſunt. I. 37.
——— in pleuritide & peripneumonia bilioſa fere ſemper nocuerunt. I. 11.

Pus in cerebello, cerebro, inter meninges viſum. III. 157. 169. 161.
——— inter diaphragma & pulmonem, aliiſque in locis concluſum. I. 100. 103.
Puriformis materies in pectoris & abdominis cavo viſa. I. 171. Hæc in pſeudo-membranas ſæpe concreſcit, & in ſanguine emiſſo cruſtam phlogiſticam videtur conſtituere. I. 172.
Pylorus cancroſus, ſcirrhoſus, cum parte duodeni. I. 179.
——— durior ſolito & anguſtus. III. 176.
——— duriſſimus. III. 244. 268.

Q.

QUARTANÆ, corticis peruviani impatientes, floribus arnicæ ſanatæ. III. 115.
——— irradicatæ quomodo ſint curatæ. III. 61.

R.

REMITTENTES ſebres, anno 1776. obſervatæ. I. 52. 68. 77. 85.
Ren ſiniſter innumeris & exiguis abſceſſibus plenus. I. 102.
Renis dextri defectus, ſiniſtro aliquantum majore. II. 252.
Reſpiratio abbreviata & ſimul accelerata, ita ut inſpirationes & expirationes puſillæ ſint, ſeque cito inſequantur, peſſima eſt in putridis, malignis & inflammatoriis thoracis morbis. III. 62.
Reſpiratio facilis, etiamſi pulmones partibus vicinis eſſent firmiter accreti. I. 164.
Rheuma veſicæ. III. 71.
Rheumatica inflammatio ab omni alia differt. I. 56. Optima cura quænam ſit. I. 57.
——— materies diverſas partes afficiens, alios aliosque producit morbos. I. 55.
——— ex artubus ad pulmones delata. III. 81.
Rheumatiſmi febriles. I. 16. Fuere vel inflammatorii. 16. vel bilioſi. *ibid.* 67. Horum ſymptomata & medendi ratio. 16. 17. Quo tempore bilioſi frequentiſſimi fuerint. 17.
——— ad lumbos, coxam, femur, ſanati veſicante, methodo Cotunniana, applicato. I. 67.
——— originis gaſtricæ. Horum natura, ſedes, cura. III. 22. 23. II. 17. 88.

Rheumatiſmi originis male curatæ, atrophiam induxerunt. III. 22.
——— Periodici, cortice ſanati. III. 66.
——— Scorbutici unde oriantur. I. 671.

S.

SALIS ammoniaci vires incidentes, attenuantes. I. 78. 79.
Salix alba. Decoctum foliorum & corticis in gangræna a decubitu, & bubonibus gangrænoſis, laudatur. III. 298.
Sanguini emiſſo non ſemper fidendum. I. 15. 16.
Sanguinis corium phlogiſticum unde oriri videatur. I. 172.
——— quomodo ſeſe habuerit in morbo inflammatorio & bilioſo. II. 131.
——— extravaſatio in cranio. I. 185.
Sartores pulmonum morbis præ aliis laborant. I. 152.
Scarificatio, in dorſo inter ſcapulas facta, in vehementi utriuſque pulmonis inflammatione laudatur. I. 152.
Scirrhorum ſubſtantia. III. 306.
Scorbutus levior. III. 117.
Senſuum internorum vigor, externis abolitis, in morbo maligno. II. 11.
Serum in abdomine viſum. I. 100. in cavo pectoris. I. 95. 99. Vid. articulum aquæ.
Sinus falciformis, oſſiculum continens. I. 136.
Somnus febrem incendit. III. 75.
Spinæ dorſi concuſſionis effectus. I. 186.
Strumæ diſſectio, natura. III. 275.
Submaxillares glandulæ magnæ, dolorificæ. III. 70.
Suffocatio ex inflammatione thoracis. III. 34.
Suppreſſionis urinæ hiſtoria. I. 101. 111. Cadaveris examen anatomicum. I. 103. 112.
Sutores hæmorrhagiis pulmonalibus obnoxii ſunt. III. 8.

T.

TABES ex febre æſtiva enata. II. 230. Ejus generationis ratio & modus. *ibid.* Quid conſumtorum cadavera exhibuerunt. 233. Medendi methodus. 234.
Tæniæ portiones variæ rejectæ. I. 159.
Tartari emetici ſolutio optimum ſiſtit vomitorium. I. 39. Qua ratione propinari debeat. 40.

Tempeſtatum ratio habenda ab eo, qui morbos populares deſcripturus eſt. I. 1.
Tendo inſenſilis. III. 298.
Teneſmi varii III. 100.
Terror convulſionis cauſa. III. 284.
—— febrem bilioſam producere poteſt. II. 176.
Teſtis, aqua tumidus, ſanatus. III. 91.
—— ſuppuratus. I. 156.
Tetanus maxillæ, fracturis & contuſionibus ſuperveniens, lethalis. III. 288.
—— opiſthotonos, epilepſia, probabilius a vermibus, & ſectio. III. 294.
—— vulneri ſuperveniens ſanatus. III. 291.
Thoracis inflammatio a ſtimulo bilioſo, putrido, acri. II. 253. 256. Qualis medicina tunc requiratur. II. 257.
—— percuſſio, ut ſignum abſtruſorum interni pectoris morborum, laudata. III. 106.
Tyroidea glandula, ſubſtantia gelatinoſa, glutinoſa, diſtenta. I. 128.
Tophi in oſſibus viſi. II. 261. Suborta febre ſubinde ſanantur. III. 305.
Tumor cancroſus arcui majori ventriculi inſidens. I. 133.
—— cyſticus ſupra ſellam turcicam & nervum opticum viſus. I. 178. Ovario adhærens. I. 179.
—— uteri faciei poſteriori adnexus. II. 247.
Tumores abdominis. Deceptio quædam in explorandis his. III. 275.
Tumorum quorumdam in febre bilioſa geneſis. II. 86.
Tuſſis chronica & gaſtrica. II. 225.
—— convulſiva. II. 21. 118. III. 105. Quædam proprietates ipſius & cura. II. 120. Sæpe eſt ſtomachica. 121. Aphoriſmi nonnulli de hoc morbo. 122.
—— Cruenta II. 21.
—— Moleſta illis, qui graviori morbo putrido, ſeu maligno, diutius decubuerunt, quomodo tractanda: I. 144.
—— Stomachica. Ejus origo & cura. I. 87. 145. II. 211. ſæpe in phthyſin abit. 212. Extiſpicia talium tabidorum. 212.
Tympanitide defuncti cadaver quid exhibuerit. I. 175.

U.

U.

ULcus cancroſum in meſenterio viſum. I. 164.
——— Hepati & ventriculo concretis adhærens. III. 273.
——— Venereum in capite. III. 304.
Urethra abſeſſibus obſita, inflammata. I 104. 112.
——— Cathetere læſa. I. 113.
——— Carunculæ an in ea ex male curata gonorrhæa excitentur. I. 105.
——— Coarctata. I. 155.
Urethræ glandulæ tumentes, inflammatæ, ſuppuratæ. I. 105.
——— Gonorrhæa affectæ diſſectio. II. 261.
——— Morbi curatu difficillimi. I. 106.
Urina in abdominis cavo inventa, diſrupta veſica. I. 112.
——— Morbos gaſtricos, a colluvie materiæ alienæ ortos, a febribus inflammatoriis diſtinguit. I. 33.
Urinæ ſuppreſſionis hiſtoria. I. 101. Sectio cadaveris. 103. Obſervatio alia. 111. Cadaveris examen. 112.
Uterus, ovaria, tubæ, cum recto inteſtino, firmiſſime nexa. III. 274.
——— Verrucis obſeſſus. II. 264.
Uteri hæmorrhagiæ epidemicæ. III. 133.
——— Magnitudo, poſt primum partum. I. 158.
——— Oſculum cartilagineum. III. 276.
——— Poſticæ faciei adhærens corpuſculum, caſtaneæ magnitudine. II. 247.
——— Situs obliquus. I. 140. 146. II. 247.

V.

VALVULÆ cordis degeneratæ. I. 157.
Variolarum ſtadia. II. 153. Methodus medendi ſingulis ſtadiis. 153. ſeq. Earum diverſæ ſpecies. 158. Cura quare ab aliis alio modo proponatur. 175.
——— Complicatio cum febre bilioſa. II. 35. 149.
——— Inſitio quo anni tempore fieri debeat & quæ præparatio requiratur. II. 158. ſeq.
Varioloſi hiſtoria. II. 150.
Vaſa coronaria cordis mirum in modum dilatata. I. 99. 117.
——— Sanguifera ſi obrigeſcunt, qualis ictus arteriarum ſeſe manifeſtet. I. 158. Quid in tali caſu agendum. 159.
Vaſorum ad cerebrum tendentium inæqualis capacitas. I. 137.

Venæ

Venæ ſectio an vomitoriis præmittenda. I. 41.
——— In pleuritide & peripneumonia bilioſa, momentaneum ſubinde levamen attulit. I. 36. In genere nocuit. I. 11. 29. Niſi vera inflammatio accedens morbum complicatum reddidit. I. 12. Quænam cautelæ tunc fuerint obſervandæ. I. 12. 13. Quatenus bilioſis ſubinde Venæ ſectio prodeſt. I. 50. II. 65.
——— Nullum poteſt ſtatui dierum numerus, ultra quem venæ ſectio in inflammatoriis pectoris morbis admitti nequeat. I. 96.
——— Quandonam in hydropicis conveniat. II. 248.
Venerea larvata febris. III. 298.
Venerei dolores nonnunquam interdiu graviores ſunt, noctu mitiores. III. 66. 301.
Ventriculi abſceſſus verſus cavum abdominis diſruptus. I. 179.
——— Capacitas major. II. 256. Maxima. III. 35. 244. 262. 271. 274.
——— Contractio, ſic ut craſſum inteſtinorum retulerit. I. 158. 161. Medio loco conſtrictus. I. 158.
——— Interior membrana fuſca. I. 119. Livida. I. 148. Inflammata. I. 119. 124. Maculatam tigridis pellem referens. I. 125. 140.
——— Magnus varicoſis vaſis diſtinctus. III. 253.
——— Saburra, qua ratione cerebrum adficiat. III. 134.
——— Spaſmus gravis ſanatus. II. 106.
——— Sphacelus. 187.
——— Tumor cancroſus. I. 133.
——— Vim infringit aër concluſus, putridus. II. 139.
Vertebralis arteria, ubi intra cranium emergit, oſſea. III. 262.
Vertebrarum lumborum luxationis effectus. I. 175. 185. Dorſi cum fractura. I. 184.
Veſica urinaria diſrupta. I. 112. Sugillata. I. 156. Morboſa. 104.
Veſicæ hernia. III. 297.
——— Paracentheſis in perinæo inſtituta. I. 112. Ut & ſupra os pubis. *ibid.*
Veſicans lateri dolenti raro impoſitum, & in morbis vere inflammatoriis ſæpe noxium. I. 13. In rheumate contra utiliſſimum. 13. 16. Ut & quando vera debilitas adeſt. *ib.* 15. Quandonam in pleuriticis fuerit utile. 43. 61. 62. In rheumatiſmis topicis. 58. Canones circa uſum veſicantium obſervandi. 65. In febre anginoſa. II. 22.

Veſicula fellea calculis tribus penitus oppleta. I. 166. Calculos varios continens. I. 184. 187. II. 245. III. 271.
——— Defectus ejus, an ab eroſione? III. 274.
——— Degenerata in ictero. III. 256. ſeq. 262. 276. In iis, quos, colica ſaturnina correptos, ſuperveniens epilepſia peremit. III. 268.
——— Sanguinem, loco bilis, continens. I. 182.
——— Semicartilaginea. I. 181.
——— Rupta, bile in abdomen effuſa. III. 270.
Veſicula fellea turgida admodum. I. 119.
——— Seminalis, pure plena. I. 156.
Veterum ſcriptis qui uti velit, quid noſce prius debeat. I. 141.
Vigiliæ febrem reſtinguunt. III. 75.
Viſcera abdominalia maxime inflammata. I. 166.
Viſcerum ſitus naturali plane oppoſitus, ſic ut ſiniſtra parte reperirentur, quæ dextrum occupare ſolent. I. 181.
Viſus depravatus in reconvaleſcente a morbo maligno. II. 11.
Vitriolum cupri, quo fœtus expellatur, ſumptum. II. 269.
Vomica pulmonalis. I. 160.
Vomicarum clauſarum in pulmonibus frequentiſſima geneſis. I. 75.
Vomitoria in rheumate originis gaſtricæ optima. II. 17. Vide tit. Emeticorum. I. 9. 16.
Vomitus bilioſis in morbis levamen imo curam adfert. 25. 26. 27. Non ſemper æque facilis eſt. I. 77. Quonam remedio optime excitetur. I. 39. II. 141. An præparanda materia ante vomitum ſit. I. 41. Quid de venæ ſectione ſtatuendum. *ib.* Quo uſque in hoc remedio pergendum. II. 132. Quænam contra indicantia dentur. II. 132. 133.
——— Præſente graviſſima ventriculi inflammatione, abſens. I. 126.
——— A ſcirrho pancreatis. I. 182.

W.

WAGNERI methodus curandarum febrium malignarum laudata. I. 121.

FINIS.